Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/sacraliturgia0000unse

SACRA LITURGIA

TOMUS I. Tractatus de Officio divino seu de Horis canonicis. Editio altera. 1904.

TOMUS II. Tractatus de Rubricis Missalis Romani. Editio altera. 1902.

TOMUS III. Tractatus de celebratione Sanctissimi Missæ Sacrificii. Editio altera. 1906.

TOMUS IV. Tractatus de administratione Sacramentorum et de Sacramentalibus. Editio altera. 1905.

TOMUS V. Cæremoniale, seu Manuale ad functiones sacras solemnes rite peragendas. Editio altera. 1903.

Venerabili Fratri JOSEPHO *Episcopo Titulari Joppeno eidemque Auxiliari Archiepiscopi Mechliniensis*

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et apostolicam benedictionem. Exhibuit tuo nomine Nobis dilectus filius ab epistolis Nostris ad Principes libros de re lithurgica quinque, quos ipse haud ita pridem edidisti ut eam publice doctrinam efferres quam in sacro seminario Mechliniensi tradidisti. Nos quidem valde delectat quod ipso in exordio Pontificatus Nostri praeclarum opus de divino peragendo cultu, pluribus auctum, iterum emiseris; in id enim navitatem tuam egregie contulisti in quo Nostrae quoque curae magnam partem evigilant. Porro erudite atque accurate condita esse volumina magnopere gaudemus, minimeque dubitamus quin magisterii tui fructus non modo Mechliniae, verum etiam apud cetera seminaria uberes ac laeti parentur. Votis idcirco atque optatis tuum opus prosequimur, illudque ut manibus clericorum versetur, omnique pervolutetur studio exoptamus. Quam profecto sollicitudinem si penes eos, quos instituendos acceperint, Episcopi ceterique Ecclesiae antistites alendam curaverint, multum inde et sacrorum doctrina rituum, et augustissimarum reverentia rerum, et templi sacerdotiique decus sine dubitatione proficient. Haec autem quia plurimi interest in Ecclesia Christi foveri, amplificari, expedita atque explicata reddi, debitam propterea laudem alacritati tuae ac diligentiae tribuimus, simulque enixe te hortamur ut ad Religionem sacrasque disciplinas provehendas maiorem in dies industriam, novosque studiorum fructus conferre ne desinas. Auspicem coelestium gratiarum Nostraeque benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem amantissime tibi impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XIV. Martii Anno MDCCCCIV. Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. X.

SACRA LITURGIA

—

TOMUS III

—

TRACTATUS

DE CELEBRATIONE SANCTISSIMI MISSÆ SACRIFICII

AD USUM ALUMNORUM
SEMINARII ARCHIEPISCOPALIS MECHLINIENSIS

OPERA

J. F. VAN DER STAPPEN

EPISC. TITUL. JOPPEN.,
AUXIL. ILLMI AC RMI DNI DESIDERATI JOSEPHI MERCIER,
ARCHIEP. MECHLIN.
SACRÆ LITURGIÆ ACADEMIÆ ROMANÆ CENSORIS.

EDITIO ALTERA.



MECHLINIÆ
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, SS. CONGREGATIONUM RITUUM ET DE PROPAGANDA FIDE
NECNON ARCHIEP. MECHLIN. TYPOGRAPHUS.
1906.

5761

DESIDERATUS JOSEPHUS

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHIEPISCOPUS MECHLINIENSIS, PRIMAS BELGII,

Omnibus has visuris Salutem in Domino.

Cum hic Tractatus *de Celebratione Sanctissimi Missæ Sacrificii,* ad usum alumnorum Seminarii nostri de novo editus, et ad normam recentiorum Decretorum reformatus, claritate et utilitate multum commendetur, libenter eum approbamus, adhortamurque nostrum clerum ut, hoc opus diligenter perlegendo et perscrutando, quotidie magis in necessariis hujusmodi scientiis proficiat.

Datum Mechliniæ, 20 Julii 1906.

† DESIDERATUS JOSEPHUS Arch. Mechl.

SACRA LITURGIA

TRACTATUS

DE CELEBRATIONE

SANCTISSIMI MISSÆ SACRIFICII

Argumentum et Divisio Tractatus

Q. 1. *Quod est Argumentum, et quæ Divisio hujus Tractatus ?*

R. I. In præsenti Tractatu exponitur Ritus celebrandi Missam, descriptus in Missali Romano, juxta quem diversæ Cæremoniæ peragendæ sunt in celebratione Sanctissimi Missæ Sacrificii.

Leges, seu Rubricæ, secundum quas determinatæ preces dicendæ sunt in eodem Sacrificio, expositæ fuerunt in præcedenti Tractatu, qui inscribitur : Tractatus de Rubricis Missalis Romani.

II. Tractatus dividitur in tres libros.

Primus agit de rebus quæ generatim ad Sacrificium Missæ necessariæ sunt, scilicet : 1° de loco celebrationis ; duplex autem distinguitur locus celebrationis : remotus, qui est Ecclesia, et proximus, qui est Altare ; 2° de Vasis sacris ; 3° de Vestibus sacris ; 4° de Libris missalibus.

In secundo libro describitur Ritus celebrandi Missam, seu quid sit observandum a Sacerdote ante, intra, et post Missæ celebrationem.

Tertius liber tractat de Defectibus in celebratione Missarum occurrentibus.

LIBER PRIMUS

DE REBUS QUÆ GENERATIM AD SACRIFICIUM MISSÆ NECESSARIÆ SUNT

SECTIO I

De loco remoto celebrationis, seu de Ecclesia

Q. 2. *In quo loco Sacrificium Missæ celebrare licet ?*

R. Ex Sacrosancti Concilii Tridentini Decreto (Sess. XXII, *De observandis, et evitandis in celebratione Missæ*), et ex Sacrorum Canonum dispositione, generatim celebrare Missam licet tantum in Ecclesia consecrata vel benedicta, non polluta, non exsecrata, non interdicta.

Singula hæc paucis expendenda sunt.

1. Missam celebrare tantum licet in Ecclesia. Ecclesia vocatur illa sacra ædes, major et dignior, quæ eo potissimum fine ædificata est, ut publico fidelis populi usui ad cultum divinum peragendum perpetuo inserviat.

Hic tamen Ecclesiæ nomine intelliguntur etiam Oratoria, tum publica, tum semipublica, tum privata.

a) Oratorium publicum, quod vulgo vocatur Cappella publica, et ex natura sua non ita dignum reputatur sicut Ecclesia, illud est, secundum quod statuit et declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 23 Januarii 1899, n. 4007), quod auctoritate Ordinarii ad publicum Dei cultum perpetuo dedicatum, benedictum, vel etiam solemniter consecratum, januam habet in via, vel liberum a publica via Fidelibus universim pandit ingressum.

b) Oratorium semipublicum, medium tenens, ut nomen ipsum indicat, inter Oratorium publicum et Oratorium privatum, juxta idem Decretum, illud est, quod etsi in loco quodammodo privato, vel non absolute publico, auctoritate Ordinarii erectum est ; commodo tamen, non Fidelium omnium, nec privatæ tantum personæ aut familiæ, sed alicujus communitatis vel personarum cœtus inservit. In hoc sicut auctoritate Ordinarii Sacrosanctum Missæ Sacrificium offerri potest,

ita omnes qui eidem intersunt, præcepto audiendi Sacrum satisfacere valent. Hujus generis Oratoria sunt, quæ pertinent ad Seminaria et Collegia ecclesiastica ; ad pia Instituta et Societates votorum simplicium, aliasque Communitates sub regula sive statutis saltem ab Ordinario approbatis ; ad Domus spiritualibus exercitiis addictas ; ad Conventus et Hospitia juventuti litteris, scientiis aut artibus instituendæ destinata ; ad Nosocomia, Orphanotrophia, nec non ad Arces et Carceres ; atque similia Oratoria, in quibus ex instituto aliquis Christifidelium cœtus convenire solet ad audiendam Missam ; — vel quicumque alii fideles, suppositis assensu domini loci et auctoritate Episcopi Ordinarii, conveniunt ad Missam audiendam etiam in adimplementum præcepti festivi. (Cfr. Decret. 3 Augusti 1901, *Romana* ; apud Ephemerides Liturgicas, XVI, 1902, pag. 1.) — Quibus adjungi debent Cappellæ, in Cœmeterio rite erectæ, dummodo in Missæ celebratione non iis tantum ad quos pertinent, sed aliis etiam Fidelibus aditus pateat.

Voluit autem Summus Pontifex Leo XIII, sarta et tecta haberi jura ac privilegia Oratoriorum, quibus fruuntur Emi S. R. E. Cardinales, Rmi Sacrorum Antistites (cfr. Q. 17), atque Ordines Congregationesque regulares.

c) Oratorium privatum, juxta idem Decretum, stricto sensu dicitur illud, quod in privatis ædibus, in commodum alicujus personæ vel familiæ, ex Indulto Sanctæ Sedis erectum est. — Dicitur « ex Indulto Sanctæ Sedis » ; nam Episcopi concedere nequeunt sine speciali Indulto licentiam pro celebranda Missa in Oratoriis privatis. (Decret. 20 Septembris 1749, n. 2404, ad 5, antiq. 4205, ad 7.)

Hujusmodi Oratorium igitur non ad publicum cultum, nec in perpetuum dedicatur ; in eo cum, dato Sanctæ Sedis Indulto, Episcopus omnia idonea reperit, approbat ut ibi Sacra rite peragantur ; nec in eo SS. Missæ Sacrificium quotidie per annum, sed quibusdam solemnioribus Festis exceptis, communiter potest celebrari.

Nota. Cum urget aliqua necessitas gravis et publi-

ca, potest Episcopus Ordinarius licentiam dare, ut, per modum actus tantummodo, non autem per modum habitus, Missa celebretur extra Ecclesiam, vel Oratorium, in loco honesto, et Altari seu tabula portatili, ac omnibus necessariis rite et caute instructo. (Cfr. Q. 17.) — Necessitas gravis et publica adesse censetur, ex. gr., cum urget præceptum, et Ecclesia calamitate aliqua celebrationi inepta facta est ; quando exercitus in castris deget, præsertim diebus Dominicis et Festis ; item tempore pestis, belli, persecutionis, cum imminens adest vitæ periculum. — Gardellini non admittit rationem exiguitatis Sacelli, ad quod ob devotionem convenit populus, ut valeat Missa celebrari ante fores ejusdem Sacelli. (Suffragium super Decreto 27 Augusti 1836, n. antiq. 4788.)

2. Ecclesia, ut in ea possit Missa celebrari, prius debet esse consecrata ab Episcopo, ritu maxime solemni qui in Pontificali Romano describitur ; vel saltem benedicta a Sacerdote, ex delegatione Episcopi, ritu solemni pro hujusmodi Benedictione in Rituali Romano præscripto. Benedictio sufficit, ut in Ecclesia possit celebrari SS. Missæ Sacrificium ; nihilominus juxta Rubricam Ritualis, Ecclesia, quamvis a Sacerdote benedicta, ab Episcopo tamen consecranda est (Tit. VIII, Cap. 27, n. 13) ; et quidem « incumbere debent Episcopi, ut Ecclesiæ saltem Cathedrales et Parochiales consecrentur. Quoad minores Ecclesias, si nolint uti jure suo illas solemniter consecrandi, facultatem tribuant Sacerdotibus eas benedicendi. » (S. Rituum Congregatio, Decret. 7 Augusti 1875, n. 3364, antiq. 5621, ad 1.)

Oratorium publicum item debet, antequam in eo Missam celebrare liceat, esse benedictum a Sacerdote, ex delegatione Episcopi, vel etiam solemniter consecratum ab Episcopo. (Cfr. Decret. 5 Junii 1899, n. 4025, ad 2.)

Oratorium privatum vero non potest consecrari, nec Benedictione solemni donari, sed benedicitur tantum Benedictione loci, vel domus, quæ habetur in Rituali Romano, et in fine Missalis ; et hæc Benedictio privatim fieri potest a quolibet Sacerdote. (Cfr. Decret. citatum, ad 6.)

Pro Oratoriis quasi publicis, seu semipublicis, in singulis casibus ab Episcopo determinabitur, habita circumstantiarum ratione, præsertim destinationis perpetuæ ad cultum, utrum valeat Oratorium hujusmodi benedici solemni Benedictione Ritualis Romani, vel utrum loci Benedictio tantum sit adhibenda.

(Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 342.)

3. Non polluta, scilicet per notorias actiones criminosas, vel maxime indecentes, a jure statutas, quæ adversantur sanctitati loci in quo sacra Mysteria peraguntur.

4. Non exsecrata, per destructionem maximæ partis parietum, etsi de novo construantur ; aut per amplificationem tantam quæ prævaleret parti præexistenti.

5. Non interdicta, per prohibitionem a superioribus factam, ne ibi divina celebrentur vel audiantur.

(Pro his ultimis conditionibus, 3ª scilicet, 4ª, et 5ª, cfr. Theologiæ Tractatus de Missæ Sacrificio, n. 16.)

Nota. I. Quoad Cappellas vel Oratoria, S. Rituum Congregatio declaravit quod Episcopus jure ordinario potest « concedere licentiam etiam plures Missas qualibet die celebrandi » :

« 1º In Cappellis seu Oratoriis publicis piarum Communitatum, etiam earum quæ clausuram non habent ;

2º In Cappellis seu Oratoriis piarum Communitatum, quæ licet non habeant ingressum in via publica, inserviunt tamen quotidianis exercitiis totius Communitatis ;

3º In Cappellis seu Oratoriis ad personas quidem privatas pertinentibus, sed quæ sunt publica vel semipublica, eo sensu quod habeant ingressum in via publica vel prope viam publicam, ita ut semper cuilibet volenti intrare permittitur. » (Decret. 8 Martii 1879, n. 3484, antiq. 5769, ad 1.)

Ad dubium vero : « Potestne Episcopus alia Oratoria præter Cappellam seu principale Oratorium erigere in piis Communitatibus, sive ob numerum Sacerdotum ibi degentium, ut ab omnibus Missa dici possit ; sive in gratiam infirmorum qui nequeunt adire Cappellam seu Oratorium principale ? » S. Congregatio respondit : « Si porro ex piarum Communitatum conditione necessaria sit erectio alterius Oratorii, pro ejus erectione facultas erit a Sancta Sede obtinenda. » (Decret. citatum, ad 2.)

Nota. II. In navi super Altare ibi erectum Missam celebrare non licet absque licentia Sedis Apostolicæ, quæ non conceditur nisi sub pluribus conditionibus, ut omne irreverentiæ periculum evitetur. (Cfr. Benedictus XIV, *De sacrosancto Sacrificio Missæ*, Lib. III, Cap. VI, n. 11.)

Quoad licentiam celebrandi in navi, S. Rituum Congregatio

rescripsit Episcopos non posse hanc facultatem concedere, etiam suis Sacerdotibus ; neque Missionarios, vi hujus tituli, posse in navi celebrare ; neque id posse illos Sacerdotes qui privilegio fruuntur ubique celebrandi. (Decret. 4 Martii 1901, *Vicen.*, ad 1, 3, 4 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 330.)

Si in navi Cappella ex Indulto Apostolico erecta locum fixum habeat, hæc pro navigantibus uti publica habenda est ; secus neque publica est, neque privata, sed habetur uti Altare portatile. (Decret. citatum, ad 5.) De hujusmodi Altari portatili agitur Q. 17.

Et in casu quo Cappella locum fixum habeat, et uti publica habenda sit ut supra, ibi Missam audire, ad implementum præcepti de Sacro in Festis audiendo, valent omnes qui in dicta Cappella Sacrosancto Missæ Sacrificio adstant, nempe, non soli navigantes, sed etiam, dum navis in portu invenitur, familia navigantium et officialium, aliæque personæ quæ diversis ex causis navim adeunt. (Decret. 10 Maji 1901, *Vicen.* ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 553.)

Quoad conditiones Cappellæ et Altaris in navi, S. Congregatio de Propaganda Fide, ad removendos abusus, omnibus Missionariis suæ jurisdictioni subjectis et speciali Indulto celebrandi in mari fruentibus præcepit, « ut, quoties eo privilegio utuntur, sedulo et religiose servent præscriptas regulas, in ipso Apostolicæ concessionis rescripto apponi solitas. Videant nempe utrum mare sit adeo tranquillum, ut nullum adsit periculum effusionis sacrarum Specierum e Calice ; curent ut alter Sacerdos, si adfuerit, rite Celebranti adsistat ; et si in navi non habeatur Cappella propria vel Altare fixum, caveant omnino Missionarii, ne locus ad Missæ celebrationem delectus quidquam indecens aut indecorum præseferat ; quod certe eveniret, si augustissimum Altaris mysterium in cellulis celebraretur pro privatis viatorum usibus destinatis. » (Decret. 1 Martii 1902 : cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 484.) — Postea declaratum fuit Decretum supra citatum tantum respicere « abusus illos, qui orirentur, si in privatis cellulis viatorum, usibus vitæ destinatis, indecenter offerretur augustissimum Sacrificium Missæ. Non autem absolute celebratio in cellis prohibita est, quando adjuncta omnia removeant irreverentiæ pericula. » (Declaratio ejusdem S. Congregationis, 13 Augusti 1902 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 596.) Igitur non est nefas dicendum Sacrificium fieri in hujusmodi cellulis, si rite aptentur, ac rebus impropriis expolientur, ut convenienti decore et veneratione ad Sacrum celebrandum disponantur.

Q. 3 An a primis Ecclesiæ temporibus Missa celebrari in Ecclesia consecrata *consuevit ?*

R. Primis Ecclesiæ sæculis, aliquando in Ecclesiis, aliquando etiam, cum in iis celebrandi copia non esset, extra Ecclesias Missæ Sacrificium fuisse peractum, ex

traditione compertum est. Constans tamen ac perpetua fuit disciplina, ut, cum facultas daretur, semper in Ecclesiis locisque Deo consecratis Missa celebraretur. (Cfr. Lectio IV, in Festo Dedicationis Archibasilicæ SS. Salvatoris, ad IX Novembris, in Breviario Romano.)

Q. 4. *Quibus nominibus plerumque appellata sunt loca ad divinum cultum erecta ? Explica.*

R. In libris liturgicis, et in historicis monumentis, hæc loca sequentibus decorantur nominibus :

1. Ecclesia (a voce græca ἐκκαλεῖν, concilium hominum solemniter convocare) ; proprie est cœtus populi ad res tractandas ; sed ab ipso cœtu nomen deductum est ad materiale ædificium in quo congregatur, et speciatim in quo congregatur populus Christianus ad cultum divinum publicum et solemnem.

Remansit hoc nomen in linguis neo-latinis, ex. gr., église, chiesa.

2. Dominicum, sive domus Dei (quod respondet voci græcæ Κυριακή) ; quia domus est Domino dedicata, in qua ad Dominum conveniebant fideles.

Græcum nomen retinuerunt linguæ germanicæ, ex. gr., kerk, kirche, church.

3. Titulus ; quæ denominatio occurrit in Breviario Romano, ex. gr., in vitis S. Evaristi, ad diem XXVI Octobris, et S. Marcelli, ad diem XVI Januarii ; designat Urbis Romæ Ecclesias, quæ, aucto fidelium numero, Sacerdotes et ministros habebant sibi addictos, ad baptismum, pœnitentiamque dandam iis qui Christianam religionem susciperent, Ecclesiasque illas deservientes ad instar nostrarum parochialium Ecclesiarum.

Hæc denominatio hodiedum remanet, et Titulus vocatur illa Urbis Romæ Ecclesia, quam Summus Pontifex novo Cardinali Presbytero, post cæremoniam aperitionis oris, committit, et in qua aliquam jurisdictionem iste exercere potest ; unde Cardinalis ordinarie subscribit : N., Tituli N. (ex. gr., Sanctæ Crucis in Hierusalem, id est, Ecclesiæ Urbis Romæ, quæ nomen habet S. Crucis in Hierusalem) Presbyter etc.

4. Basilica ; supra Urbis Romæ cœmeteria communia Christianorum, quæ, extra Urbem sita, dependebant ab

Urbis Titulis, sæpe exstructæ fuerunt Ecclesiæ, dictæ cœmeteriales, et inde a sæculo IV vocatæ Basilicæ ; in quibus ad memorias Sanctorum Martyrum aliquando solemniora officia peragebantur.

Postea, cum in ipsa Urbe recondi cœperunt Sanctuaria, seu Sanctorum Martyrum corpora, vel pignora, etiam Ecclesiæ, in quibus ponebantur, vocatæ fuerunt Basilicæ.

Nomen denotat, vel ædificii magnificentiam ; vel dignitatem, quia dignior est domus Regis omnium, etenim si vocis perquiritur etymologia, regiam seu regis domum significat. Cultores Archæologiæ Christianæ non admittunt, Ecclesias hoc nomine fuisse vocatas, quasi ad usum sacrum a Christianis adoptatæ fuerint profanæ antiquæ Basilicæ, illæ scilicet amplæ domus civitatum, causarum cognitioni, et publicis peragendis negotiis destinatæ, ad quas viri principes ad jus dicendum conveniebant.

Hodie nomine isto donantur, quasi antonomastice, illæ Ecclesiæ, quæ per totum orbem magis sunt insignes, vel ob antiquitatem, vel ob magnitudinem, aut celebritatem.

Distinguuntur autem Basilicæ majores, quæ quatuor tantum numero Romæ sunt, scilicet Lateranensis, Vaticana, S. Pauli, et S. Mariæ majoris ; istæ habent portam sanctam, quæ ineunte Sacri Jubilæi anno aperitur, eoque exeunte clauditur.

Aliæ Basilicæ omnes sunt minores, quæ Romæ novem numerantur ; præterea per totum orbem insigni hoc titulo, ex speciali privilegio Sanctæ Sedis, donatæ fuerunt quædam Ecclesiæ, vel ob structuræ magnificentiam, vel ob maximum fidelium concursum, vel ob alias peculiares rationes.

Patriarchales Basilicæ quoque vocantur quatuor majores Urbis Romæ supra citatæ, quibus adjungitur Basilica minor S. Laurentii extra muros Urbis ; designant istæ quinque Basilicæ tot Sedes Patriarchales quæ in orbe sunt : Basilica Lateranensis scilicet præsignat Sedem Romanam, in qua novus Pontifex Summus instituitur, est enim hæc proprie Ecclesia Summi Pontificis Romani, omnium Urbis et Orbis Ecclesiarum mater

et caput ; Vaticana repræsentat Sedem Constantinopolitanam ; Basilica S. Pauli Sedem Alexandrinam designat ; Liberiana, seu S. Mariæ majoris Antiochenam Sedem refert ; tandem Basilica S. Laurentii extra muros præsignat Sedem Hierosolymitanam.

Basilicarum privilegia communia sunt : usus conopæi, et tintinnabuli, in quibusdam functionibus ecclesiasticis ; in vestibus vero Cleri, si est Ecclesia Cathedralis, aut Collegialis, usus cappæ magnæ.

(Cfr. S. Rituum Congregationis Decretum, 27 Augusti 1836, n. 2744, antiq. 1781 ; et Suffragium super isto Decreto, Vol. IV Collectionis Decretorum, pag. 357.)

5. **Templum** ; hoc nomine tamen Christiani serius (vix etenim tribus prioribus sæculis occurrit) ad designandas Ecclesias uti cœperunt, cum proprium esset ethnicorum. Eversa verum ethnica superstitione, tum demum Templorum nomine Ecclesiæ indicatæ fuerunt illæ, quæ ad sacra celebranda Mysteria erant destinatæ ; imo inde a medio sæculi VI, ipsa paganorum Templa pro Christianorum Ecclesiis ad usum adhiberi cœperunt.

Q. 5. *Indica aliquot ex conditionibus quas Liturgia requirit in construendis Ecclesiis.*

R. 1. « Provideatur, ait Pontificale, quod Ecclesia possit exterius libere circumiri » (Tit. de Consecratione Ecclesiæ) ; eo fine scilicet, ut omnes cæremoniæ Consecrationis exterius faciendæ debite possint peragi. Itaque ædificare oportet Ecclesiam in tali loco, ubi aliquot saltem passibus ab omnibus aliis ædificiis sit disjuncta et separata, ac quasi in insula posita. Quod si ob annexas constructiones, vel alia loci impedimenta, vel ob civilis gubernii prohibitionem Ecclesia undique circumiri nequeat, Episcopus se gerat meliori modo quo possit, nihil tamen de reliquis cæremoniis et ritibus præscriptis omittens. (S. Rituum Congregatio, Decret. 23 Aprilis 1895, n. 3852.) Et quidem in casu externa cæremonia in sacrario, sive in atrio vel alio in loco et cubiculis eidem Ecclesiæ adnexis incipienda est ; murorum vero aspersiones eo quo potest modo sunt peragendæ, et sufficit ut fiant per illas partes in

quibus aditus patet. (Decreta 19 Septembris 1665, n. 1321, antiq. 2343, ad 1; et 22 Februarii 1888, n. 3687, ad 1.)

2. Licet libri liturgici non requirant ut ædificetur Ecclesia eo modo, ut Chorus, aut Altare majus sint ad Orientem, hujusmodi antiquum morem tamen aliquando videntur servatum supponere. (Cfr. Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. VIII, n. 44, in fine.) Probatam hanc traditionem testantur, tum multi ecclesiastici scriptores, tum fere omnes nostræ Ecclesiæ. Quare multi auctores, inter quos S. Carolus Borromæus (*Instructiones fabricæ ecclesiasticæ*, Lib. I, Cap. X), præscribunt, ut Altaris majoris ædificatio vergat ad æquinoctialem Orientem, aut, si nullo modo ita fieri possit, saltem ad meridiem versus, nequaquam vero ad septentrionem.

Insuper experientia constat, hujusmodi Ecclesiæ dispositionem quam maxime congruere pro ipsius ædificii ejusque supellectilis debita conservatione, præsertim in nostris regionibus, ubi ex Occidente plerumque imbres effluunt.

3. Non licet, sed et omnino prohibetur habitare diu noctuque, et etiam dormire in domibus ædificatis super Cappellis in quibus Missa celebratur. (S. Rituum Congregatio, Decret. 11 Maji 1641, n. 756, antiq. 1325.)

Attamen, sequentem locorum dispositionem licite servari posse rescripsit S. Rituum Congregatio : « Super Oratorium Societatis (Religiosorum), in quo Missæ quotidie celebrantur, atque asservatur SSmum Eucharistiæ Sacramentum, adest locus ad ambulandum destinatus, camera tamen lapidea ac crassa ab Oratorio ipso separatus ; cui loco superexstructum est cubiculum pro habitatione novitiorum. » (Decret. 27 Julii 1878, n. 3460, antiq. 5742, ad 1.)

Eadem S. Congregatio indulsit quidem, in casu particulari, ut in domibus Instituti Filiarum Charitatis « SS. Eucharistiæ Sacramentum servetur in Sacellis quæ dormitorio puellarum educandarum subsunt ;..... siquidem haud possint sine gravi incommodo ac damno alia loca pro dormitoriis ipsis a præsenti usu libera reddere » : sed concessum hoc fuit a S. Congregatione

« pro gratia, et ad mentem : mens est ut Altari imponatur ampla Umbella, vulgo Baldachinum. » (Decret. 23 Novembris 1880, n. 3525, ad 2, antiq. 5819, ad 3.) Animadvertendum est ita fuisse indultum « pro gratia », et ideo absque novo et speciali Indulto idem ab aliis fieri non posse.

Inter Quæstiones pro Visitatione Apostolica Urbis ejusque Districtus, a SS. D. N. Pio Papa X, die 11 Februarii 1904 indicta, proponitur pro Oratoriis privatis sub n. 12 sequens, « an supra Altare habetur baldachinum ? Istud præscriptum est si supra Oratorium habetur altera ædium pars, *un altro appartamento.* » (Cfr. Acta Sanctæ Sedis, XXXVII, 1905, pag. 404.)

4. Cum Ecclesia aliqua consecratur, « debet cum ipsa omnino consecrari Altare majus, nam istud est principale ; et si hoc tantum sit in Ecclesia, sufficit ; alia vero sunt accessoria, pro quibus datur Consecratio distincta, sine Ecclesiæ consecratione. » (S. Rituum Congregatio, Decret. 19 Septembris 1665, n. 1321, antiq. 2343, ad 2.)

Valide quidem, sed non licite consecraretur Ecclesia, omissa Consecratione Altaris, quamvis aliqua vel omnia Altaria jam consecrata reperiantur ; et servandus omnino est ordo Rituum Pontificalis Romani, ut integritas Consecrationis perficiatur. (Decret. 19 Maji -8 Junii 1896, n. 3907, ad 1.)

Notandum insuper, oportere, ut in Ecclesiis, quæ solemniter ab Episcopo consecratæ fuerunt, remaneat semper Altare fixum, et non adsint tantum Altaria portatilia ; et ideo S. Rituum Congregatio rescripsit, quod in hujusmodi Ecclesiis, ubi nullum exstat Altare fixum, « quam primum fieri possit, consecretur Altare fixum, præsertim Altare majus, in forma consueta, juxta Pontificale Romanum. » (Decret. 4 Februarii 1898, n. 3978, ad 6.)

5. Antequam Ecclesia consecratur, intrinsecus in parietibus duodecim Cruces debent depingi, aut insculpi lapidibus marmoreis, videlicet, tres in quolibet ex quatuor parietibus, juxta Pontificale ; aut « sex in parte dextera, sex aliæ in sinistra appareant : ita tamen ut duæ sint prope Altare majus, et duæ prope Ecclesiæ

januam », juxta Decretum S. Rituum Congregationis, 31 Augusti 1867 (n. 3157, ad IV, antiq. 5381, ad V) ; quæ Cruces inunguntur sacro Chrismate ab Episcopo consecrante, et in testimonium Consecrationis omnino perpetuis futuris temporibus remanere debent (Decret. 18 Februarii 1696, n. 1939, antiq. 3382) ; quod si fuerint deletæ aut destructæ, iterum apponi aut depingi debent, omissa tamen unctionis cæremonia. (Decret. supracitatum 31 Augusti 1867 ; et Decret. 28 Junii 1879, n. 3498, antiq. 5787.)

6. Non licet « partem adhibere, quæ jacet subter pavimentum Ecclesiæ,præsertim consecratæ,ut cellarium et aliud hujusmodi, ad retinendum ibi vina et alias res mere profanas, quamvis aditus ad prædicta loca sit extra corpus Sacri Ædificii. » (S. Rituum Congregatio, Decret. 31 Augusti 1867, n. 3157, ad 5, antiq. 5381, ad 6.) Neque licet uti subterraneis locis Ecclesiarum, ut ibi « spectacula, theatri more, ad juventutem præsertim honeste exercendam » peragantur, « utpote quod Ecclesia cum sua parte subterranea consecratur per modum unius » (Decret. 4 Maji 1882, n. 3546, antiq. 5841, ad 1), et de Consecratione loci superioris participat locus inferior.

7. Ecclesia constructa ex ligno non potest consecrari secundum ritum Pontificalis Romani ; et Ecclesia hujusmodi benedicatur solemniter juxta Rituale Romanum. (Decret. 11 Aprilis 1902, *S. Salvatoris in America* ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 292.)

Nota. Præter conditiones præcedentes ex ipsis Liturgiæ fontibus desumptas, sequentia quoque præ oculis habeantur practica monita pro Ecclesia ædificanda vel instauranda, quæ a probatis auctoribus proponuntur :

1. Locus eligatur siccus, et in eo ipsa Ecclesiæ structura exsurgat eminentior ; ita ut ad Ecclesiæ januam saltem tribus gradibus a loci planitie sit ascendendum ; quod fiat ad humiditatem præcavendam.

2. Præstat ea Ecclesiæ forma, quæ, jam inde ab Apostolicis fere usque temporibus ducta, Crucis oblongæ speciem exhibet ; eo modo, ut linea Crucis recta efformet Chorum, seu Sanctuarium, seu Presbyterium et navem Ecclesiæ ; linea Crucis transversa vero effor-

met navem transversam (kruisbeuk, transept). Ordi-



narie navi Ecclesiæ adjungitur ab utraque parte navis lateralis, et Choro ab utraque parte Cappella. Vide figuram juxta positam.

3. In superiori parte, sub tecto, sit camerato opere munita Ecclesia tota, aut saltem Chorus, ubi Altare majus collocatur ; quod si fabricæ paupertas id non permittat, muniatur saltem opere tabulato.

4. Ostium Ecclesiæ præcipuum, cum atrio seu porticu, ponitur in fronte navis ; aliud ostium vel etiam plura a lateribus disponere ad commoditatem juvat, præcipue diebus magni concursus populi aperienda. Prope ostium unumquodque fons aquæ benedictæ nitidus ponendus est. — Fenestræ ita construentur ut quædam ex eis pro parte aperiri possint ad aerem renovandum.

5. Turris ordinarie exstruitur in fronte navis, versus Occidentem ; poterit tamen etiam construi, vel in angulo utriusque navis rectæ et transversæ a parte Aquilonis, vel supra mediam Ecclesiam, ad utriusque navis intersectionem.

6. Baptisterii locus est prope ingressum Ecclesiæ, a parte Aquilonis ; alius non admittatur. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 62.)

7. Sacristiæ situs, magis accommodatus ad paramentorum ac sacræ supellectilis ab humiditate conservationem, est a parte Australi.

8. Suggestus, seu ambo, ex quo verbum vitæ prædicatur, congruentius statuetur a parte Evangelii, non longe admodum ab Altari majori, prope ingressum Chori, loco conspicuo, unde concionator ab omnibus et conspici et audiri valeat.

9. Confessionalia loco aperto et patenti, extra Cappellarum ambitum constituentur, melius in navibus lateralibus, partim a meridionali regione, partim a septentrionali.

10. Sub ipso ingressus Chori seu Presbyterii arcu, qui vocatur triumphalis, Crucis et Christi Domini in ea affixi magna et prælta imago, pie decoreque expressa proponatur, apteque collocetur.

11. Pavimentum Ecclesiæ sit ex marmore vel lapideum ; et ubi in quibusdam partibus Ecclesiæ admittitur ligneum, sit tunc quercicum vel aliud similiter durabile. — Pavimentum Cappellæ majoris, seu Chori, altius Ecclesiæ solo ponatur, ut eminentior Sanctuarii majestas ita commonstretur, et Sacerdos ad Altare

stans ab omnibus qui in Ecclesia sunt possit videri ; gradus itaque ad Chori ingressum ponantur saltem tres, vel quinque.

12. Quia Altare majus debet posse, quantum fieri valet, ab omnibus conspici, ut jam pateat majori parti fidelium qui navem transversam occupant, congruenter aperta retinebitur ab utroque latere anterior Chori, vel Presbyterii sectio, et non muro pleno separabitur hæc a Cappellis consueto ab utraque parte Chori positis.

13. Separatus sit ab Ecclesiæ navibus Chorus cancellis, ex ligneo opere tornatili, aut ex ferro, aut ex marmore decore confectis, qui simul usui esse possint populo communicanti ; ad quem finem inter gradus Chori et cancellos aliquod spatium relinquatur, ut eo facilius Sacerdos, et commode et decenter, Sacram Communionem distribuere queat.

14. Odeum cum organo, in Ecclesiis nostris consueto quam longe fieri potest ab Altari ad occidentalem Ecclesiæ partem relegatum, rectius exstruetur prope Chorum ; scilicet, vel in ingressu Chori, ita tamen ut aspectus Altaris liber omnino remaneat, vel a parte Aquilonis in navi transversa, prout dispositio permittet ; ut obtineatur liturgicus sacri cantus finis, et pia communicatio Celebrantem inter et cantores, tempore præsertim SS. Missæ Sacrificii.

In Encyclica, a Cardinali Vicario Urbis sub Pio Papa IX, 18 Novembris 1856, missa ad Ecclesias Urbis Romæ, præcipitur, quod, quoad fieri potest, cantoria, seu tribuna organi, in qua cantores tempore Divini Officii suo munere funguntur, ad latera Altaris apte constituatur. Et revera in plerisque Urbis Ecclesiis cantoria, seu odeum prope Altare vel Chorum ponitur. (Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 658.)

Cfr. S. Carolus Borromæus. *Instructionum fabricæ ecclesiasticæ et supellectilis ecclesiasticæ libri duo.*

Jacobus Miller. *Ornatus ecclesiasticus.* Monachii. 1591.

G. Jakob. *Die Kunst im Dienste der Kirche.* 5 Auflage. Landshut. 1901.

G. Heckner. *Praktisches Handbuch der Kirchlichen Baukunst.* 2 Auflage. Freiburg. 1891.

Mallet. *L'art chrétien. Entretiens pratiques.* Paris, 1899.

SECTIO II

De loco proximo celebrationis, seu de Altari

Q. 6. *Quid est Altare? Unde nomen habet?*

R. Altare est mensa quæ destinatur ad Missæ Sacrificium conficiendum et offerendum.

Dicitur Altare ab altitudine, quasi sit alta res, vel alta ara; vox ara autem a verbo græco ἄ̓ρω, elevare, derivatur.

Q. 7. *Qualia erant primis Ecclesiæ temporibus Altaria?*

R. Apostolos eorumque discipulos, ad imitationem Jesu Christi, in ligneis mensis Missam celebrasse, traditione compertum habetur : Romæ in Basilica Lateranensi una, et in Ecclesia S. Pudentianæ altera asservatur pars Altaris lignei, in quo S. Petrus Missam celebrasse dicitur. Sed et primis Ecclesiæ temporibus, Altaria non pauca jam fuisse lapidea, aliaque ex argento aurove fusa, certum est.

In Breviario Romano refertur (ad IX Novembris, in Festo Dedicationis Archibasilicæ SS. Salvatoris), Beatum Silvestrum Papam decrevisse, ut deinceps nisi ex lapide Altaria non ædificarentur. Deinde iterum, sæculo VI, per Concilii Epaonensis decretum statutum fuit, non nisi lapidea Altaria unctione Chrismatis posse sacrari. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIX, 1905, pag. 418.)

Q. 8. *Quid significat Altare?*

R. Altare Dominum Jesum Christum significat, ut dicitur in Pontificali Romano (in ordinatione Subdiaconi) : « Altare quidem sanctæ Ecclesiæ ipse est Christus, teste Joanne, qui in Apocalypsi sua Altare aureum se vidisse perhibet, stans ante thronum ; in quo et per quem oblationes fidelium Deo Patri consecrantur. »

Lapideum est, quia lapidi et petræ Christus in S. Scriptura comparatur, dicente Paulo : « Petra autem erat Christus » (I Cor., Cap. X, ℣. 4) ; et Petro : « Ad quem accedentes lapidem vivum... lapidem summum, angularem, electum, pretiosum » (I Petri, Cap. II, ℣℣. 4, 6).

Ex quo observat S. Thomas convenientiam statui disciplinæ, ne alia erigantur Altaria quam lapidea, nec nisi super petra consecrata Missa celebretur. (III Part. Q. 83, Art. 3, ad 5.)

Materiam illustrandam de Altari breviter definit Titulus XX Rubricarum generalium Missalis, sequentia de Altari præscribens :

« Altare, in quo sacrosanctum Missæ sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, et ab Episcopo, sive ab Abbate facultatem a Sede Apostolica habente consecratum : vel saltem ara lapidea, similiter ab Episcopo, vel Abbate, ut supra, consecrata, in eo inserta, quæ tam ampla sit, ut Hostiam et majorem partem Calicis capiat. Hoc Altare operiatur tribus mappis, seu tobaleis mundis, ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata. Pallio quoque ornetur coloris, quoad fieri potest, diei Festo, vel Officio convenientis. Super Altare collocetur Crux in medio, et Candelabra saltem duo cum candelis accensis hinc et inde in utroque ejus latere. Ad Crucis pedem ponatur Tabella Secretarum appellata. In cornu Epistolæ cussinus supponendus Missali : et ab eadem parte Epistolæ paretur cereus ad elevationem Sacramenti accendendus, parva campanula, ampullæ vitreæ vini et aquæ cum pelvicula, et manutergio mundo in fenestella, seu in parva mensa ad hæc præparata. Super Altare nihil omnino ponatur, quod ad Missæ sacrificium, vel ipsius Altaris ornatum non pertineat. »

Hæc in Rubricis Missalis præscribuntur : alia insuper traduntur, præsertim quoad Altaris ornatum, in Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. 12, et 14), quæ suo loco in sequentibus signabuntur. Ex proposita materia dividitur hæc Sectio in duo Capita, quorum primum aget de Altari ipso, ejusque structura, alterum de Altaris ornatu.

CAPUT I

De Altari ejusque structura

Q. 9. *Quænam sunt conditiones requisitæ in ipso Altari ut in eo Missæ Sacrificium possit celebrari ?*

R. Altare debet esse 1° lapideum, 2° ab Episcopo consecratum.

Q. 10. *An tota structura semper debet esse lapidea ?*

R. Si quæstio ponitur de Altari quod tamquam

fixum consecratur, quale debet esse Altare majus, quod simul cum Ecclesia consecratur, tunc tota structura debet esse lapidea ; — si vero ponitur quæstio de Altari non liturgice fixo, sed de structura ad formam Altaris fixi, et non consecrata, in qua inseritur Ara lapidea consecrata, quæ Altare portatile dicitur, tunc structura non debet esse lapidea, sed potest esse et alterius materiæ.

Q. 11. *Quid est Altare fixum, liturgice sumptum ?*

R. Altare fixum vocatur illa structura quæ constat basi, seu stipite ex lapide, et tabula, seu mensa lapidea, quæ totam superficiem basis seu stipitis tegit ; quæ mensa, 1° cæmento unitur cum stipite lapideo cui imponitur, ita ut unum totum cum eo efficiat ; — 2° sacra unctione Chrismatis ab Episcopo conjungitur in quatuor suis angulis inferioribus cum stipite, ita ut non tantum mensa, sed et stipes simul cum ea, seu integrum Altare consecratum censeatur.

Q. 12. *Quid est Altare portatile, liturgice sumptum ?*

R. Altare portatile, quod Rubricæ vocant Aram, est simplex lapis, ab Episcopo consecratus, satis amplus ut Hostiam et majorem partem Calicis capiat ; hic lapis mensæ, vel stipiti, ex ligno aliave materia confectis, absque nexu imponitur, et unctione sacra cum stipite non conjungitur.

Q. 13. *Indica quomodo differt Altare fixum a portatili, sub respectu eorum Consecrationis, et quoad Consecrationis effectum.*

R. I. Sub respectu Consecrationis, differt Altare fixum a portatili, in eo, quod Altare fixum speciali et solemniori ritu consecratur in honorem Dei, et ad nomen alicujus Sancti ; cujus Sancti nomen sæpius in precibus Consecrationis invocatur, qui erit Titularis unde nomen accipiet Altare, et cujus solius imago super Altare collocari potest. Consecratio Altaris fixi potest fieri ad nomen non tantum alicujus Sancti, sed et etiam ad nomen alicujus Mysterii, ex. gr., Sanctissimæ Trinitatis, Sanctæ Crucis, etc.

Altare portatile vero simpliciori ritu consecratur in

honorem Dei, absque ulla specialis Sancti, aut Mysterii memoria ; unde non habet Titulum, et inseri potest cuicumque structuræ formam Altaris habenti, et quamlibet imaginem exhibenti.

II. Quoad effectum Consecrationis, differt Altare fixum a portatili, in eo, quod Altaris fixi structura tota, stipes seu basis scilicet, et mensa quæ cum stipite conjungitur, Consecratione gaudet ; et proinde intacta tota omnino servanda est ; ita ut si mensa a stipite auferatur, Altare fixum eo ipso statim amittat suam Consecrationem.

In Altari portatili vero, Consecratio nihil præter lapidem afficit, qui, ubicumque ponitur, numquam censeri potest unitus structuræ ad formam mensæ, cui imponitur ; et proinde potest auferri, et de loco in locum transferri, quin amittat suam Consecrationem.

Equidem structura ad modum Altaris, cui Altare seu Ara portatilis imponitur, potest et ipsa esse fixa, seu non movibilis, parieti nempe, aut columnæ, aut pavimento fixe adhærens ; sed ideo non erit Altare liturgice fixum, quia non habet mensam sacra unctione in Consecratione stipiti seu basi conjunctam ; unde si amovetur de structura hujusmodi Ara portatilis, aut si ipsa structura de loco in locum transfertur, nullimodo quid amittere potest de Consecratione, quia Consecratione non gaudebat.

Q. 14. *An non quandoque a Sacris Congregationibus alio sensu quam liturgico Altare fixum intelligitur ?*

R. Affirmative ; scilicet in materia Altaris privilegiati.

Q. 15. *Quid intelligitur per Altare privilegiatum ?*

R. Est Altare, cui adnexum est privilegium, ut, quandocumque Sacerdos aliquis sæcularis, vel cujusvis Ordinis, Congregationis seu Instituti regularis, Missam Defunctorum ad prædictum Altare celebrabit, anima Christi fidelis, quæ Deo in charitate conjuncta ab hac luce migraverit, et cui hoc privilegium applicatur, ipsa de thesauro Ecclesiæ per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut a purgatorii pœnis liberetur.

Dicitur in responso, celebrandam esse **Missam Defunctorum**, id est, Missam de *Requiem* : hoc intelliga-

tur pro illis diebus quibus non prohibentur Missæ de *Requiem* ; nam diebus quibus per Rubricas non licet Missas de *Requiem* celebrare, Missæ celebratæ de Festo occurrente habent eamdem vim, et indulgentias, perinde ac si essent celebratæ de *Requiem* ; imo Sacerdos celebrans in Altari privilegiato, legendo Missam de Festo semiduplici, simplici, votivam, vel de feria non privilegiata, sive ratione expositionis SS. Sacramenti, sive Stationis Ecclesiæ, vel alterius solemnitatis, quæ Missam de *Requiem* prohibent, fruitur privilegio, ac si legeret Missam de *Requiem* per Rubricas eo die permissam. (S. Congregatio Indulgentiarum, Decret. 11 Aprilis 1864, n. 404.) De Altari privilegiato agitur in Theologiæ Tractatu de Indulgentiis, n. 15.

Q. 16. *Quis est, in hac materia Altaris privilegiati, sensus* Altaris fixi, *ubi præscribitur Altare debere esse fixum, ut possit privilegiari ?*

R. Altare privilegiatum in casu, si non sit liturgice fixum (cfr. Q. 11), debet esse fixum hoc sensu, ut structura ad modum et formam Altaris, sive sit lapidea, vel etiam lignea, aut alterius materiæ, non possit a loco suo dimoveri, sed aut parieti, aut columnæ, aut pavimento immobiliter inhæreat ; aut saltem, ut structura hujusmodi continuo et semper stet erecta, et ex destinatione sua numquam e loco suo dimoveatur ; — lapis consecratus autem, huic structuræ pro Missæ celebratione impositus, liturgice portatilis esse potest, et a stipite amovibilis (cfr. Q. 12), et unus quidem potest alteri suffici. — Privilegium itaque Altari adnectitur, non propter solemnem Altaris tamquam liturgice fixi Consecrationem, sed propter locum, quem in Ecclesia firmiter occupat ; adhæret non tam lapidi consecrato, quam structuræ fixæ basis seu stipitis, cui lapis imponitur.

Nota. Ex tenore quorumdam Decretorum S. Congregationis Indulgentiarum videbatur requisitum pro privilegio, quod structura Altaris non liturgice fixi saltem sit fixa et stabilis eo sensu ut a loco non possit dimoveri. (Cfr. Decreta 27 Novembris 1764, n. 234 ; et 20 Martii 1846, n. 334.) Hanc vero dispositionem ea-

dem S. Congregatio recentiori Decreto moderavit, et declaravit sufficere pro privilegio, quod Altare hujusmodi, etiam muro minime firmatum, neque pavimento inamovibiliter adhærens, ex destinatione sua continuo et semper stet erectum, et Sancto alicui specialiter sit dicatum. (Decret. 18 Julii 1902, *Cortonensis*; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 136, et Commentarium, pag. 138.) Non igitur privilegio gaudere potest Altare quod huc vel illuc in Ecclesia vel Oratorio erigitur ob aliquam causam momentaneam, quodque vocatur viaticum, mobile, vel etiam hoc sensu portatile.

Q. 17. *Quid intelligitur per Altare dictum* viaticum, *de quo aliquando in Decretis quæstio est?*

R. Altare viaticum, seu **itinerarium**, seu Ara viatoria, intelligitur Altare quod constat tantum ex lapide integro, tantæ saltem magnitudinis, ut Hostiam et majorem partem Calicis capere possit; verbo, est simpliciter Altare liturgice portatile, et aliud hujus nomen, et aliquando in Decretis eo nomine etiam vocatur; inservit celebrationi Missæ pro iis qui facultatem habent Missam celebrandi ubicumque degant, extra Ecclesiam aut Oratorium, in quocumque loco honesto, adhibitis lapide super tabulam posito cæterisque ad celebrandum necessariis; quali facultate gaudent, servatis servandis, Episcopi et Missionarii, ut infra in Nota dicetur.

Altare **viaticum**, seu potius **mobile**, aliquando etiam intelligitur, non solus lapis portatilis, sed et ipsa structura in forma Altaris cui lapis imponitur, quæ pro Altari erigitur in Ecclesia vel Oratorio ob causam momentaneam, et non continuo et semper stat erecta, quæque loco moveri, et de uno in alium transferri potest. Tale est Altare, quod occasione alicujus solemnitatis, ex. gr., mensis Mariani, ad tempus in Ecclesia erigitur, et postea aufertur. — Tolerari posse consuetudinem erigendi Altare mobile in Ecclesiis vel Oratoriis publicis, occurrentibus quibusdam solemnitatibus, pluribus Decretis declaravit S. Rituum Congregatio. (Decreta 4 Februarii 1898, n. 3978, ad 4; et 11 Septembris 1847, n. 2951, ad 6, antiq. 5102, ad 7.) In hoc ultimo citato Decreto S. Congregatio adjunxit condi-

tionem, nempe esse « cavendum ne Altare portatile sepulchro immineat » ; super quo postea longius dicetur. (Cfr. Q. 21, ad 2.)

Nota. In jure canonico exstat privilegium Episcoporum, ut ipsi ubique Altare viaticum, seu mobile, seu petram consecratam secum habeant, ad effectum celebrationis ; quod intelligitur, si e domo propria ordinariæ habitationis absentes, moram faciant in aliena domo per modum similis habitationis, aut si in domibus laicorum privatis forte occasione visitationis, vel itineris hospitio excipiantur ; non autem ut cuipiam viro laico gratum facerent. (Cfr. Benedictus XIV, *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*, Lib. III, Cap. VI, nn. 5, 6.) — Summus Pontifex Leo XIII, postulante S. Rituum Congregatione, concessit « ut deinceps Episcopi omnes, sive Diœcesani sive Titulares, eodem privilegio condecorentur, quo fruuntur Patres Cardinales ; scilicet, ut, non solum ipsi in propriæ habitationis Oratorio, aut super Ara portatili, ubicumque degant, Missam facere aliamque in sui commodum permittere valeant ; sed etiam fideles omnes alterutram ex eisdem Missis audientes, quoties opus fuerit, præceptum Ecclesiæ adimpleant. » (Decret. 19 Maji-8 Junii 1896, n. 3906.)

Missionariis solet a Sancta Sede concedi ampla facultas celebrandi in quocumque loco decenti, ubi non sunt Ecclesiæ vel Oratoria, adhibitis Ara consecrata cæterisque ad celebrandum necessariis, et servatis conditionibus in facultate statutis.

Dicendum est in sequentibus de Altaris liturgice sumpti, tum fixi, tum portatilis, mensuris, de materia, de stipite, de mensa, de Sepulchro Reliquiarum quæ in Altari recluduntur, et de Altaris exsecratione.

ARTICULUS I

De Altari fixo

Cfr. Instructio quam de modo construendi Altare fixum dedit Episcopus Leodiensis, 10 Februarii 1851. (Mélanges théologiques, 5 série, pp. 128, etc.)

§ 1. De Mensuris

Q. 18. *Quas dimensiones convenit habere Altare, ut commode ritus Missæ a quolibet Sacerdote servari possint ?*

R. Dimensiones seu mensuras Altaris ipsæ Rubricæ non præscribunt ; nihilominus, ut ratio rei postulat, Altare erigi debet eo modo, ut decenter et commode omnes Missæ, et aliarum functionum cæremoniæ, a quocumque Sacerdote, vel solo, vel cum suis ministris, in eo perfici queant. Secundum varios auctores possunt ut aptiores adhiberi sequentes dimensiones Altaris :

Altitudo supra suppedaneum sit communiter unius metri, vel ad summum 105 centimetrorum, et ad minimum 95 centimetrorum.

Longitudo, intellige spatium de cornu Evangelii ad cornu Epistolæ, si quæstio est de Altari majori, sit, pro Ecclesiæ et Presbyterii dimensione, a 250 ad 300 centimetra ; — pro minori Altari convenit ut sit duorum metrorum, et ad minimum 150 centimetrorum.

Latitudo, seu profunditas, intelligendo spatium mensæ frontem inter et pedem Crucis, aut gradum candelabrorum, aut Tabernaculum, sit ad minus 50 centimetrorum ; melior est 60 centimetrorum ; et maxime congruens 70 centimetrorum, præsertim in Altari in quo non ponitur Tabernaculum.

Ab anteriori, et ab utraque laterali Altaris parte, gradus producantur regulariter tres ; oportet ut habeatur ad minus unus, qui dividat Altare a planitie (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Junii 1663, n. 1265, antiq. 2223, ad 4) ; et ubi pro Ecclesiæ Altarisque majoris amplitudine fieri potest, adsint gradus quinque. In omni casu, sit semper impar numerus graduum. Gradus superior, dictus **suppedaneum, piedrella, pradella,**

habeat latitudinem seu profunditatem ad minus 115 centimetrorum, ut Sacerdos commode possit ad Altare genuflectere ; cæterorum graduum sit latitudo 38 centimetrorum, altitudo 14 centimetrorum. (Vid. fig. 1.) Gradus regulariter construantur ex lapide, vel marmore ; suppedaneum vero sit ligneum. (Decret. 2 Junii 1883, n. 3576, antiq. 5874, ad 1.)

Fig. 1.



§ 2. De Materia

Q. 19. *Ex qua materia confici debet Altare fixum ?*

R. Ecclesia præscribit ut Altare sit e lapide, quo nomine intelligitur quæcumque species lapidea, sive pretiosa, sive communis, seu ordinaria ; sive unius, sive mixti coloris. Requiritur lapis naturalis ; non toleratur artificialis, licet veri lapidis similitudinem præseferat, qualis est dictus « ciment, asphalte, plâtre, terre cuite », et alia hujusmodi.

Hæc regula certo existit pro mensa Altaris ; liceret tamen stipitem, si non posset ex lapidibus confici, construere lateritium (baksteen, briques), servatis conditionibus infra Q. 21, ad 5^{um}, indicatis.

§ 3. De Stipite

Q. 20. *Quid intelligitur per Stipitem Altaris fixi ?*

R. Stipes, qui et basis, et titulus dicitur, est structura lapidea, vel saltem lateritia, cui Altaris mensa imponitur, quamque mensa totam tegit, cui mensa inseparabiliter unitur, et quæ simul cum mensa consecratur.

Q. 21. *Indica quædam observanda in constructione Stipitis Altaris fixi.*

R. I. Stipes debet construi super pavimento Ecclesiæ, seu debet esse fixus in pavimento, ita ut dimoveri nequeat; licet hoc non sit de essentia Altaris fixi, tamen est omnino servandum.

2. Stipes construi non potest super alicujus sepulchro, sed providendum est, quod cadavera non existant subtus Altare; non semel enim declaravit S. Rituum Congregatio, non licere Missæ Sacrificium celebrare in Altari, sub quo existunt cadavera defunctorum; imo, in casu cujusdam Altaris, in quo Missæ ex obligatione debebant celebrari, mandavit Missas non esse celebrandas in eo Altari, donec sint sub eo cadavera, quæ exhumari debebunt; concedens ut interim obligationi satisfieret, celebrando Missas in alio Altari. (Decret. 7 Julii 1766, n. 2479, antiq. 4332.)

Quænam vero distantia intercedere debeat inter Altare, et cadavera quæ in Cœmeteriis vel Ecclesiis sepulta sunt, declaravit S. Rituum Congregatio, per Decretum 12 Januarii 1897 (n. 3944, ad 2), quo ad propositum dubium censuit respondendum: « Cadavera ab Altari tribus cubitis distare debere; et tres cubitos esse fere unum metrum longitudinis; atque hanc distantiam sepulcrorum ab Altari sufficere. » Super quo Decreto animadvertendum, hanc distantiam non amplius intercedere debere, ut lex servetur, inter gradus vel gradum Altaris et cadaver sepultum; sed sufficere ut intercedat inter cadaver sepultum et ipsum Altare (Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 699); deinde, mensuram unius metri respicere, non profunditatem sepulturæ subtus Altare, sed distantiam lateralem ab Altari.

Ad dubium propositum pro casu particulari: « An distantia 80 vel 90 centimetrorum sufficiat ab Altari, vel hæc distantia debeat esse unius metri integri? » S. Congregatio rescripsit: « Standum Decreto n. 3944. » (Decret. 30 Augusti 1904, *Vicen.*, ad 2; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 633.)

Nota. Si in Ecclesia vel Oratorio adsit substructa crypta cum camera lapidea, et in hac crypta humata

sint cadavera, hæc non sunt causa suspensionis pro Altaribus super cryptam in Ecclesia vel Oratorio erectis. Etenim expositum fuit S. Rituum Congregationi quod in quibusdam Ecclesiis Altare « exstat super cryptam in qua sunt plura cadavera humata, ita ut Altare separatum sit a loculis mortuorum tantum per cameram lapideam ipsius cryptæ », et « in linea recta sub Altari sint cadavera in pavimento cryptæ. » Ad dubium : « An licitum sit in prædictis Altaribus Sacrosanctum Missæ Sacrificium peragere ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 18 Julii 1902, *De Queretaro*, ad 6 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 498; cfr. etiam Decret. 27 Julii 1878, n. 3460, antiq. 5742, ad 2.)

3. Ut satisfieri possit ritui Consecrationis Altaris, stipes non potest esse fixus in pariete, seu parieti muri Ecclesiæ colligatus, sed debet posse libere circumiri. Etenim, ipse Pontifex circuit septies Altare pro ejusdem aspersione, et insuper aliquoties pro ejusdem thurificatione ; et Sacerdos continue Altare circuit illud incensando, tempore unctionum super mensam.

Hæc dispositio servetur oportet pro Altari majori ; pro reliquis Altaribus minoribus non ita urgenda est lex, et ritus aspersionis et incensationis tunc observantur quo meliori possunt modo, faciendo supra mensam Altaris quod alias fieret ad partem posteriorem.

4. Stipes sit formæ quadratæ oblongæ, quam Rubricæ et Pontificale semper supponunt. Attamen hæc quadrata forma non expresse præscribitur, et stipes potest construi ad modum tumbæ, vel sarcophagi ; dummodo in eo, sicut et in superposita mensa, adsint quatuor anguli in quibus unctiones sacræ fieri possint (cfr. infra 4°) ; unde stipes formæ rotundæ seu circularis impar consecrationi dicendus est.

5. Stipes proprie debet lapidibus confici ; verum lex ista non eo urgenda est, ut et alia materia plus minusve lapidea, seu ex lapide non naturali, admitti pro parte non valeat ; etenim, deficiente lapide naturali, stipes potest confici lateribus (baksteen, briques) ; verum si lateribus conficitur, omnino oportet ut ad angulos quatuor in quibus unctiones fiunt, adhibeantur

veri lapides, seu columellæ lapideæ, quibus mensa insideat, quæque cum mensa ipsa per sacram unctionem conjungantur. Ad dubium hac de re propositum, S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Ut Altare consecrandum sit lapideum, oportet, ut etiam in ejus stipite saltem latera, seu columellæ quibus mensa sustentatur, sint ex lapide. » (Decret. 7 Augusti 1875, n. 3364, antiq. 5621, ad 2.) Vide figuram 1, ad litt. P. — Notare juvat quod si latera, seu columellæ, juxta Decretum debent esse ex lapide, non eousque tamen urgendus sit dicendi modus, quasi deberent esse ex uno lapide ; profecto admitti potest columella cujus partes, basis nempe, truncus et capitellum sunt ex diversis lapidibus, ad formam unius cœmento aut calce firmiter conjunctis. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 558.) — Constructio sit solida, cum Altare debeat in perpetuum remanere ; et decens, ac pulchra, quia Altare significat ipsum Christum Dominum. (Cfr. Q. 8.)

6. In cæremonia Consecrationis Altaris fixi præscribitur, ut Pontifex inungat Sacro Chrismate, in modum Crucis, frontem Altaris, scilicet in media parte anteriori Stipitis : ideo in hac media parte anteriori Stipitis debet depingi crux, vel innexa haberi crux metallica, aut lapidea, super quam fit unctio. (Cfr. infra 4° in fine.)

7. Stipes debet esse plenus ; quod intelligendum est, non ita ut nihil omnino vacui subtus Altaris mensa habeatur, sed, quod tabula Altaris innitatur super quatuor lateribus Stipitis, ita clausis ut post Consecrationem nihil intra Altare immitti possit, etiamsi vacuum sit in interiori parte. (Decret. 28 Septembris 1872, n. 3282, antiq. 5525.) Nefas enim est adhibere Altare ad usum armarii, quod a parte postica aut laterali aperitur, ut varia in eo possint deponi. (Cfr. infra 4°.)

Hanc tamen conditionem Stipitis pleni, seu cujus quatuor latera sint clausa, non ita stricte requiri dicendum est. S. Rituum Congregatio enim declaravit, consecrari posse Altaria « omni ex parte lapidea, sed ita ordinata ut Tabula lapidea super Stipitem itidem lapideum ex utraque parte reponatur, relicto in medio spatio quodam vacuo, sub quo recondantur Capsæ sa-

crarum Reliquiarum ita commode dispositæ, ut oculis fidelium diebus saltem solemnioribus appareant » ; item, consecrari posse « Altaria fixa, quæ omni ex parte super Stipitem reponuntur, sed ab anteriori parte columnolis nituntur, quæ Stipitis locum habent circiter ad medietatem tabulæ. » Conditionem tamen apposuit S. Rituum Congregatio, dicendo « hæc ipsa Altaria supra expressa consecrari posse, dummodo omni ex parte stipitibus adhæreant. » (Decret. 20 Decembris 1864, n. 3126, antiq. 5338.) — Ex his dictis resolvi posse videtur :

1° Altare, cujus tabula reponitur super Stipitem lapideum ex utraque parte laterali, et cujus medium vacuum relinquitur pro exponendis Capsis Sacrarum Reliquiarum, posse tamquam fixum consecrari. — Quomodo hujusmodi Altaris constructio intelligi debeat, figura 2 indicat.

Fig. 2.



2° Altare, cujus tabula pro una medietate reponitur super Stipitem solidum, pro altera medietate ab anteriori parte columnolis nititur quæ Stipitis locum habent, modo tabula omni ex parte stipitibus adhæreat, posse consecrari tamquam fixum. Hujusmodi Altaris constructionem indicat figura 3.

3° Altare, cujus mensæ pars posterior fixa est in pariete, seu muro Ecclesiæ, vel Cappellæ, et pars anterior columnolis nititur, quæ Stipitis locum habent, consecrari posse tamquam fixum, modo paries seu murus in hac parte sit lapideus, et anguli mensæ possint in Consecratione etiam ab hac parte parietis inungi.

Fig. 3.



4° Altare, quod figuram communis mensæ præ se fert, cujus mensæ anguli quatuor reponuntur super quatuor columnolas, quæ Stipitis locum habent, posse consecrari tamquam fixum. — Attamen S. Rituum Congregatio rescripsit quod non consecrari valeat ad instar Altaris fixi Altare « cujus mensa sustentatur solum marmoreis columellis positis in fronte et in lateribus ; subtus vero et a parte posteriori vacuum et apertum est ad recipiendam arcam ligneam, quæ inservit paramentis asservandis. » (Decret. 20 Decembris 1890, n. 3741.) Offendiculum in hoc casu videtur haberi non tam in ipsa structura quam in supposita arca.

Ergo in structura Stipitis præsertim animadvertendum est ad sequentia duo : — primum, quod mensa debet posse solide et fixe imponi substentaculo, quodcumque sit, nempe plenum, aut vacuum, ita ut ipsa ex omni parte stipitibus adhæreat ; — alterum, quod mensa imponi debet eo modo, ut ejus quatuor anguli inferiores, et simul quatuor anguli superiores Stipitis, ubi conjunguntur, possint in Consecratione Altaris a Pontifice inungi in modum Crucis (vide supra n. 5 hujus responsi). Hæc animadversio ultima magni momenti est ; non raro defectuosa reperiuntur, quoad hanc quatuor angulorum conjunctionem, Altaria noviter constructa, et ante quam consecrari possint, corrigi debent et refici.

Ex hac animadversione patet etiam, numquam posse tamquam fixum consecrari Altare, quod constat tabula reposita super una tantum columnola, etiamsi a parte posteriori fixa foret tabula parieti seu muro : de-

ficiunt enim conjunctiones mensæ et Stipitis in quatuor angulis.

Notandum remanet, quod in variis hisce suppositis jam non facile poterit in Consecratione fieri unctio, de qua supra n. 6 hujus responsi dicitur, nempe in fronte Altaris, seu in media anteriori parte Stipitis ; si columnolæ in fronte adsint tres, aut numero impari, ita ut una medium occupet, unctio fieri poterit supra columnolam (ubi in figura 3ª indicatur Crux) ; in aliis casibus vero, quoties ipsa Crux commode et convenienter signari Sacro Chrismate non poterit in fronte, signari poterit in crassitie anteriori tabulæ, quæ Altaris mensam constituit (ubi parva Crux indicatur in figura 2ª). (Cfr. Nouvelle Revue Théologique, XV, 1883, pag. 571.)

§ 4. De Mensa Altaris fixi

Q. 22. *Quid intelligitur per* **Mensam** *Altaris fixi ?*

R. Mensa Altaris fixi, quæ in Pontificali promiscue vocatur mensa, tabula, altare, est unicus et integer lapis, qui totam stipitis structuram tegit, eique cæmento vel calce unitur et cum eo consecratur.

Q. 23. *An tota mensa Altaris fixi in omni casu debet esse ex uno et integro lapide ?*

R. Affirmative ; tota mensa Altaris fixi debet in omni casu omnino esse confecta ex uno et integro lapide ; idque requiritur non tantum pro liceitate, sed et pro validitate Consecrationis Altaris.

Pluries his ultimis annis S. Rituum Congregatio pro diversis casibus id declaravit, expunctis e nova Decretorum editione illis Decretis, quæ videbantur aliquid indulgere quoad validitatem.

Etenim, ad aliquod dubium, utrum censendum esset consecratum Altare, cujus « mensa non ex integro lapide, sed ex parvis sex lapidibus ad formam unius unitis » constructa fuerat, rescripsit S. Congregatio : « Reiterandam esse Altaris Consecrationem, dummodo mensa ex integro lapide constituatur. » (Decret. 17 Junii 1843, n. 2862, antiq. 4966, ad 1.) Et ad aliud dubium : « An Altare, sive fixum sive portatile, enormiter

fractum, sed firmiter cæmentatum, aut ex pluribus lapidibus efformatum, valide ac licite consecrari possit? » S. Congregatio respondendum censuit : « Negative ; scilicet non potest Altare, de quo fit mentio, valide ac licite consecrari. » (Decret. 19 Maji-8 Junii 1896, n. 3907, ad 3.)

Q. 24. *An tota mensa Altaris fixi semper debet totam stipitis structuram tegere, eique uniri ?*

R. Affirmative ; tota mensa Altaris fixi debet semper esse ejusdem longitudinis et latitudinis quam stipes, et totam stipitis cui imponitur structuram tegere ; ac insuper stipiti adhærere, seu cæmento vel calce uniri ; et eo quidem modo, eaque dispositione, ut satisfieri possit ritui in Altaris fixi Consecratione præscripto, juxta quem Pontifex Sacro Chrismate inungit « conjunctiones mensæ seu tabulæ Altaris, et tituli sive stipitis, in quatuor angulis, quasi illa conjungens. » Ita enim mensa et stipes unum quid, scilicet Altare efficiunt, tum materialiter unione, tum etiam spiritualiter, hac nempe sacra unctione, qua totius Altaris Consecratio perfecta habetur.

Ad confirmandum responsum referri potest sequens S. Rituum Congregationis Decretum. Expositum fuit : « In quadam Ecclesia consecratum fuit Altare fixum majus, cujus mensa erat ex lapide adeo fragili, ut in actu Consecrationis, quarta ejus pars sit abrupta et divisa. Tunc cæremoniæ omnes reliquæ perfectæ sunt, et unctiones in quatuor angulis potioris partis, conjunctim cum stipite. Quæritur num valide Altare consecratum fuerit ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 8 Junii 1894, n. 3829, ad 2.)

Nota. I. Ex præcedentibus novimus, quid sit revera, juxta mentem Ecclesiæ, Altare, seu structura super quam Domino Deo Sacrificium offertur : stipes scilicet lapideus, cum mensa lapidea stipiti debite conjuncta ; tale delineatur in figuris Pontificalis Romani Altare ; talem structuram Ecclesia solemniori ritu sanctificat et consecrat, adhibitis aspersionibus et unctionibus pluribus, et inclusis insuper Sacris Reliquiis Sanctorum Martyrum (cfr. § sequens 5) ; dein ipsam ornari jubet

mappis, pallio, Cruce et candelabris, et ita fit locus totius Ecclesiæ dignitate et sanctitate venerabilior, ad sanctissimam Actionem aptus.

Mox ars christiana huic simpliciori structuræ adjunxit additamenta varia, tabulas ex diverso opere superimpositas, ciboria, columnas, etc. ; idque sæpius eo cum ornatu, ut principale, seu Altare proprie dictum evenerit quasi accessorium ; unde Altaris valor sæpius æstimatur ex adjunctorum pulchritudine, neglecta parte digniori et principali ; redundat quidem valor accessorii in principale, sed Sacerdotum tamen est, summa semper habita cura de principali, hujus æstimationem debitam promovere, et erroneam Altaris notionem præcavere.

Nota. II. Quantum fieri potest, construatur igitur Altare uti dictum fuit, disposita semper mensa super stipitem eo modo, ut Altare fixum Consecrationis licitæ et validæ sit capax.

Attamen ex circumstantiis fieri aliquando potest, ut lapis pro mensa paratus non habeat easdem dimensiones quam structura inferior.

A) Fieri potest, quod lapis mensæ deficiat in longitudine, seu non ita longe pateat quam structura quæ pro Altari inservire debet : ex. gr., longitudo Altaris est trium metrorum (cfr. Q. 18), et longitudo lapidis mensæ est unius metri tantum.

Præcaveatur semper talis casus ; sed si jam necessitas adsit, et præcaveri non potuerit, poterit Altare ut fixum consecrari, modo constructio fiat sequenti modo et forma : stipes Altaris tunc construatur etiam ad longitudinem mensæ, scilicet unius metri tantum, ejusque lapides, vel quatuor pilæ lapideæ (cfr. Q. 21, 5) disponantur in quatuor ejus angulis (vide figuram 4, ad P, in qua anterior facies tantum delineari potuit), et correspondeant angulis mensæ (in A) : ita conjunctio stipitis et mensæ per unctiones jam fieri poterit in quatuor eorum angulis (in A) ; hujusmodi constructio stipitis et mensæ, ad longitudinem unius metri (ut supponitur in exemplo), erit de facto et revera proprie dictum Altare ; et ut debita forma trium metrorum in longitudine adsit, adjungatur ab utraque parte constru-

ctio unius metri, ex ea quæ placebit materia, nempe ex ligno, vel lapide, vel ex lateribus ; tota structura longitudinis trium metrorum erit ad formam Altaris, sed media pars tantum erit revera Altare stricte dictum.

Fig. 4.



Ab auctoribus admittitur hæc dispositio, seu concessio, ex eo quod leges canonicæ nullibi determinent quantæ longitudinis debeat esse mensa Altaris fixi ; requiritur tamen ab his auctoribus, ut lapis mensæ sit major quam qui pro Ara portatili inservit. (Cfr. Analecta Juris Pontificii, Series II, pag. 2433.)

Hic casus vix occurrere potest, nisi ex male intellecta notitia Altaris fixi, ex ignorantia architecti, aut ex negligentia eorum qui ipsum debito tempore instruere debuissent.

B) Sequens casus non ita raro occurrit, quia plerumque jam, retro post Altare proprie dictum, paranda est basis ad superimponendum aliquem Altaris accessorium ornatum, tabulam nempe, vel retabulum, etc. ; imo Tabernaculum SS. Sacramenti.

Fieri enim potest, quod lapis mensæ deficiat in latitudine, seu non ita late pateat, quam structura inferior quæ pro Altari inserviet ; ex. gr., latitudo totius structuræ ad formam Altaris est unius metri, et latitudo lapidis mensæ est 60 centimetrorum tantum, et super remanentem partem 40 centimetrorum construitur retabulum, vel Tabernaculum.

Fiat in casu structura sequenti modo : totius structuræ quæ pro basi tum mensæ, tum retabuli inserviet, sumatur pars, quæ revera erit stipes, ad latitudinem

solius mensæ, seu, ut supponitur, 60 centimetrorum (vide figuram 5) ; ibi habeatur in utraque parte posteriori hujus stipitis angulus debite formatus (in P), sicut habetur in utraque parte anteriori ; qui stipitis angulus correspondeat angulo posteriori mensæ (in A), eo modo, ut possit conjunctio stipitis et mensæ per unctionem in angulo fieri. Hæc anterior structuræ totius pars erit Altare stricte dictum, consecratum ; reliqua pars retro post stipitem non erit consecrata, et non pertinebit ad Altare proprie dictum.

Fig. 5.

Aliquando in tali casu construitur Altare eo modo, ut stipes et mensa habeant totius structuræ latitudinem, nempe, ut supponitur in exemplo, unius metri ; Altare tunc consecratur ; et postea super mensam construitur retabulum, vel Tabernaculum. Forsan non est commendandus talis agendi modus, quia, facta Consecratione mensæ, id quod ei superimponitur plerumque firmiter est uniendum, cæmentario vel alio fabrili opere, ex quo periculum adesse poterit, ut mensa non remaneat integra, et consequenter consecrata.

Patet quod istæ duæ concessiones, quoad longitudinem scilicet (A), et quoad latitudinem mensæ (B), nequeant simul usuvenire ; non enim, possent tunc conjunctiones stipitis et mensæ in quatuor angulis inungi.

Q. 25. *Quid notandum est pro mensæ crassitie ? An aliquis ornatus in mensa præscribitur ?*

R. I. De crassitie mensæ nihil præscribitur, et sumitur pro mensa lapis ejus quæ convenit, aut placet crassitiei ; sed ne facilius frangatur, sit ad minus 7 centimetrorum ; et si Reliquiæ in mensa reponantur (de quo in § sequenti), debet esse saltem 10 centimetrorum.

Animadvertatur tamen, quod mensa debet esse unus lapis, et quod non liceret, duos lapides pro mensa stipiti superimponere, etiamsi forent ejusdem dimensionis ; superior solus foret Altaris mensa.

II. Nullus ornatus præscribitur pro mensa ; curandum tantum est ut lapis congruenter sit sectus, et in superficie et crassitie politus.

Deinde, cum in mensa quinque sint loca, quæ specialius signantur aqua benedicta, inunguntur Oleo Catechumenorum et Chrismate, et signantur thure cremato, candelis combustis, scilicet medium mensæ et quatuor cornua in ejus superficie, ideo ordinarie in hac superficie inciduntur Cruces quinque in locis in quibus supradictæ cæremoniæ fiunt : una in medio, reliquæ quatuor in cornibus mensæ, circiter ad 15 centimetrorum spatium ab angulis. — In figuris Pontificalis Romani delineantur quinque Cruces ad hæc mensæ loca, ad indicandum Episcopo ubi fieri debeant cæremoniæ ; sed ideo censendum non est præceptum exstare ut ibi Cruces sculpantur ; in praxi tamen numquam omittitur hic mensæ ornatus ; ita enim in perpetuum recognosci queunt partes Altaris in quibus peculiares unctiones fuerunt adhibitæ. (Vide adjunctam figuram 6.)

Fig. 6.

Mensa.



Nota. Si forsan ex negligentia Crux in medio tabulæ non fuisset sculpta, unctio tamen in medio tabulæ numquam omitti debet. (Decret. S. Rituum Congregationis, 2 Maji 1892, n. 3771.)

§ 5. De Sepulchro Reliquiarum in Altari fixo

Q. 26. *Unde obtinet ritus reponendi in Altari Sacras Martyrum Reliquias ?*

R. Ritus reponendi Sacras Martyrum Reliquias in Altari consecrando vetustissimus est, et originem ducit ab ipsis primordiis Ecclesiæ, cum super Martyrum sepulchris erigebantur Altaria, et super his Sacrum peragebatur.

Rationes hujus ritus sunt : 1° Ad hæc Apocalypsis verba referri videtur : « Vidi subtus Altare Dei animas interfectorum propter verbum Dei. » (Apoc. Cap. VI, ℣. 9.)

2° Reliquiæ ibi apponuntur ob relationem ac mysticam analogiam inter Dominum Jesum Christum Caput Martyrum, ejusque membra, secundum S. Augustini verba : « Convenienter autem et quasi quodam consortio ibi Martyribus sepultura decreta est, ubi mors Domini quotidie celebratur, scilicet, ut qui propter mortem Ejus mortui fuerunt, sub Sacramenti ejus mysterio requiescant. » (S. Augustinus, Serm. 11, de Sanctis.)

Q. 27. *An hic ritus necessario servari debet ?*

R. Quamvis graves auctores tradiderint, hunc ritum non requiri in rigore juris ad validitatem Consecrationis Altaris, omnimoda tamen hujus necessitas est affirmanda, ita ut Altare non sit, aut non remaneat consecratum, si Reliquiæ desiderentur. (Cfr. Q. 33.)

Necessitas hæc probatur : 1° ex communi usu, consuetudine antiquissima, et præcepto Ecclesiæ ; — 2° ex ritu juxta quem Sacerdos, post confessionem accedens ad Altare et illud osculans, profert ea verba : « quorum Reliquiæ hic sunt » ; superflua ac vana enim essent, Reliquiis non appositis, aut deficientibus.

Q. 28. *Quorumnam Sanctorum Reliquiæ, et quæ eorum Reliquiæ in Altari recondendæ sunt ?*

R. Reliquiæ debent esse saltem duorum Sanctorum Martyrum ab Ecclesia approbatorum seu canonizatorum. Permittitur ut his adjungantur Reliquiæ aliorum Sanctorum, illorum præsertim in quorum honorem vel Ecclesiæ vel Altaria dedicantur. — Reliquiæ intelliguntur partes aliquæ corporum, non vestes aut quid aliud hujusmodi.

Q. 29. *Quomodo includendæ sunt in Altari fixo Reliquiæ ?*

R. Ante Consecrationem Altaris, Episcopus parat Reliquias, ponens eas in decenti et mundo vasculo plumbeo, una cum tribus granis thuris, et cum chartula ex pergameno, inscriptum habente testimonium Consecrationis ; quod vasculum diligenter sigillat.

Testimonium inscribitur sub hac forma : « MCM... die N. mensis N. Ego N. Episcopus N. consecravi Ecclesiam et Altare hoc in honorem Sancti N. et Reliquias Sanctorum Martyrum N. et N. in eo inclusi, et singulis Christi fidelibus hodie unum annum, et in die anniversario Consecrationis hujusmodi ipsam visitantibus quadraginta dies de vera Indulgentia, in forma Ecclesiæ consueta concessi. »

In ipsa Consecratione Altaris, Episcopus imponit vasculum in fossa ante in Altari parata, lapidea, formæ quadratæ, munda et decenter polita ; quæ habeat in longitudine et latitudine spatium 10 centimetrorum, inde a fossæ superficie usque ad postem cui imponitur lapis quo clauditur, et 6 centimetrorum, a poste usque ad imum ; in altitudine 7 centimetrorum ; quæ fossa vocatur Confessio, Sepulchrum Reliquiarum. (Vide fig. 7 et fig. 8.)

Imposito in Altari vasculo, super hoc coaptari debet ab Episcopo et firmari cum cæmento, et Sacro Chrismate liniri tabula, qua Sepulchrum claudatur. Hæc tabula confici potest ex quocumque lapide, dummodo sit vere lapis naturalis ; non debet sed potest esse marmorea. (Decret. S. Rituum Congregationis, 15 Decembris 1882, n. 3567, antiq. 5863, ad 1.) Tabula hæc, formæ in superficie quadratæ, habeat longitudinem et latitudinem 9, 5 centimetrorum, et crassitiem 2 centi-

metrorum; cumque unctione sacra sit signanda de subtus et in superficie, incisæ habeantur duæ Cruces in medio, una de subtus, altera in superficie. Debet hæc tabula ita diligenter aptari ut perfecte æquet planum mensæ vel stipitis ; insuper ne tabula semel posita possit levari aut deprimi, congruentius limabitur, ad modum biselli (en biseau) (vide fig. 7), vel potius modo qui dicitur cum poste (vide fig. 8).

Fig. 7.



Fig. 8.



Q. 30. *Indica quatuor modos construendi Sepulchrum Reliquiarum in Altari fixo.*

R. 1° Sepulchrum potest construi in medio summitatis stipitis, super quo ponitur mensa Altaris ; in quo casu non imponitur parva tabula lapidea, de qua supra

dictum fuit. (Vid. fig. 9.) Hic modus fere numquam adhibetur ; quia mensa super stipitem imponi nequit, nisi reconditis ab Episcopo in ipsa Consecratione Reliquiis, quod, cum mensa sit lapis magni ponderis, auxilium operariorum requireret, et cæremonias eo ipso turbaret ; insuper alius quam consuetus servari debet ordo cæremoniarum, qui describitur in Pontificali Romano, in Titulo speciali. Attamen huic modo favet, quod præcavetur omne periculum violationis Sepulchri, et, quæ inde sequitur, exsecrationis Altaris. (Cfr. § 6.)



Fig. 9.

2° Potest construi in stipite a parte posteriori. (Vide fig. 10.)



Fig. 10.

3° Potest construi in stipite, a parte anteriori. (Vide fig. 11.)

Fig. 11.



In hoc casu, Crux, facienda cum Chrismate in fronte Altaris seu stipitis (Q. 21, ad 6), fiet super Sepulchrum.

Animadvertendum est pro triplici descripta dispositione Sepulchri in stipite, quod tunc requiritur Sepulchrum totum lapideum ; ideoque non sufficeret in stipite lateritio fossa itidem lateritia, etiamsi fossa hæc tabula lapidea clauderetur.

Fig. 12.



4° Facilior, et qui sæpius usuvenit modus est, si Sepulchrum paratur ad superficiem mensæ Altaris, in media mensa aliquantulum versus partem anteriorem, frontem inter mensæ et Crucem in medio mensæ scul-

ptam. In hoc casu, ut jam supra dictum fuit (cfr. Q. 25), cum Sepulchrum sit altum 7 centimetris, mensa debet habere crassitiem ad minus 10 centimetrorum. (Vide fig. 12.)

Nota. Quid judicandum de casu, in quo mensa fuisset pro Sepulchro non solum excavata ad debitam profunditatem 7 centimetrorum, sed per totam suam crassitiem 10 centimetrorum ex errore aut inadvertentia perforata? Ad minus dubia, illicita prorsus æstimatur in his conditionibus Altaris Consecratio. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IV, 1890, pag. 553-564.) Attamen S. Rituum Congregatio defectum hujusmodi corrigi posse judicavit; etenim ad dubium: « An consecrari possit Altare, cujus mensa lapidea, in medio ubi recondendum est vasculum Reliquiarum, est perforata ex utraque parte? » S. Congregatio rescribendum censuit: « In cavitate inferiori Sepulcruli jam effossi collocetur altera basis lapidea, ut super ea reponatur capsula Reliquiarum. » (Decret. 8 Februarii 1896, n. 3884.)

31. **Notanda pro Ecclesiæ Dedicatione seu Consecratione.** — Hucusque in præsenti Tractatu expositæ fuerunt conditiones requisitæ pro debita constructione Ecclesiæ et Altaris, ut consecrari valeant. Ex majoribus Catholicæ Ecclesiæ festivitatibus una est novi templi Dedicatio, quæ solemniori cum apparatu celebratur; et cum quotannis jam in nostra Diœcesi nonnullæ Ecclesiæ consecrentur, juvat pauca adnotare de his quæ pro hac functione observari debent a Clero Ecclesiæ consecrandæ adscripto.

In Tractatu de Rubricis Missalis Romani (QQ. 296-298), quædam hac de re tradita habentur, nempe, de Officio Divino in Ecclesiæ Dedicatione recitando; de Missa quæ, terminata Dedicationis functione, celebrari debet; et de diebus in quibus fieri potest Ecclesiæ Dedicatio.

Quæ ibi de Officio Divino et Missa traduntur, hic illustrantur proposito exemplo, et complentur per brevem instructionem de aliis insuper observandis.

I. **De Officio Divino, et de Missa.** — Supponitur Ecclesiam ab Episcopo consecrari die 28 Septembris, Feria II, in Festo semiduplici S. Wenceslai, Ducis et Martyris, et functionem inchoari hora 8va.

Clerus Ecclesiæ consecrandæ adscriptus dicet, pro Officio diei 28 Septembris, Commemorationem S. Wenceslai in secundis Vesperis Dominicæ; dein Matutinum cum Laudibus, et Primam de Festo S. Wenceslai, ritu semiduplici, nihil addito aut mutato. Sed inde a Tertia, relicto totaliter Officio S Wenceslai,

inchoatur Officium Dedicationis Ecclesiæ, ritu duplici 1 classis cum Octava. Proinde Clerus istius Ecclesiæ dicet Tertiam, et sequentes Horas, non de Officio S. Wenceslai, quod omnino negligitur, sed de Communi Dedicationis Ecclesiæ, cum Oratione descripta pro ipsa die Consecrationis. (Cfr. Decreta S. Rituum Congregationis, 29 Julii 1780, n. 2519, antiq. 4400, ad 4 et 5; et 7 Decembris 1844, n. 2868, antiq. 4979.)

In nova Ecclesia consecranda recenter constructa, in die Dedicationis non celebrantur Missæ, nisi Consecratione peracta; tunc debet celebrari Missa solemnis de Dedicatione, cum Orationibus propriis pro ipsa Consecrationis die, eoque ritu et modo, sicut exponitur in Q. 297 Tractatus de Rubricis Missalis Romani. Si placeret aliis Sacerdotibus, peracta Consecratione, etiam Missas celebrare, nihil obstat; sed quæcumque Missæ celebrantur, erunt omnes, sicut principalis ac solemnis de qua supra, de Dedicatione, eodemque ritu celebrandæ.

In Ecclesia quæ, ut dictum fuit, supponitur nova, in qua nulla ecclesiastica functio nondum peracta fuit, et quæ consecratur eo fine ut apta fiat celebrationi Missæ, quæstio non esse potest, ut patet, de Missa in ea celebranda ante Consecrationis finem. Ideo Clerus hac die ante Consecrationis finem in hac Ecclesia celebrare non potest. Si daretur occasio celebrandi Missam in alia Ecclesia, vel in aliquo Oratorio, summo mane ante inchoatam Consecrationem Ecclesiæ propriæ, celebrabitur Missa, vel de Festo S. Wenceslai, vel, quia Festum semiduplex est, Votiva, aut de *Requiem*.

Sed non raro, imo plerumque Ecclesia consecranda reperitur jam fuisse præcedenter benedicta, ritu nempe Benedictionis solemnis qui describitur in Rituali Romano (Tit. VIII, Cap. 27; cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 342); qui ritus peractus fuit ut in Ecclesia noviter constructa, usque dum ab Episcopo consecretur, interea possint Missæ celebrari. — Quoad Missas celebrandas in hujusmodi Ecclesia in die Consecrationis, ad dubium an summo mane ante Consecrationem, pro populi commoditate, deficientibus aliis Ecclesiis, ibi Missæ valeant celebrari de Consecratione Ecclesiæ, S. Rituum Congregatio declaraverat « negative », et Sacerdotes in casu debere celebrare post peractam Consecrationem; sin minus ea die se abstineant a Missæ celebratione, et populus audiat Sacrum ab Episcopo decantandum. (Decret. 29 Julii 1780, n. antiq. 4400, ad 6.) Sed in nova Decretorum editione, anni 1898, responsum reperitur reformatum (sub n. 2519, ad 6), et ad propositum dubium S. Congregatio rescribendum censuit: « Missam non esse celebrandam de Dedicatione Ecclesiæ, sed de Feria vel de Sancto, prout descriptum fuerit in Calendario. » Profecto igitur, si nulla alia Ecclesia adsit in loco, in ipsa consecranda Ecclesia summo mane ante Consecrationem poterunt celebrari Missæ pro populi commoditate (cfr. Index Decretorum, pag. 123, ad Articulum *Consecratio Ecclesiæ*); non quidem Missæ de Dedicatione, sed de Feria vel de Sancto; et in nostro casu de S. Wenceslao; et quia Festum hujus Sancti est ritus

semiduplicis, non perperam æstimabitur Missas posse dici Votivas; imo de *Requiem,* nisi ex convenientia ob solemnitatem superventuram forte has non admittendas judicet S. Congregatio. — Quod si Missæ summo mane in Ecclesia mox consecranda celebrentur, providendum est ut omnis quæcumque supellex auferatur ex Ecclesia, antequam Consecrationis functio incipiatur, ut sit tunc Ecclesia vacua.

Per totam Octavam, Clerus Ecclesiæ consecratæ dicet Officia et Missas : vel de diebus infra Octavam Dedicationis, si quæ liberæ sint, vel de Festis occurrentibus, cum vel sine Commemoratione Octavæ Dedicationis, secundum regulas de Occurrentia et Concurrentia Officiorum expositas in Tractatu de Officio divino.

Dies 5 Octobris erit dies Octava Dedicationis Ecclesiæ, ritus duplicis ; igitur Clerus Ecclesiæ consecratæ dicet hac die Officium et Missam de die Octava. — In casu supposito, transferetur ulterius in primam diem liberam Officium Festi duplicis majoris S. Francisci, Confessoris, impediti in sua propria die 4 Octobris, et jus ad translationem Officii habentis; prima dies libera erit dies 7 Octobris.

Hæc de Officiis et Missis pro Dedicationis die ejusque Octava. Pro ulteriori expositione cfr. Tractatus de Rubricis Missalis, loco citato.

II. De Vigiliis celebrandis ante Reliquias. — Pridie Consecrationis, expositis sero, loco et modo debito, SS. Reliquiis in Altari majori Ecclesiæ consecrandæ includendis, « celebrandæ sunt Vigiliæ ante Reliquias ipsas, et canendi Nocturni, et Matutinæ Laudes, in honorem Sanctorum, quorum Reliquiæ sunt recondendæ. » Ita Pontificale Romanum. Ideo Clerus addictus Ecclesiæ consecrandæ, qui recitare debet Matutinum et Laudes Officii occurrentis Festi S. Wenceslai, insuper, postquam SS. Reliquiæ prædictæ ab Episcopo vasculo inclusæ, et opportuno loco fuerint expositæ, coram ipsis SS. Reliquiis Vigilias celebrabit ; scilicet, cantabit, vel recitabit tres Nocturnos Matutini, et Laudes, de Communi plurimorum Martyrum, ritu duplici, cum Oratione de eodem Communi, sine expressis nominibus SS. Martyrum quorum Reliquiæ sunt expositæ. Quod si in vasculo positæ sint, præter Reliquias Sanctorum Martyrum, Reliquiæ aliorum Sanctorum non Martyrum, non addendi sunt pro his Nocturni cum Laudibus ex alio Communi convenienti.

Nota. I. Declaravit S. Rituum Congregatio Officium hoc Vigiliarum non dispensare a recitatione Officii diei currentis ; et consuetudinem contrariam, si alicubi invaluerit, amplius non esse sequendam. (Decret. 16 Septembris 1881, n. 3532, antiq. 5827, ad 2.)

Nota. II. Multum disputatum fuit super verbis Pontificalis Romani « celebrandæ sunt Vigiliæ » ; utrum nempe Vigiliæ per totam noctem sint celebrandæ, an vero sufficiat semel canere Matutinum cum Laudibus. — S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Pontificalis verba in casu intelligenda esse, quod celebrentur Vigiliæ cum Matutino, Laudibus, Hy-

mnis, Canticis de Communi, cum simili Oratione de Communi, sine nomine expresso, quum non sint partes Officii diei. » (Decret. 14 Junii 1845, n. 2886, antiq. 5008.) Postea vero rescripsit istas Vigilias per totam noctem esse persolvendas. (Decret. 7 Augusti 1875, n. antiq. 5621, ad 3.) Sed hoc Decretum e nova Decretorum editione, anni 1900, expunctum fuit. Omne dubium de protrahendis per totam noctem hisce Vigiliis jam tollit sequens ejusdem S. Congregationis Decretum : Ad dubium : « An pro Vigiliis, celebrandis ante Reliquias honesto in loco cum luminaribus accensis, sufficiat canere tantummodo Matutinum cum Laudibus in Sanctorum honorem, quorum Reliquiæ recondendæ sunt ; vel per totam noctem ante eas psallere oporteat ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam. » (Decret. 22 Februarii 1888. n. 3686, ad 3.)

III. De jejunio præscripto. — Præscribit Pontificale Romanum, quod « Pontifex consecrans, et qui petunt sibi Ecclesiam consecrari, præcedenti die jejunare debent. » Si agitur de Ecclesia parochiali consecranda, ejusque integro populo, prænuntiandum est opportuno tempore hoc jejunium.

De hoc jejunio rescripsit S. Rituum Congregatio, illud non esse tantum de consilio, sed « esse strictæ obligationis » ; et ad dubium : « An sit locale tantum, an personale ; vel potius locale et personale simul ? » rescripsit : « Negative, quoad primam partem ; Affirmative, quoad secundam. » (Decret. 29 Junii 1780, n. 2519, antiq. 4400, ad 1 et 2.)

32. Notanda pro Altaris Consecratione. — I. In Consecratione Altaris fixi, quæ fit sine Ecclesiæ Dedicatione, nihil mutatur in Officio die Consecrationis occurrente, et nihil fit de Officio Dedicationis, ratione Consecrationis Altaris. (Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Decembris 1844, n. 2868, antiq. 4979.) Sed tantum coram SS. Reliquiis in Altari consecrando includendis celebrandæ sunt Vigiliæ, ut supra.

Peracta autem Consecratione, in ipso Altari celebratur Missa solemnis de Dedicatione Ecclesiæ, cum Orationibus quæ pro Altaris Consecratione speciales in Missali describuntur. Si plura Altaria simul consecrantur, satis est ut in fine Consecrationis Missa in uno ex ipsis celebretur.

Jejunium non est præscriptum pro iis qui petunt sibi Altare consecrari.

Nota. In Ecclesia quæ tantummodo est benedicta potest Altare consecrari, quin prius ipsa Ecclesia consecretur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Septembris 1857, n. 3059, ad 15. antiq. 5251, ad 16.) Attamen, si Ecclesia tantum benedicta postea debet consecrari, abstinendum est a Consecratione Altaris majoris usque dum ipsa Ecclesia consecretur. (Cfr. Q. 5, ad 4.)

II. In Consecratione Altaris portatilis nihil mutatur in Officio die Consecrationis occurrente ; nec Vigiliæ sunt celebrandæ coram SS. Reliquiis in Altari consecrando includendis.

Peracta autem Consecratione, super ipsum Altare, aut super unam ex Tabulis consecratis, si plures fuerint consecratæ, celebratur Missa, solemnis vel lecta, de Dedicatione Ecclesiæ, cum Orationibus pro Altaris Consecratione.

§ 6. De exsecratione Altaris fixi

Q. 33. *Quomodo Altare fixum amittit suam Consecrationem ?*

R. Altare fixum amittit suam Consecrationem :

1° Per fracturam enormem seu notabilem, sive in stipite, sive in mensa. Fractura autem potest esse enormis, vel per se ob quantitatem, vel propter locum unctionum, licet in se levis esset. (S. Rituum Congregatio, Decret. 6 Octobris 1837, n. 2777, antiq. 4828.) Unde in stipite notabilis censetur fractura, si plures lapides ceciderint, ita ut moraliter idem stipes non maneat ; aut si amotus fuerit unus ex lapidibus angularibus in quibus ad conjunctionem stipitis et mensæ unctiones factæ fuerunt. In mensa notabilis censetur fractura, si, ex. gr., fuerit in duas vel plures partes notabiles divisa ; si per fractionem divisa sit pars, licet in se parva, quæ incisam continet unam ex crucibus, super quas ab Episcopo in Altaris Consecratione speciales ritus unctionum, etc. peracti fuerunt. (Cfr. Suffragium super Decreto 3 Martii 1821, n. 2612, antiq. 4577, in Vol. IV Collectionis, pag. 201.)

2° Per amotionem tabulæ seu mensæ a stipite. (Decret. 15 Maji 1819, n. 2599, antiq. 4562 ; cfr. Adnotatio ad hoc Decretum in Vol. IV Collectionis, pag. 191.) Et amittitur in casu Consecratio etiamsi mensa non omnino fuisset a stipitibus dimota, sed tantum sublevata ; ex. gr., si quis volens novo cæmento stipiti firmare et conjungere mensam, hanc in eum finem aliquantum sublevaret ; nec sufficit, ut mensa mox novo cæmento cum ipsis stipitibus firmetur et conjungatur. (Decret. 23 Februarii 1884, n. 3605, ad 7, antiq. 5907, ad 11.)

3° Per amotionem Reliquiarum (Decret. 23 Maji 1846, n. 2911, antiq. 5043) ; vel per fracturam, aut amotionem parvæ tabulæ qua sepulchrum clauditur ; sepulchrum enim ita violatur. (Decret. 31 Augusti 1867, n. 3162, antiq. 5386, ad 5.)

Non raro animadvertitur, tabulam quæ tegit sacras

Reliquias non amplius esse firmatam ; amissa nempe ob humiditatem post longum tempus calce, seu cæmento ex vetustate consumpto, aut sua qualitate destituto ; in tali casu necesse erit hujusmodi tabulam iterum nova adhibita calce firmare. Modo sepulchrum non fuerit apertum, non est reputandum Altare exsecratum ; si autem tabula aliquo modo temere fuisset amota, vel levata, etiamsi Reliquiæ nullo modo fuissent dimotæ, et tabula mox fuisset reposita, Altare nova indigeret Consecratione. (Decreta 14 Martii 1861, n. 3106, antiq. 5313 ; et 25 Septembris 1875, n. 3379, antiq. 5639.) Ipsius Episcopi est hujusmodi tabulam firmare ; obtenta autem Apostolica facultate, potest Episcopus ad hoc alios subdelegare. (Decret. 18 Maji 1883, n. 3575, ad 10, antiq. 5872, ad 14.) Cæmentum quo tabula firmatur prius debet juxta Pontificale Romanum benedici. (Decret. 3 Septembris 1879, n. 3504, antiq. 5793.)

4° Altare fixum potest etiam perdere Consecrationem per abrasionem serra, ascia aliisve instrumentis factam in superficie mensæ, vel in angulis stipitis.

Nota. I. Si stipes unico constiterit lapide solido, et mensa non amoveatur a stipite, ubi hujusmodi stipes simul cum mensa non amota transfertur de loco suo in alium locum, Altare hac amotione non amittit Consecrationem, et non indiget nova Consecratione. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 49.) Tales stipites rarissime reperiuntur in nostris Ecclesiis, et translatio supposita non scitur umquam facta.

Nota. II. Altaria a quibus alio translati fuerunt Tituli et Imagines, remanente tamen mensa consecrata, non indigent nova Consecratione ; cum Altaria non Sanctis, sed Deo in honorem Sanctorum dedicentur. (Decret. 7 Julii 1759, n. 2450, antiq. 4276.)

Nota. III. Altare fixum polluitur cum Ecclesia polluitur ; cum autem exsecratur Ecclesia, non simul exsecratur Altare.

Nota. IV. Altare fixum privata auctoritate non potest destrui, sed et neque per notabilem mutationem aut reparationem periculo exsecrationis exponi ; ante ergo quam mutetur, reparetur aut destruatur, licentia Episcopi impetranda est. (Cfr. Stat. diœc. n. 370.)

Nota. V. Cum aliquando habentur Altaria quæ ex aliquo defectu pristinam Consecrationem amiserunt, et haud facile sit, attentis locorum adjunctis, rursus eadem Altaria rite ac solemniter consecrare, nonnulli Episcopi a Sancta Sede facultatem petierunt et obtinuerunt, qua vel per se, vel per simplices Presbyteros apposite deputandos, privatim ac breviori ritu et formula ejusmodi Consecrationes perficere valeant.

Emus ac Rmus Dominus Petrus Lambertus Cardinalis Goossens, Archiepiscopus Mechliniensis, per Litteras 13 Junii 1903, similem facultatem obtinuit.

Servanda est in casu sequens « Instructio pro adhibenda breviori formula in Consecratione Altarium », Litteris adjuncta :

« Rmus Episcopus per Se, vel per Sacerdotem, Apostolicæ Sedis nomine a Se delegatum, certas Sanctorum Reliquias in Ara reponat, iis tantummodo cæremoniis servatis, quæ in Pontificali Romano præscribuntur dum in Sepulchro reconduntur Reliquiæ et superponitur lapis, videlicet, ut sancto Chrismate signet Confessionem, sive Sepulchrum, interim dicens Orationem : *Consecretur et sanctificetur* ; postea, reconditis Reliquiis cum tribus granis thuris et superposito lapideo operculo, ac rite per cæmentum (quod sicut et aqua juxta Pontificale Romanum benedici debet) firmato, dicat alteram Orationem : *Deus, qui ex omnium cohabitatione Sanctorum* ; et nihil aliud. »

Uti patet ex Instructione, agitur tantum de exsecratione Altaris quæ oritur ex defectu ad Sepulchrum Reliquiarum, et quæ breviori ritu et formula corrigi valet ; non autem de exsecratione quæ oritur ex defectu in stipite, aut ex amotione mensæ a stipite : in his casibus Instructio applicari non valet.

ARTICULUS II

De Altari portatili

§ 1. De Mensuris

Q. 34. *Quid præscribunt Rubricæ circa mensuram Aræ, seu lapidis Altaris portatilis ? Quænam ejusdem Aræ lapideæ mensuræ congruenter servabuntur ?*

R. I. Rubricæ præscribunt ut Ara lapidea « tam ampla sit ut Hostiam et majorem partem Calicis capiat. »

II. Longitudo et latitudo sint 35 centimetrorum, crassities 5 centimetrorum. Certo istæ mensuræ servari debent pro Altari in quo consecrantur Hostiæ pro Communione fidelium, ut præter Hostiam et Calicem Sacrificii etiam commode Pyxidem capere possit. Tales sunt Aræ portatiles, quæ in Diœcesi Mechliniensi

consecrantur. — S. Carolus Borromæus præscribit ut Ara hujusmodi non sit minor 36 centimetrorum in latitudine (a fronte versus Crucis pedem), et 28 centimetrorum in longitudine (a dextra ad sinistram partem). Sacra Visitatio Apostolica, Romæ die 11 Februarii 1904 indicta, requirit mensuram ad minus 33 × 26 centimetrorum. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIX, 1905, pag. 417, 420.) — Attamen pro Missionariis admittuntur dimensiones minores, quia utuntur Calice et Pyxide plerumque minoris mensuræ.

Insuper notatur, quod hæc Ara etiam tam magna esse potest quam ipsa mensa, aut stipes, seu basis, cui inseritur. Ab hujusmodi structura tamen abstinendum consulitur, quia, cum speciem Altaris fixi præ se ferret, si basis esset lapidea, in errorem inducere posset ; et, ex. gr., per amotionem Aræ censeri posset exsecratum Altare, cum tamen exsecratum non foret.

Pro mensa, aut pro stipite, seu basi, cui Ara inseritur, eædem mensuræ serventur in altitudine, longitudine et latitudine, quæ indicatæ fuerunt pro Altari fixo. (Cfr. Q. 18.)

§ 2. De Materia

Q. 35. *Quid notandum est pro materia ex qua confici debet Altare portatile ?*

R. Ara debet esse ex lapide naturali, quæcumque sit lapidea materia, modo duritie non careat. S. Rituum Congregatio rescripsit quidem, retineri posse aras efformatas e quodam schisto lapide, satis duro tamen, etiamsi schistus natura sua facile in laminas dividatur. (Decret. 29 Aprilis 1887, n. 3674, antiq. 5982, ad 2.)

Ara autem confecta ex lapide pumiceo (puimsteen, pierre ponce), sive ex gypso, aut alia simili materia, illicita prorsus est. (Decreta 29 Aprilis 1887, n. 3674, antiq. 5982, ad 3 ; et 13 Junii 1899, n. 4032, ad 2.)

Mensa, vero, cui inseritur, construi potest ex quacumque materia, sive ligno, sive lapide, sive auro, argento, aut alio metallo.

§ 3. De Stipite

Q. 36. *Indica differentias præcipuas stipitis Altaris portatilis a stipite Altaris fixi.*

R. In Altari portatili : 1° Stipes seu basis potest ex quacumque materia confici.

2° Stipes seu basis potest adhærere parieti Ecclesiæ.

3° Stipes vacuus esse potest, et niti uni vel pluribus columnis.

Hæc omnia non admittuntur, aut sub quibusdam conditionibus tantum aliquando admitti possunt in stipite Altaris fixi. (Cfr. Q. 21.)

4° Quoad differentias sub respectu Consecrationis, et quoad Consecrationis effectum, vide quæ dicuntur Q. 13.

Q. 37. *Quid notandum est pro insertione Aræ in mensa, seu basi ?*

R. Ara lapidea portatilis ponenda est in medio longitudinis mensæ, seu stipitis, seu basis, et in latitudine eo modo, ut a fronte, seu labro, vel anteriori parte ad summum 15 centimetris distet ; S. Carolus Borromæus admittit distantiam a labro tantum 12 centimetrorum ; ad id maxime attendi debet, si Altaris frons ornatur pallio, seu antipendio cum apposita coronide. Ut autem facilius a Celebrante dignosci possint Aræ limites, seu queat animadverti quantum ipsa panditur, convenienter ita imponitur, ut pateat aliquantulum, seu superet planitiem mensæ, ad spatium unius vel duorum millimetrorum.

§ 4. De Sepulchro Reliquiarum, et aliis adhibitis in Ara pro ejus Consecratione

Q. 38. *Describe Sepulchrum Reliquiarum Aræ portatilis, et indica conditiones in eo servandas.*

R. I. Sepulchrum Reliquiarum in Ara portatili est parva fossa, quæ paratur in parte superiori ipsius lapidis, ante medium ; nulla hujus fossæ forma præscribitur, sed debet esse decenter polita et munda. In ea reconduntur immediate, id est, sine vasculo, Sacræ Reliquiæ

duorum saltem SS. Martyrum, et tria grana thuris; clauditur ab Episcopo, mediante cæmento, cum parvo claustro lapideo.

II. Claustrum necessario lapideum esse debet; rescripsit enim S. Rituum Congregatio quod « Reliquiæ recondendæ sunt in Sepulchro intra lapidem effosso, et claudendæ cum parvo operculo ex lapide etiam confecto. » (Decret. 31 Augusti 1867, n. 3162, antiq. 5386, ad 2.) Eadem S. Congregatio pluries declaravit, Altaria portatilia, in quibus Sepulchrum Reliquiarum non lapide, sed cera sigillari, vel gypso coopertum fuerit atque firmatum, nova indigere Consecratione. (Decreta 28 Julii 1883, n. 3585, antiq. 5884, ad 1; et 30 Augusti 1901, *Vicen.*, ad 1; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 632.) — Attamen, ad dubium: « In hac Diœcesi (*Lauden.*) exstant multa Altaria portatilia, quorum operculum ex metallo confectum est. Quæritur num ejusmodi Altaria Consecrationem amiserint? S. Congregatio rescribendum censuit: « Negative. » (Decret. 23 Junii 1892, n. 3779, ad 4.)

Juxta hodiernam disciplinam Sepulchrum parari debet in parte superiori Aræ, ante ipsius medium. (Decreta 31 Martii 1887, n. 3671, antiq. 5979; et 13 Junii 1899, n. 4032, ad 3.)

Nota. I. De modo claudendi Sepulchrum Aræ portatilis nihil præscribit Pontificale Romanum; dicit enim tantum, quod Episcopus « recondit veneranter Reliquias cum tribus granis thuris in tabula, sive Altari, et Sepulchrum Reliquiarum hujusmodi claudit. » Ex pluribus Decretis vero S. Rituum Congregationis, inde ab anno circiter 1880 latis, patet, Sepulchrum omnino lapide esse claudendum, qui lapis firmatur cæmento; cæmentum autem benedicendum est eodem ritu qui pro Altari fixo præscribitur. (Decret. 10 Maji 1890, n. 3726, ad 1.)

Jamvero non pauci Episcopi, usque ad annum 1880, Sepulchra clauserant gypso tantum, aut cæmento, aut cera sigillari, absque appositione lapidis.

Quum autem S. Rituum Congregatio declaraverat, Aras tali modo absque lapide clausas nova indigere Consecratione, varii Episcopi, annis 1880 et 1882, rescriptum petierunt et obtinuerunt, pro facultate iterandi Consecrationem hujusmodi Altarium portatilium, per se, vel per simplices Presbyteros, hoc tantum pro casu Apostolicæ Sedis nomine designandos, sensim sine sensu, prudenter capta occasione, et cum quibusdam tantum ritibus. (Cfr. Nouvelle Revue Théologique, XIII, 1881, p. 580;

et XIV, 1882, pag. 481.) Remissius deinde jam agens, eadem S. Rituum Congregatio, anno 1882, prudenti Episcopi cujusdam arbitrio reliquit iterationem hujusmodi, quoties absque gravi incommodo, et sine populi admiratione conficiendam autumaret. (Ibid. XXII, 1890, pag. 367.) Et per Decretum 30 Augusti 1901 (*Vicen.*, ad 1) rescripsit « interim permitti celebrationem Missæ in enunciatis Altaribus, simulque indulgeri ritum formulamque breviorem pro nova Consecratione. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 632.)

Nota. II. De dispositione Sepulchri in Ara portatili silet textus Pontificalis Romani, sed ex figura apposita in ritu Consecrationis Altaris portatilis facile quis judicaret Sepulchrum posse poni in crassitie, seu fronte ipsius lapidis ; sequenti modo enim delineatur in editione typica anni 1888 :

Lapidis superficiem indicant Cruces figuratæ in ejus cornibus ; quid vero sibi velit linea subducta cum figura rotunda fossæ, seu Sepulchri, nisi pro crassitiei, seu frontis indicatione in lapide eam excipias, non facile explicatur.

Quidquid sit de silentio textus, et de figura apposita, præsens disciplina (ab anno circiter 1880) vult, ut Sepulchrum disponatur in medio, seu in superficie lapidis, seu Aræ portatilis, ut patet ex Decretis S. Rituum Congregationis infra citandis.

Altaria portatilia, quæ apud nos in aula Archiepiscopali præparantur et consecrantur, habent longitudinem et latitudinem 35 centimetrorum, et 5 centimetrorum crassitiem ; Sepulchrum disponitur in earum superficie in anteriori parte, ut sequens figura exhibet.



Usque ad annum circiter 1880. in multis regionibus ac fere per totum orbem, et a pluribus sæculis, uti constat ex Aris existentibus, Sepulchrum Reliquiarum parari consueverat in fronte, seu crassitie lapidis ; non mirum igitur, si plures Episcopi a S. Rituum Congregatione mox quid faciendum rogaverint.

Sufficiat hac de re duo sequentia Decreta referre :

A) Episcopus exponens in sua Diœcesi juxta antiquam consuetudinem plurima haberi Altaria portatilia, quorum Sepulchrum non in medio, sed in ejus fronte effossum est, ac rite clausum, expetivit :

« Dubium I. An ejusmodi Altaria sint toleranda, vel immutanda sint ac denuo consecranda ? »

« Dubium II. Num in posterum Sepulchrum Altaris portatilis in medio tabulæ lapideæ effodiendum sit ? »

Sacra Rituum Congregatio rescribendum censuit :

Ad I. « Quoad Altaria portatilia, hucusque consecrata, Rmus Episcopus acquiescat. »

Ad II. « Affirmative. »

(Decret. 31 Martii 1887, n. 3671, antiq. 5979.)

B) Dubium. « Quid judicandum de illis lapidibus sacris, quorum Sepulchrum non in medio, sed in eorum fronte effossum fuit? »

Sacra Rituum Congregatio respondendum censuit :

« Dicti lapides in posterum non sunt admittendi ; quoad præteritum vero, cum commode fieri possit, iterum breviori formula consecrentur. »

(Decret. 13 Junii 1899, n. 4032, ad 3.)

Notandum, quod Episcopo non licet auctoritate propria hos lapides iterum consecrare « breviori formula » et ritu ; hæc in Pontificali Romano non describuntur ; sed requiritur ad hoc facultas Sanctæ Sedis, aut S. Rituum Congregationis, quæ ad rem dare solet cum facultate præfatam breviorem formulam, brevioremque ritum indicare, quibus hujusmodi Altaria iterum consecrentur. (Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 458.)

Quoad Altaria portatilia, ante annum circiter 1880 consecrata, cum Sepulchro Reliquiarum posito in crassitie, seu fronte lapidis, quia in ipsis omnia substantialiter requisita pro Consecratione reperiuntur observata, recentiori lege seposita, valide illa Altaria consecrata fuisse, ut citra dubium in eis Missa celebrari valeat, affirmant Ephemerides Liturgicæ. (I, 1887, pag. 363.)

Q. 39. *An aliquis ornatus in Ara portatili præscribitur ?*

R. Negative ; sufficit ut lapis in superficie sit politus, et in crassitie ac in inferiori parte sit saltem congruenter sectus.

Ordinarie tamen, juxta Pontificalis Romani figuras, incisæ habentur Cruces quinque, in locis specialiter inunctis in superficie Aræ, nempe, una in medio, reliquæ in quatuor cornibus, circiter ad 5 centimetrorum spatium ab angulis. (Cfr. Q. 25.)

Nota. Antiquitus, quando Sepulchrum paratum erat in fronte, seu crassitie lapidis, fere ubique, post Consecrationis cæremoniam, super claustrum imprimebatur cera hispanica seu sigillari Episcopi sigillum. De

hoc sigillo apponendo nihil dicit Pontificale Romanum ; in quibusdam regionibus addebatur ex antiqua consuetudine, plerumque tamquam testimonium Consecrationis, indicans a quo Episcopo, et proinde qua ætate fuerat peracta ; insimul manebat testis inviolati Sepulchri, et authenticitatis Reliquiarum.

Ad dubium : « An Episcopale sigillum super parvum Sepulchrum Altaris addendum sit ? » S. Rituum Congregatio declaravit et rescripsit : « Sigillum Episcopale non debere apponi. » (Decret. 10 Maji 1890, n. 3726, ad 3.)

Hodie, ex quo Sepulchrum disponitur in superficie Aræ portatilis, non amplius apponitur sigillum, quia ex tobaleis seu mappis Altaris, aliisque variis causis ibi atteri potest.

§ 5. De exsecratione Altaris portatilis

Q. 40. *Quomodo Ara portatilis amittere potest Consecrationem ?*

R. Ara portatilis ex sequentibus causis amittit Consecrationem, ita ut non amplius in ea SS. Missæ Sacrificium celebrari possit :

1° Si ipsa Ara, seu lapis notabiliter, scilicet in duas vel plures notabiles partes frangitur ; aut si tenui scissura laborat, quæ per medium integrum lapidem ad instar fili decurrit, etiamsi Sepulchrum non fuerit violatum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 31 Augusti 1867, n. 3162, antiq. 5386, ad 3.) Item si frangitur aliqua pars lapidis Cruce signata, in qua factæ fuerunt unctiones. (Cfr. Suffragium super Decreto 3 Martii 1821, n. 2612, antiq. 4577, in Vol. IV Collectionis, pag. 201.)

2° Si Reliquias amisit. (Decret. 7 Decembris 1844, n. 2880, antiq. 4997.) Non valet in casu appositio aliarum Reliquiarum, facta ab Episcopo, vel ejus auctoritate ; sed Ara denuo est consecranda. (Decret. 7 Decembris 1844, supra citatum, et Decret. 23 Maji 1846, n. 2911, antiq. 5043.)

3° Si frangitur claustrum lapideum Sepulchri Reliquiarum ; aut si claustrum aliquas habet scissuras ; etiamsi istæ inter se adhæreant, et nullimode dubitari

possit de Reliquiarum authenticitate. (Decret. 23 Junii 1879, n. 3497, antiq. 5786, ad 2.)

4° Si amotum fuit operculum a Sepulchro (Decret. 5 Decembris 1851, n. 2991, antiq. 5162) ; etiamsi Reliquiæ nullo modo fuissent dimotæ, et operculum mox fuisset repositum. (Cfr. Q. 33, 3°.)

Declaravit tamen S. Rituum Congregatio, quod non debet censeri tamquam exsecrata Ara, ex eo solum quod, consumpto cæmento, ob defectum cohæsionis, rimula quædam cernitur inter Sepulchrum ejusque operculum, etiamsi admota manu tantisper moveri dignosceretur ; modo prudenter præsumi possit Sepulchrum numquam fuisse apertum. (Decret. 3 Septembris 1879, n. 3504, antiq. 5793, ad 2.) Mens S. Rituum Congregationis in tali casu est, ut Episcopus ipse privatim rimulam impleat cæmento benedicto, et ita operculum ipsum firmet, tutiori quo fieri potest modo, ne lapis ipse amoveatur. Episcopus per se ipsum hoc faciat oportet, nisi obtineatur Apostolica facultas alium, nempe Sacerdotem subdelegandi. (Decret. 18 Maji 1883, n. 3575, ad 10, antiq. 5872, ad 14.) In casu vero quo dubitari possit amotum fuisse lapidem, denuo consecrari debet Ara, forma consueta, vel breviori, si hæc ab Apostolica Sede impetrata fuerit. (Decret. idem, ad 11, antiq. 15.)

Per Litteras 13 Junii 1903, obtenta fuit pro nostra Diœcesi Mechliniensi facultas privatim ac breviori ritu et formula perficiendi Consecrationem Altaris portatilis quod aliquo defectu in Sepulchro Consecrationem amisit ; servata in casu Instructione Litteris adjuncta. (Cfr. Q. 33, Nota V ; cfr. etiam Decret. S. Rituum Congregationis, 28 Julii 1883, n. 3585, antiq. 5884, ad 3.)

Nota. Si autem, absque fractione, aut amotione hujus claustri, deletur tantum sigillum Episcopale, fortuito, vel ex consumptione, modo ex usu continuo, vel aliter certo constet, hujusmodi Aram debite, seu rite fuisse consecratam, Consecrationem non amisisse censetur. (Decret. 5 Decembris 1861, n. 2991, antiq. 5162, ad 1 et 2. Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 99 ; et IX, 1895, pag. 693.)

CAPUT II

De Altaris ornatu

Q. 41. *Quænam præcipue pertinent ad Altaris ornatum ?*
R. Ad Altaris ornatum præcipue pertinent : Antipendium, ac Mappæ, quibus Altare vestitur ; et Crux, ac Candelabra, quæ super Altare ponuntur.

§ 1. De Antipendio

Q. 42. *Quid est Antipendium ; et quomodo est conficiendum ?*
R. I. Antipendium, quod etiam vocatur Pallium, est ornamentum quo pars Altaris anterior, seu frons, id est stipes et etiam mensæ crassities ab anteriori parte, vestitur aut tegitur. Ubi Altare parieti non adhæret, etiam pars Altaris posterior antipendio, seu pallio vestiatur, præsertim si hæc pars fidelium aspectui patet, ut et ipsa decori respondeat, qui in tota Altaris structura omnino requiritur.

Etenim Altare locus est sanctissimus in Ecclesia ; Altare quidem est Christus (cfr. Q. 8), ideoque, ob ejus venerationem, vestimentis pretiosis circumdatur, ut ait Pontificale Romanum (in Ordinatione Subdiaconi) ; unde jam intelligitur ratio antipendii, quo vestitur seu ornatur Altaris antica pars,necnon postica,dum reliquæ vestiuntur mappis, ut in sequenti paragrapho dicetur.

In libris liturgicis ornamentum hoc Pallium vocatur; communiter apud nos nuncupatur Antipendium; gallice dicitur « parement » ; flandrice « voorhangsel », sed in vulgari locutione potius nomen latinum antipendii aliquantum decurtatum usuvenit.

II. Ex hujus ornamenti nomine vulgari diceres quod pendet ante Altare ; generatim tamen non talis est ejus usus. Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XII, n. 11) dicit Altaris pallium, seu antipendium muniendum esse sectis quadratisque lignis, quæ telaria vocant, ne rugosum, aut sinuosum, sed ut extensum, et explicatum decentius conspiciatur ; jamvero hujusmodi te-

laria satis difficile appenderentur ; ideo semper apud nos antipendium ponitur in suppedaneo ante Altaris frontem, et in utroque latere uncinis firmatur ne cadat.

Monet autem Cæremoniale (loco citato), ne « coronides ligneæ circa Altaris angulos ducantur, sed earum loco apponi poterunt fasciæ, ex auro, vel serico elaboratæ, ac variegatæ, quibus ipsa Altaris facies apte redimita ornatiorque appareat. » Coronides ligneæ sæpius tamen apponuntur ante ipsum pallium in nostris Ecclesiis ; earum usus sæculo XVIII ex Gallia ad nos perductus fuit ; præterquam quod contra legem Cæremonialis sunt, ex earum usu sequitur istud inconveniens, quod nimia jam habeatur distantia inter Altaris lapidem et hujusmodi coronidis labrum. Quæ remanent in Ecclesiis quibusdam antiqua pallia ante sæculum XVIII confecta, non indigere hac coronide revera constat.

Juxta praxim Romanam licet in suppedaneo prope pallium apponere asserem, ejusdem longitudinis ac pallii, et altitudinis circiter 10 centimetrorum, ne qui ad Altare stant pedibus lædant ipsum pallium. Hujusmodi asseres, ordinarie cupro cooperti, non pauci ab antiquo exstant adhuc in nostris Ecclesiis.

Q. 43. *Quid dicendum est de materia antipendii ; quid de colore ; quid de ejus ornatu ?*

R. I. De materia antipendii nihil speciale præscribunt Rubricæ Missalis. Communiter pallium conficitur ex eadem materia ex qua confecta habentur indumenta sacerdotalia, nempe ex serico ; attamen sericum, expresse et stricte præscriptum pro indumentis sacerdotalibus, non ita rigorose requiritur pro antipendio, et alia materia minus pretiosa, modo decens sit, pro quotidiano usu adhiberi potest.

Pro festivitatibus solemnioribus Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XII, n. 11) adhibenda indicat « pallia aurea, vel argentea, aut serica, auro perpulchre contexta », quibus « apponi possunt fasciæ ex auro, vel serico elaboratæ, ac variegatæ, quibus ipsa Altaris facies apte redimita, ornatiorque appareat. » — Aurea pallia novimus, ex archæologiæ et historiæ documentis,

ab imperatoribus, regibus, vel pontificibus Ecclesiis principalioribus aliquando oblata ; argentea quædam, sed rara, in quibusdam Ecclesiis nostræ Diœcesis videre est ; item ex cupro deaurato ; serica pallia auro perpulchre contexta exhibent multæ ex nostris Ecclesiis, saltem ad principaliora Altaria in solemnioribus festivitatibus ; serica absque auro, et plus minusve pretiosa, pro quotidiano usu adhibentur communiter.

II. De colore antipendii dicit Cæremoniale Episcoporum (loco citato), quod esse debet pallium « coloris festivitati congruentis » ; Missale Romanum vero (Rubricæ generales, Tit. XX) vult ut pallium sit « coloris, quoad fieri potest, diei Festo, vel Officio convenientis. » Ex verbis « quoad fieri potest » nemo præsumat liberum quasi esse apponere pallium, ex. gr., rubri coloris in Festo Paschatis, etiamsi pretiosissimum foret ; Rubrica hæc admittit pallia quæ colorem liturgicum proprie non habent, ut sunt aurea, vel argentea, vel ex serico acu picto diversi coloris, ut infra ad III dicetur ; pallia hujusmodi ex Rubrica citata non reprobantur ; quoad tamen fieri potest, sint pallia coloris Festo, vel Officio congruentis.

Nota. Ad dubium : « Potestne adhiberi pallium nigri coloris in solemni Commemoratione et Exsequiis Defunctorum, ad Altare SS. Sacramenti ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 20 Martii 1869, n. 3201, ad 10, antiq. 5430, ad 12.) Attamen, si Altare SS. Sacramenti sit Altare majus, vel unicum Ecclesiæ, declaravit eadem S. Congregatio, sufficere in casu quod sacri Tabernaculi saltem conopeum sit violacei coloris. (Decret. 1 Decembris 1882, n. 3562, antiq. 5858.) Ex quo Decreto patet S. Congregationem rigorem prioris Decreti voluisse moderari.

De coloribus liturgicis, pro diversis Festis, vel Officiis requisitis, dicetur postea in Sectione IV hujus Libri ; hic tamen libet quasi per transennam animadvertere, quod, exposito SS. Sacramento, color paramentorum Altaris, et consequenter pallii, semper debet esse albus, dum color indumentorum Sacerdotis et Ministrorum esse debet ille qui convenit Missæ, vel Officio, quæ ad Altare Expositionis celebrantur ; ex. gr., in Festo Pentecostes requiritur color rubeus pro omnibus paramentis ; sed si Missa celebratur ante SS. Sacramentum in Altari expositum,

Celebrans ejusque Ministri induere debent paramenta rubri coloris qui huic Festo convenit, Altaris pallium vero omnino debet esse albi coloris, ratione Expositionis. Ad petitionem « pro facultate retinendi pallium rubri coloris in Altari, in quo exponitur SSmum Sacramentum, Dominica Pentecostes et duabus sequentibus Feriis », S. Rituum Congregatio respondit : « Obstant Decreta. » (Decret. 19 Decembris 1829, n. 2673, antiq. 4652.)

Non applicari tamen debet hæc regula brevi Expositioni quæ fieret immediate post Missam, aut Vesperas, ut Benedictio cum SS. Sacramento detur populo, si Celebrans et ejus Ministri non discedunt ab Altari ; quia tunc paramenta coloris Festivitatis, aut Officii ab istis quoque retinentur, adhibito tantum velo humerali albi coloris pro Benedictione (Decret. 20 Septembris 1806, n. 2562, antiq. 4503, ad 1) ; major enim in casu sequeretur in conspectu populi, et præsentibus Celebrante ac Ministris, incongruentia in pallii mutatione, quæ tunc temporis non ita facile fieri potest ; et ideo rescripsit S. Rituum Congregatio, licitum esse retinere in casu Conopeum et Altaris paramenta coloris quem exigit Officium diei. (Decret. 1 Decembris 1882, n. 3559, antiq. 5855, ad 1.) Quatenus vero Celebrans et Ministri ab Altari recederent, et Expositio inde haberetur tamquam functio omnino separata et distincta a Missa, aut a Vesperis, utendum foret paramentis albi coloris pro Expositione et Benedictione a Celebrante et Ministris (Decret. citatum), et consequenter pallium Altaris etiam deberet mutari. (Cfr. Q. 133.)

III. Ornatus antipendii liber relinquitur. Communiter superior pallii pars (tertia circiter altitudinis, seu 30 ad 40 centimetrorum), in tota sua longitudine (a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii) decoratur fascia, quæ, magis auro, vel opere acu picto, et fimbriis ornata, proprie frontale vocatur ; hæc fascia insuper ad utramque pallii extremitatem lateralem (a parte Evangelii scilicet, et Epistolæ) etiam apponitur, quasi usque ad imum, seu Altaris suppedaneum descendens ; remanet in medio, sub frontale et usque ad imum, reliquum antipendii, in quo præcipue requiritur color conveniens, dum in fascia, utpote ad ornatum potius conducente, mixti colores admitti possunt.

In aliis antipendiis, plerumque pretiosioris materiæ et artis elegantioris, non conspicitur fascia supra descripta ; sed ipsa exhibent decoramenta varii generis, nempe flores, imagines, emblemata, etc., ex diversis opere et colore, et diverso modo disposita. Ex multiplici ornatu hujusmodi pallia determinatum colorem

aliquando non habent, nisi appareat panni in quo ornamenta contexta fuere color, a quo tunc pallii color determinatus jam haberetur ; ex. gr., si pannus est albi coloris, non posset pallium, etsi diversi coloris ornatu decoratum, adhiberi pro colore rubeo. — Nihil obstat hujusmodi pallia ad Altare apponere ; attamen ornatus cum fascia, supra descriptus, magis liturgicus est, et conformis Romano et universali usui.

Quoad imagines ad ornatum pallii appositas, notandum est, ex consideratione quod Altare significat Christum Dominum, principaliter convenire imaginem ipsius Christi, vel repræsentationem alicujus facti ad Christi vitam, vel ad Mysterium Eucharisticum referendam, ex. gr., ultimæ Cœnæ. Optime convenit imago Crucis cujus quatuor partes æquales sunt ; minus vero conveniret imago Crucis cum Crucifixo, quia hæc super Altare jam requiritur, ut dicetur in § 3.

Aliquando apponuntur imagines Sanctorum : si ipsi associant quasi Christum principali loco repræsentatum, optimus erit ornatus ; ex consideratione significationis Altaris minus placeret quidem imago solius Sancti ; attamen, cum Altare fixum consecretur etiam ad nomen et memoriam alicujus Sancti, nimis rigorosum videretur ejus imaginem ab ornatu pallii excludere.

Quoad emblemata apposita, optime conveniunt quæcumque Christum vel Altaris Mysterium figurant, ex. gr., agnus, pelicanus, calix cum hostia, etc. ; quæ emblemata ad Sanctos referuntur non rejicienda esse patet ex eis quæ de eorum imaginibus dicta sunt.

Animadversionem sequentem libet hic addere de imagine Cordis, quæ non raro apponitur ad pallii ornatum ; S. Rituum Congregationi sequens fuit propositum dubium : « Utrum approbanda tolerandave sit effigies, satis late vulgata, duorum Cordium ejusdem magnitudinis, ejusdem decoris et in eodem quasi gradu consistentium, quorum unum refert Cor adorandum Verbi incarnati, iis ornatum insignibus, quibus pia B. Margaritæ Alacoque revelatione depingendum exhibetur ; alterum autem immaculatum Cor Beatæ Mariæ Virginis exprimit rosea corona redimitum et gladio perforatum : utroque interdum radiis ejusdem, ut aiunt, glo-

riæ circumcincto ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Ejusmodi emblemata, privata ex devotione, permitti posse ; dummodo Altaribus non apponantur. » (Decret. 5 Aprilis 1879, n. 3492, antiq. 5780.) Idem dicendum est de mera figura SS. Cordis Jesu, omnino a persona Christi separata. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 618.)

Nota. I. In quibusdam ex majoribus nostris Ecclesiis, in quibus plura Altaria numerantur, reperire adhuc est pro quotidiano usu in minoribus Altaribus, vel antiqua pallia ex materia coreacea, quæ satis pretiosa habetur ; vel etiam tabulas ligneas depictas, imagines vel emblemata cum diversi coloris ornatu exhibentes. Modo hujusmodi pallia non profanum ornatum, sed decentem exhibeant, et bene ac nitide conservata habeantur, certe ad suum usum retineri possunt. (Cfr. Fumagalli, *Promptuarium liturgicum,* 1889, Lib. II, pag. 350.)

Nota. II. Cum antipendium sit ornatus magni satis pretii, non mirum, si aliquando quid novi ejus loco apponendum quæritur. Ita in quibusdam Ecclesiis, loco pallii quod totam anteriorem partem Altaris tegit, usuvenit parvum antipendium, circa dimidium metri habens ex quavis parte, quod suspenditur in medio Altaris. S. Rituum Congregatio, interrogata an tolerari possit hujusmodi pallii usus, rescribendum censuit : « Negative, seu non convenire. » (Decret. 10 Septembris 1898, n. 4000, ad 2.) Forsan idem censeret S. Congregatio de noviter introducto in nonnullis nostris Cappellis et Ecclesiis ornatu, qui ad mensam Altaris suspensus figuram exhibet solius frontalis antipendii, cæterum auro, vel opere acu picto pulchre contexti. Ut quid frontale tantum ? Pretio ad summum duplicato jam haberetur antipendium vere liturgicum.

Q. 44. *An Antipendium apponi debet ad Altare ?*

R. Inter requisita ad Altare pro celebratione SS. Missæ Sacrificii, Rubricæ generales Missalis (Tit. XX) recensent Antipendium : « Pallio quoque ornetur. » Quidam auctores ex his verbis concludunt, pallium ad Altare non esse de præcepto apponendum, sed adhiberi tantum ad ornatum, qui decus augeat Altaris. Etiamsi responderi queat, verba Missalis ita posse intelligi, quod saltem pro Missæ celebratione in Altari ornatus requiratur, qui ornatus consistit inter alia in pallii appositione, aliqua tamen cum ratione dici potest, pallium pertinere ad ornatum Altaris, nec ad alium finem a lege præcipi, nisi ut antica pars Altaris decori respondeat ; quod si finis iste alia ratione obti-

neri possit, pallii obligationem cessare. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 522 et sqq.)

Unde, si ipsa structura Altaris est marmorea, lapidea, vel etiam lignea, et simul opera et artificio egregia ; vel si decorata est metallo, aut coloribus diversis illustrata ; vel si mensa Altaris columnolis sustentatur ; aut stipes ad formam tumbæ decore est confectus ; in his casibus jam adest in ipsa structura requisitus ornatus, finis a lege intentus obtinetur, nec supplendum decoris defectui ultro remanet per pallii appositionem. Et quidem color proprius materiæ ex qua frons Altaris efformatur, quicumque sit, servari continuo potest, etsi albus, subrubeus, niger, vel etiam discolor.

Attamen, in festivitatibus solemnioribus, juxta Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XII, n. 11), Altare « quo splendidius poterit, pro temporum tamen varietate et exigentia, ornabitur » ; et primo loco ad hunc ornatum Cæremoniale recenset pallium pretiosum, aut perpulchre contextum, coloris festivitati congruentis. Quam sapiens sit hæc præscriptio patet consideranti, quod revera ad solemnem Altaris ornatum plurimum conducit antipendium, omnium oculos sua amplitudine et suo splendore allectans ; quod ex ejus aspectu statim indicatur character Festi vel temporis ; liceat addere, quod, omissa semper antipendii appositione, quasi defectus habeatur ex eo, quod æque ac in Festo Paschatis, quod Solemnitas solemnitatum vocatur, ita et in Feria VI Parasceve, in Feria IV Cinerum, ac in Officiis mortuorum, semper exhibetur idem Altare, et cum eodem suo in parte antica ornatu. — Nonnullis quidem summa cura est, ut quamprimum ornare Altare possint antipendio nigri coloris pro exsequiis solemnioribus ; habeatur jam etiam eadem cura pro solemnioribus festivitatibus Domini et Sanctorum, ad majorem Dei gloriam, ad splendorem Officiorum, et ad populi ædificationem.

Ex dictis respondetur breviter propositæ quæstioni : Antipendium apponendum est ad quodcumque Altare, nisi ipsa structura Altaris, lapidea, vel lignea, decore ornata sit metallo, vel lapide pretioso, vel figuris, aut per modum tumbæ sit confecta. Attamen in solemnio-

ribus festivitatibus etiam pro hujusmodi Altari requiritur, aut saltem convenit pallii pretiosioris ornatus.

§ 2. De Mappis

Q. 45. *Ad quid inserviunt Mappæ in Altari ? Quid de eis præscribunt Rubricæ ?*

R. I. Sicut antipendium inservit ad ornandum partem Altaris anteriorem, et posteriorem, ita ad operiendum et involvendum tres reliquas Altaris partes, superiorem nempe, seu planitiem, et utramque lateralem, inserviunt Mappæ, quæ vocantur etiam tobaleæ, linteamina ; unde totum Altare habetur involutum, tum palliis, tum mappis.

II. Rubricæ generales Missalis sequentia de mappis præscribunt (Tit. XX) : « Altare operiatur tribus mappis seu tobaleis mundis, ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictis, superiori saltem oblonga, quæ usque ad terram pertingat, duabus aliis brevioribus, vel una duplicata. »

Cæremoniale Episcoporum de mappis dicit (Lib. I, Cap. XII, n. 11) : « In superna linea (Altaris) mappæ mundæ tres saltem explicentur, quæ totam Altaris planitiem, et latera contegant. »

Q. 46. *Indica diversas liturgicas regulas observandas pro usu Mapparum.*

R. I. Quoad materiam. — Altaris mappæ tres debent esse confectæ ex lino (lin, vlas), aut cannabe (chanvre, kemp), non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabem æmulante et æquante. (Decret. generale S. Rituum Congregationis, 15 Maji 1819, n. 2600, antiq. 4563.)

II. Quoad Benedictionem. — Altaris mappæ tres debent esse ab Episcopo, vel alio habente potestatem benedictæ, priusquam pro celebratione SS. Missæ Sacrificii adhiberi possint. In nostra Diœcesi Decanis concessa fuit facultas benedicendi mappas, in territorio districtus sui. (Cfr. Stat. diœc. n. 67.) — Quænam observanda sint pro hac Benedictione exponuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum. (QQ. 325, 326, 330, 338.)

III. Quoad numerum. — Mappæ requiruntur in Altari tres numero, pro celebratione Missæ, ita ut non licita sit celebratio, si Altare tribus mappis non operiatur. Pro duabus mappis inferioribus sumi potest unus pannus ex lino vel cannabe, sat magnus ut valeat duplicari, et duplicatus sufficienter extendi, quo pro duabus mappis separatis sufficiat. Mappa superior vero semper debet esse simplex, seu ab inferioribus separata.

IV. Quoad extensionem. — Mappæ duæ inferiores debent Altaris mensam cooperire, etiam in Altari portatili, in quo non sufficit ut cooperiant tantum Aram lapideam consecratam ; mappa superior vero, juxta Rubricam, ita oblonga esse debet, ut ab utraque parte laterali Altaris usque ad terram pertingat. In pluribus Ecclesiis ubi habentur Altaria quæ columnolis nituntur, aut ad modum tumbæ confecta sunt, et antipendio non ornantur, usus invaluit adhibendi superiorem mappam, quæ tegat tantum mensam Altaris, quin ab utraque parte ad suppedaneum pertingat. S. Rituum Congregatio, quæ olim declaraverat servari posse consuetudinem « quod tobaleæ Altaris usque ad terram a lateribus non pertingant » (Decret. 30 Decembris 1881, n. antiq. 5830, ad 11), hoc responsum expunxit in nova editione hujus Decreti (sub n. 3535), et hodiedum, absque ulla distinctione formæ Altarium, requirit ut mappa superior usque ad terram pertingat ; etenim ad dubium : « Utrum servari possit consuetudo, ex qua tobalea superior Altaris usque ad terram non pertingat ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Negative ; et servetur Rubrica generalis Missalis, Tit. XX. » (Decret. 9 Junii 1899, n. 4029, ad 1. Cfr. etiam Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 234.)

In latitudine vero totam Altaris mensam contegere debent mappæ, inde ab ora Altaris usque ad gradum candelabrorum.

V. Quoad ornatum. — S. Carolus Borromæus de ornatu in mappis dicit (*Instructionum Fabricæ Ecclesiasticæ*, Libro II, Parte II), quod mappæ nulla ex parte possunt elaborari serico aut bombacio, rubri, cærulei, alteriusve coloris. Vitio itaque introducitur hodiedum in quibusdam regionibus hujusmodi ornatus in mappis.

Textum reticulatum adhiberi potest ; etenim S. Rituum Congregatio rescripsit « posse permitti » in tobaleis Altarium « vela transparentia, quæ repræsentant Cruces, Ostensoria, Calices cum Hostia, figuras Angelorum, et alia similia sacra objecta. » (Decret. 5 Decembris 1868, n. 3191, ad 5, antiq. 5419, ad 6.) Hæc admittuntur dependentia ab anteriori parte et a lateribus, non autem in ipsa mensa seu superficie Altaris ; et dummodo non ex gossypio, sed ex lino vel cannabe hæ laciniæ sint confectæ. Si antipendium apponitur, superfluus certe foret hic ornatus reticulatus a parte antica ; in utroque latere vero admittitur.

Fundum rubri vel alterius coloris hujusmodi textili reticulato submittere non amplius prohibitum censeri potest, ex quo S. Rituum Congregatio tale quid admittit in fimbriis sacrorum indumentorum, uti postea explicabitur. (Cfr. QQ. 111, V, et 112, III.) Attamen animadverti potest in Decretis ibi citatis agi de sacris indumentis Celebrantis, nempe de alba et de rochetto, non vero de mappis Altaris.

VI. Quoad munditiem. — Præscribit Missalis Rubrica, ut mappæ sint mundæ, pro loci profecto, et Sacrificii qui in eo offertur sanctitate ; quare diligenter provideant viri ecclesiastici, ut sæpius, imo quotidie post Missas, mappæ purissima scopula purgentur. Præscribit S. Carolus Borromæus, ut superior mappa quidem singulis mensibus, inferiores vero quater in anno mundatæ apponantur ; quod servetur in iis Altaribus, in quibus quotidie, aut frequenter Missæ celebrantur ; sæpius etiam fiat, quoties in mappis adsunt maculæ, vel ex defluente cera, vel ex vino, vel ex usu, vel alia ex causa. — Utinam tremenda Domini mensa nusquam inveniatur sordida, tantoque Hospite indigna !

Q. 47. *Indica reales et symbolicas significationes mapparum.*

R. I. Mappæ, quæ ex tela linea, mundissima et pretiosa, confici debent, signum reale sunt munditiei, quæ in Altari requiritur ob sanctissima Mysteria quæ in eo peraguntur, et reverentiæ quæ propterea ipsi Altari sacro debetur. — Tres numero præscribuntur, ad ma-

jorem cautelam in casu effusionis pretiosissimi Sanguinis.

II. Mysticæ mapparum significationes sunt : Sicut Altare designat Christum Dominum (Q. 8), ita Altaris linteamina, ut dicit Pontificale Romanum (in Ordinatione Subdiaconi), significant « membra Christi, scilicet fideles Dei, quibus Dominus quasi vestimentis pretiosis circumdatur, ut ait Psalmista : Dominus regnavit, decorem indutus est. Beatus quoque Joannes in Apocalypsi vidit Filium hominis præcinctum zona aurea, id est, sanctorum caterva. » — Vel significant mappæ mystice plura linteamina, quibus involutum exanime corpus Christi in sepulchro jacuit. — Linum vero, seu byssinum, ex quo conficiuntur, indicat puritatem et pietatem Christi fidelium : « Et datum est Illi (Agno) ut cooperiat se byssino splendenti et candido. Byssinum enim justificationes sunt sanctorum. » (Apocal. Cap. XIX, ℣. 8.)

Q. 48. *Quænam usuveniunt duo alia operimenta Altarium ?*

R. Præter mappas usuveniunt duo sequentia operimenta Altarium : 1° Chrismale. In Consecratione Altaris fixi, post unctiones cum Sacris Oleis, Subdiaconi diligenter abstergunt Altaris mensam ; tum Ministri ponunt super Altare Chrismale, ad mensuram Altaris factum, deinde vestiunt Altare tobaleis. Ita Pontificale. — Chrismale autem est pannus lineus albus, qui ex eo quod cera muniatur et roboretur, dicitur ceratus (toile cirée). — Præscribitur Chrismale ponendum in Altari fixo infra mappas ; sed animadvertendum est quod ipsum pro mappa numerari non potest ; pars seu facies cerata ponitur super mensæ lapidem, non solum ne maculentur Altaris mappæ Sacris Oleis quibus in ritu Consecrationis inuncta fuit tota Altaris mensa, et speciatim Sacro Chrismate, unde ei nomen est Chrismalis ; sed etiam quia hujusmodi pannus ceratus a mappis arcet omnem humiditatem e lapide exhalantem ; unde Chrismale retineri potest in perpetuum super Altaris mensam, etiamsi a longo jam tempore Altare fuerit consecratum, præsertim in Ecclesiis hume-

scentibus. Ab Altari numquam amoveri debet, nisi Feria V in Cœna Domini, ad denudationem Altarium.

2° Vesperale, seu tela stragula. Est tela linea, vel serica, qua extra celebrationem Missæ, et Officia divina, mappæ Altaris totæ conteguntur, ne sordibus pateant. S. Carolus indicat colorem ejus viridem ; alius tamen color adhiberi potest ; convenit ut cingatur ab omni parte laciniis brevioribus (franges).

Quando Sacra fiunt, Vesperale non ex parte tantum replicetur, sed semper ab Altari omnino tollatur. (S. Rituum Congregatio, Decret. 2 Junii 1883, n. 3576, antiq. 5874, ad 2.)

Nota. A primis sæculis tamquam Altaris linteamen computabatur etiam Corporale, in quo SS. Christi Corpus a Consecratione usque ad Communionem deponitur, quodque per totam Altaris mensam extendebatur. Corporale hoc designat Episcopus, ubi in Ordinatione Subdiaconi, alloquens ordinandos, ipsis indicat pallæ corporalis præstantiam supra reliquas pallas « quæ sunt in substratorio Altaris » ; istæ sunt nostræ mappæ, ponendæ seu sternendæ subtus pallam corporalem, et ideo etiam vocatæ substratoria. A sæculo XI Corporale sensim strictius cœpit esse, seu minoris extensionis, et hodiedum computatur communiter tamquam accessorium Calicis. Ideo de ipso dicetur postea, ubi de Calice agitur.

§ 3. De Cruce Altaris

Q. 49. *Quod est principale ex ornamentis Altaris ? Quare ? Quid dicendum est de imaginibus Sanctorum in Altari positis ?*

R. I. Relative ad celebrationem Sanctissimi Missæ Sacrificii, principale ornamentum Altaris est Crux cum Imagine SS. Crucifixi, quæ supereminere debet inter candelabra.

II. Ideo quidem Crux principale ornamentum Altaris est, quia per ejus aspectum Celebranti et populo passio Christi in memoriam revocatur : Sacrificium Missæ est enim viva imago, vera repræsentatio, et incruenta expressio cruentæ mortis Salvatoris, et Sacrificii cruenti

quod in Cruce oblatum fuit. — Ideo etiam, quia Crux in Altari est tamquam signum Regis in regia sua.

III. Quando Altare consecratur ad nomen et memoriam alicujus Sancti, jus habet ille Sanctus ut ejus imago in medio Altaris ponatur, vel depicta in majori tabula, vel incisa in forma statuæ.

Super hac Sancti Titularis imagine hic notare juvat quod ipsa sine speciali Indulto removeri nequit ab Altari cujus nomini dedicatum fuit, sed in eodem absolute remanere debet ; et si aliquando conceditur in eodem Altari collocare imaginem alterius Sancti, oportet tamen ut imago Sancti Titularis insuper in Altari collocata remaneat, saltem in ovali figura super gradus candelabrorum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Augusti 1836, n. 2752, antiq. 4793, ad 5 et ad 7 ; cfr. Adnotationes super hoc Decreto in Vol. IV Collectionis, pag. 365 et 367.)

Porro ad rem nostram præsentem animadvertendum est, quod numquam imago Sancti, etiam Titularis, permittitur poni in medio Altaris tali modo et loco ut Crucem convenientem pro Missarum celebratione debitam impediat. (Cfr. Benedictus XIV, Constitutio *Accepimus*, 16 Julii 1746.) Crux in medio Altaris est et remanet semper pro Missæ celebratione principale Altaris ornamentum.

Q. 50. *Quid statuunt Rubricæ de Cruce Altaris ? An ipsa debet esse benedicta ?*

R. I. Cæremoniale Episcoporum præscribit (Lib. I, Cap. XII, n. 11), ut in planitie Altaris, in medio candelabrorum collocetur Crux, ex eodem metallo ex quo candelabra confecta, « opere prælta, ita ut pes Crucis æquet altitudinem vicinorum candelabrorum, et Crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine sanctissimi Crucifixi. » — Missale Romanum requirit, ut « super Altare collocetur Crux in medio, et candelabra..... hinc et inde in utroque ejus latere. » (Rubricæ generales Missalis, Tit. XX.)

Quod dicit Cæremoniale Episcoporum de Cruce conficienda ex eodem metallo, ex quo confecta habentur candelabra in utroque ejus latere posita, non rigorose

est accipiendum, et Crux confici potest ex alia materia, ex. gr., ex ligno.

II. Nullibi in Rubricis mentio fit de Benedictione Crucis quæ in Altari ponitur, nisi in Pontificali Romano, ubi, in Dedicatione Ecclesiæ, post terminatam Altaris Consecrationem, notatur quod Episcopus debet benedicere tobaleas, vasa et ornamenta Altaris ; quo facto, statim ministri « vestiunt Altare tobaleis, et ornamentis benedictis, ponentes desuper Crucem, et alia ornamenta. » Si ex his verbis deducitur Crucem Altaris esse benedicendam, notandum tamen est, præceptum ad hunc casum Consecrationis Altaris solum limitari, et non extendi debere ad omnes Altarium Cruces ; nam S. Rituum Congregatio, hac super re interrogata, declaravit quod Cruces Altarium non sunt de præcepto benedicendæ.(Decret.12 Julii 1704,n.2143, antiq. 3697, ad 1.)

Hujusmodi Benedictionem, etsi non necessariam, tamen valde congruam æstimant plures auctores.

Si privatim benedicitur Crux Altaris, id fieri potest a quocumque Sacerdote, absque delegatione Episcopi. (Decret. citatum, ad 2.) Notandum remanet, quod in casu sumenda est Benedictio quæ in Rituali Romano describitur pro Imaginibus, non autem Benedictio descripta pro nova Cruce, quæ convenit pro Cruce sine Imagine Crucifixi. (Decret. 4 Septembris 1880, n. 3524, antiq. 5818, Dubium IV, ad 2 ; cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 330, II ; et Q. 339.)

Q. 51. *Quid dicendum est de obligatione Rubricarum quæ statuunt Crucem esse collocandam super Altare ?*

R. Rubricæ istæ omnino præceptivæ sunt, et observari debent ; adeo ut prohibitum sit SS. Missæ Sacrificium celebrare ad Altare, in quo Crux cum Imagine SS. Crucifixi inter candelabra non promineat. (Cfr. Benedictus XIV, Constitutio *Accepimus*, 16 Julii 1746.)

Nota. Non adeo antiqua est hæc disciplina collocandi Crucem cum imagine Crucifixi super Altare.

Et quidem imago Christi Jesu in Cruce pendentis in veteri Liturgia prorsus ignota videtur ; hac enim cautela utebatur Ecclesia, ea præsertim ducta ratione, ne Crucifixus Judæis quidem

scandalum, Gentibus autem stultitia videretur. Sub symboli velo effingebatur hisce primis temporibus Crux, sub forma anchoræ hastilis addita transversa linea : necnon Crucifixus sub figura delphini tridenti devincti, ubi piscis delphinus, ἰχθύς, Christum, tridens Crucem significat.

Pace Ecclesiæ reddita, Crux fidelium cultui proposita fuit, ornata quidem triumphalibus palmis, gemmis floribusque, sed absque Crucifixi imagine ; hæc enim nonnisi sæculo VII delabente oculis fidelium subjecta fuit adoranda ; Christus tunc repræsentatus fuit in Cruce pendens vivus, triumphali modo ; et tantum post sæculum X placuit artificibus Illum effingere mortuum.

Remotioribus hisce sæculis Missæ Sacrificium præsente Cruce, seu ad Crucis conspectum fuisse oblatum inconcussum habetur ; attamen non semper super Altare collocata fuit Crux : sufficiebat enim ut vel depicta haberetur in pariete prope Altare, vel posita ante aut juxta Altare, vel in summo ciborii vertice supra Altare exstructi, vel dependens supra Altare e coronide.

Circa sæculum XI autem mos invectus fuit ut effigies Christi Jesu Crucifixi, dum Sacrificium peragitur, primum locum teneret super Altaris mensam ; et Innocentius Papa III († 1216) in suo opere « De sacro Altaris Mysterio » scribit (Lib. II, Cap. 21), tamquam ubique præceptum et observatum, quod « inter duo candelabra in Altari Crux collocatur media. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 136 ; et XVII, 1903, pag. 35.)

Q. 52. *In quibusnam casibus dari potest exceptio regulæ collocandi Crucem inter candelabra ?*

R. 1° Si imago SS. Crucifixi in majori tabula Altaris depicta, primum locum obtinet præ cæteris omnibus quæ in eadem tabula exprimuntur, vel si in Altari adest magna statua SS. Crucifixi, tunc non debet alia Crux super Altare constitui. (Benedictus XIV, in Constitutione *Accepimus*, supra citata ; et S. Rituum Congregatio, Decret. 16 Junii 1663, n. 1270, antiq. 2231, ad 2.)

Animadvertendum tamen est in casu, quod in hujusmodi tabula depicta, Crucifixus primum locum revera obtinere debet, ut sit sufficiens ad celebrationem Missæ ; quamobrem si in tabula proponitur aliquis Sanctus, Crucifixum, licet magnum, præ manibus habens, ex. gr., Sanctus Franciscus Xaverius ; aut etiam, si Sanctus ante Crucifixum sit provolutus, Crucifixi tamen imago vel parvula sit, vel ita collocata, ut ipsa accessorium potius, quam principale objectum tabulæ esse videatur, ex. gr., S. Thomas Aquinas, S. Francis-

cus Assisiensis, S. Lutgardis ; tunc in illo Altari prorsus requiritur alia Crux cum Crucifixo, in medio candelabrorum. (Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 408.)

Nota. Non sufficeret quæcumque alia Christi Domini imago in Altari posita, ex. gr., Christi infantis, aut Christi Cor suum pandentis, aut etiam Christi vulnera sua exhibentis ; hujusmodi enim imagines per se incapaces sunt Mysterium Crucis in mentem revocare ; igitur, si in Altari etiam præcipuum locum occuparent, nulla propter eas posset admitti exceptio regulæ collocandi Crucem prominentem in medio Altaris inter candelabra.

Ad hoc referri potest sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Postquam rescripserat alicui dubio, nihil obstare ut statuæ Sacratissimi Cordis Jesu et Purissimi Cordis B. Mariæ V. applicentur ad utrumque latus introitus Sanctuarii ; alteri dubio proposito, scilicet : « Effigies Sacratissimi Cordis Jesu debetne potius collocari in medio Altaris majoris loco Tabernaculi ; vel, si adest Tabernaculum in quo asservetur SSmum Eucharistiæ Sacramentum, in hujus posteriori parte ? » S. Congregatio rescripsit : « Negative ad utrumque. » (Decret. 31 Martii 1887, n. 3673, antiq. 5981, ad 2.)

Quædam adhuc existunt antiqua, et plura hodie instaurantur et construuntur Altaria, stylo medii ævi, quæ retabulo (altaarschrijn, retable) super mensam, aut a retro juxta mensam posito decorantur ; in quo, præter icones Sanctorum, vel historias Mysteriorum Christi Domini, aut Sanctorum, picturis vel sculpturis expressas, media tabula repræsentat Calvariæ montem et Christum in Cruce pendentem. Hujusmodi imago certe sufficiens erit pro celebratione Sacrificii Missæ.

2° Pro casu quo Sacrum peragitur in Altari, in quo SS. Sacramentum publicæ fidelium venerationi expositum est, decretum fuit a S. Rituum Congregatione, ut quælibet Ecclesia vel Diœcesis suam retineat consuetudinem ; ita ut nihil immutetur in ea Diœcesi, ubi Crux in Altari constitui soleat, dum Missa celebratur, exposita Sacra Eucharistia publice in Altari ; neque nova disciplina excitetur in ea Diœcesi, ubi contraria

hujusce rei consuetudo jampridem invaluerit. (Decret. 2 Septembris 1741, n. 2365, ad 1, antiq. 4119, ad 5; cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 179, ad II, ubi longius hic casus exponitur.)

In nostra Diœcesi nulla præscripta habetur hac super re disciplina; communis æstimatio tenet Crucem in casu non requiri, sed posse in Altari retineri; unde praxis diversa usuvenit: in aliis Ecclesiis Crux in Altari retinetur tempore Missæ coram SS. Sacramento exposito celebratæ; in aliis autem Crux aufertur; fatendum tamen est aliquando ibi Crucem auferri, non ut disciplina aliqua servetur, sed ex defectu, quia nempe Crux collocatur in ipso throno Expositionis, quod reprobatum notabitur in sequenti Quæstione 55.

Q. 53. *Quid dicendum est de magnitudine Crucis?*

R. Debet Crux cum Crucifixo inter candelabra ita prominere, ut Sacerdos celebrans et populus Sacrificio assistens eumdem Crucifixum facile et commode intueri possint. Itaque a sacris ritibus alienum est, et reprobandum abusum esse declaratum fuit, ac violationem legis Ecclesiæ, si in Altari exiguus tantum Crucifixus, qui ipsius Sacerdotis et populi assistentis oculos pene effugiat, superaddatur tabulæ vel statuæ Sancti in Altari positæ; et permitti nullatenus potest, quod Missæ Sacrificium in hujusmodi Altaribus celebretur. (Ita Benedictus XIV, in Constitutione *Accepimus*, 16 Julii 1746.)

Sed et Crucifixus satis magnus debet insuper alte satis collocari, et ita quidem, ut Sacerdotis ad Altare celebrantis superet caput; ea enim tantum ratione erit Crux populo visibilis; ea etiam tantum ratione licebit Celebranti servare ritum elevationis oculorum ad Crucem, pluries in Missæ celebratione præscriptum; quid enim, si Celebrans, debens ad Crucem oculos elevare, jam cogeretur ex Crucis dispositione eos versus Crucem demittere?

Neque sufficiens est, pro celebranda Missa, parva Crux, etiam cum imagine Crucifixi, posita in summitate Tabernaculi SS. Sacramenti; etenim, illam Crucem non esse sufficientem declaravit S. Rituum Con-

gregatio, quæ apponendam esse insuper aliam Crucem in medio candelabrorum respondit. (Decret. 16 Junii 1663, n. 1270, antiq. 2231, ad 1.) — Attamen, cum hæc declaratio spectet tantum parvam Crucem, sufficere ad implementum rubricæ dicunt auctores, Crucem majorem in summitate Tabernaculi positam, modo Crucifixus satis visibilis sit populo, et Celebrans Crucem commode aspicere valeat. Et ita quidem S. Rituum Congregatio rescripsit quod talis Crux « potest etiam collocari super ipsum Tabernaculum. » (Decret. 11 Junii 1904, *Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Portugalliæ*, ad 4; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 580; cfr. etiam Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 154.)

Ex variis S. Rituum Congregationis hac super re Decretis sufficiat unum referre, ab ipsa S. Congregatione motu proprio renuntiatum : Ad dubium : « An, et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam Crucem vix visibilem, vel supra Tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio Altaris, loco Crucis collocandæ inter candelabra, ut Rubrica præscribit ? » S. Congregatio respondit et statuit : « Reprobandum abusum ; et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat juris et facti remediis. Quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter candelabra, alia tempore Sacrificii apte apponatur inferius, sed visibilis tam Celebranti quam populo. » (Decret. 17 Septembris 1822, n. 2621, ad 7, antiq. 4590, ad 8.) Hoc Decretum Summus Pontifex Pius VII non solum approbavit, sed et locorum Ordinariis stricte præcepit, ut omnimodam illius observationem urgeant. (Cfr. Adnotatio super hoc Decreto, in Vol. IV Collectionis, pag. 226.)

Egregie laudant Ephemerides Liturgicæ (VIII, 1893, pag. 407) aliquem Episcopum, qui pro sua Diœcesi præscripsit sequentes Crucium quæ in Altaribus collocandæ sunt mensuras : in Altari majori Crux longitudinem habeat, pede Crucis secluso, ad minus 60 centimetrorum, et transversam 40 centimetrorum ; in Altaribus minoribus Cruces ad minus longitudinem habeant, pariter pede Crucis secluso, 45 centimetrorum,

et transversam 30 centimetrorum. — Pro rata parte sint oportet Imagines Crucifixi Crucibus appositæ, quæ proinde habeant staturam vel 40, in Altari majori, vel 30 centimetrorum in Altaribus minoribus.

In Quæstionibus pro Visitatione Apostolica Urbis ejusque Districtus, a SS. D. Pio Papa X die 11 Februarii 1904 indicta, adnotatur pro Oratoriis, sub n. 18, quod hasta major (longitudo) Crucis debet esse ad minus 40 centimetrorum, et minor (transversa) 20 centimetrorum ; in privatis Oratoriis potest tolerari mensura aliquanto minor. (Cfr. Acta Sanctæ Sedis, XXXVII, 1905, pag. 405.)

Ephemerides Liturgicæ, mense Junio 1900, sequens publicarunt **Monitum**, « super Cruce Altaris » (XIV, pag. 357) :

« Sacra Rituum Congregatio auctoritatem nobis tribuit memoriam Parochorum, aliorumque Ecclesiarum Rectorum excitandi ad cogitationem Crucis Altaris. Aliquod enim ea super re ineptum facinus irrepere cœpit in Dei templis, neque Urbis exceptis, cum Sacrificium Crucis iteratur, ut videlicet vix paullulum Crucis (ejusmodi nobis exprimendi rationem lectores condonent) super Altari habeant tempore Missæ, quod legi omnino opponitur, et tolerari non potest. »

(Referuntur hic Rubricæ, Decreta, et Ordinationes Summorum Pontificum, quæ supra in variis responsis describuntur, et hic brevitatis gratia omittuntur.)

« Negotium ergo istud non exigui, sed gravis momenti est, ut eo pervenerint nonnulli Episcopi, quod determinare mensuram præfatæ Crucis necessarium judicaverint. Hinc jure merito cl. Foppianus concludit : « Cum itaque res sit tanti momenti et sub gravi præcepto posita, Crux cum Imagine Crucifixi in medio Altaris collocanda est omnino palam, visibilis, ac talis magnitudinis, ut subito in conspectu veniat Celebrantis et populi. » (*Enchiridion pro Sacerdotibus,* Pars I, Tit. XX, n. 2.)

« Equidem mos invaluit, ut minores pictæ tabulæ super Altari collocentur, pro iisque præceptum Crucis prælatæ in medio candelabrorum parvipendatur ; at devotio non debet se legis observantiæ substituere. »

« Illa vera devotio est, quæ ad legum observantiam ducit : quæ vero legem impedit, falsa est et reprobanda. »

« Itaque nomine et auctoritate S. Rituum Congregationis, ad hujus observantiam legis enixe adhortamur omnes quorum interest, illorumque conscientiam gravari, si id neglexerint, liceat nobis in eorumdem mentem redigere. »

Qui in hoc Monito notatur ineptus mos invalescere in Ecclesiis quarumdam regionum, et etiam Urbis Romæ, ponendi scilicet parvam pictam tabulam, repræsentantem Sanctum, vel ejus vitæ factum, eo Altaris loco quem Crux occupare debet, apud

nos ignotus est; sed et haud similis abusus aliquando irrepsit etiam in nostris Ecclesiis, collocandi nempe in loco Crucis statuam alicujus Sancti, vel cui Altare dedicatum est, vel occasione specialis devotionis per mensem, aut per novenam, aut per octavam; ita ut ad pedes hujus statuæ ponatur aliqua parva Crux pro Missæ celebratione. Hujusmodi dispositionem ineptam et illicitam esse ex præcedentibus jam patet; etiamsi statua esset ipsius SS. Salvatoris, ex. gr., Cor suum pandentis; requiritur enim imago Salvatoris, non quæcumque, sed Ipsius Crucifixi. (Cfr. QQ 49, III, et 52.)

Non raro architecti et artifices (multi enim ex eis ignorant Ecclesiæ leges) talem dispositionem proponunt pro Altaribus minoribus: diligenter animadvertant Sacerdotes quorum interest ut Ecclesiæ præscripta observentur.

Q. 54. *Ubi collocanda est Crux super Altare?*

R. Crux collocanda est super Altare in medio longitudinis ipsius Altaris; et in latitudine ad sufficientem distantiam ab Altaris fronte, ut habeatur, frontem hanc inter et Crucis pedem, spatium 70, aut ad minus 50 centimetrorum (cfr. Q. 18); ita enim quæcumque in Altaris medio super mensam pro Missæ Sacrificio disponenda sunt, commode ibi disponi queunt.

Licet Rubricarum textus videatur supponere, quod Crux collocatur immediate in planitie mensæ Altaris super mappas, quemadmodum Romæ præsertim in quibusdam Basilicis servatur, ubi Celebrans ad Altare in medio Basilicæ constructum stat versa ad populum facie; attamen generalis ubique usus exstat, et probatur, statuendi Crucem, et etiam candelabra, super aliquem gradum positum super mensam Altaris, ad distantiam in latitudine a fronte Altaris supra pro Cruce indicatam, qui gradus sæpe predella vocatur.

Ista predella longitudinem ipsius mensæ Altaris, nec plus nec minus, habeat oportet, et latitudinem sufficientem ut Crux et candelabra commode in ea collocari queant; quoad ejus altitudinem nihil determinatur; in quibusdam Altaribus hæc est 5, 10, vel 15 centimetrorum; in aliis major admittitur; non raro, in solemnioribus præsertim festivitatibus, decoratur aliquo ornatu, quasi ad formam pallii seu antipendii Altaris. Gradum hunc tribus mappis esse cooperiendum nullus auctor præscribit; sed unica, ad munditiem et decorem, mappa ut cooperiatur omnes notant. Cæterum, quod ipse

gradus esse debeat, quoad materiam et ornatum, decorus, satis jam intelligitur.

Non raro media hujus predellæ pars, ut Crux Altaris magis promineat, altior construitur, in Altaribus præsertim minoribus. Nihil obstat; probandum quidem foret, ubi, ut in Altaribus gothici styli sæpe evenit, Crux minoris altitudinis apponitur; eo enim modo Crux debito satis prominere poterit. Sed præcaveatur jam diligenter, ne ista predellæ elevatio occasio sit dispositionis alicujus statuæ in loco qui Cruci competit, et inde collocationis ipsius Crucis ad pedes hujusmodi statuæ, quod improbatum ex præcedentibus (QQ. 49, ad III: 52 et 53) novimus. Regula pro statua in Altari collocanda sit, quod ipsa ponatur retro post predellam, et independenter ab ista, altius elevata super aliquam basim, vel ad parietem: ita enim semper servabitur debitus locus Cruci.

Alius etiam in hac mediæ partis predellæ elevatione defectus signandus est: architecti censent aliquando quid utile se producere, si hanc mediam partem predellæ disponunt ad modum armarii, et quidem ornant ad modum Tabernaculi pro SS. Sacramento. Utilitatem armarii in hoc Altaris loco nemo præcipuam æstimabit: esto inservire posse credatur asservationi Sacrarum Reliquiarum: quod si in se non esset improbandum, locus tamen nostris temporibus merito non tutus satis judicabitur. Sed defectus omnino est, si hoc armarium formam habeat Tabernaculi SS. Sacramenti, aut ex ornatu ut tale æstimari possit; cum revera Tabernaculum non sit. Ideo pro minoribus Altaribus, si jam admittitur mediæ partis predellæ elevatio, præcaveatur parvi armarii in hoc loco, ad minus tamquam inutilis, constructio.

Q. 55. *Quid notandum est pro dispositione Crucis in Altari, in quo collocatum exstat Tabernaculum pro asservatione SS. Eucharistiæ?*

R. Prænotatur, quod ea quæ de ipso Tabernaculo SS. Sacramenti dicenda sunt, exponuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum, QQ. 152-154; hic agitur tantum de dispositione Crucis in Altari, in quo Tabernaculum collocatur; in eo enim Crux omnino requiritur pro Missæ celebratione, etiamsi SS. Sacramentum in Tabernaculo inclusum habeatur.

Pro responso ad propositam Quæstionem describitur sequens S. Rituum Congregationis Decretum: Ad dubium: «An Crux cum imagine Crucifixi, in medio Altaris inter candelabra collocanda, etiam in Altari, ubi Sanctissimum asservatur, collocari possit immediate ante ejus Tabernaculum; aut super ipsum, vel in postica

ejus parte collocari debeat ? » S. Congregatio rescri bendum censuit : « Crux collocetur inter candelabra, numquam ante ostiolum Tabernaculi. Potest etiam collocari super ipsum Tabernaculum, non tamen in Throno ubi exponitur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. » (Decret. 11 Junii 1904, *Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Portugalliæ*, ad 4 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 580.)

Huic responso pro praxi sequentes elucidationes et animadversiones adjungere placet.

I. Omissa dispositione Crucis ante Tabernaculum, aut ante ostiolum Tabernaculi, quæ vix practica intelligitur, et a S. Congregatione reprobatur, proponitur sequens simplicior dispositio, quam auctores plerumque commendant : Crux collocetur super Altare inter candelabra, Tabernaculum vero ante Crucem. — Crux necessario debet esse prælta, ut, prominens supra Tabernaculum, visibilis sit Celebranti et populo ; Tabernaculum vero, cum sua parva Cruce in summitate, erit minus altum, qualiter jam hodie plerumque construitur, ex quo scrinia ferrea commendantur pro tuta custodia SS. Eucharistiæ. — Tabernaculum collocabitur in ea ab Altaris fronte distantia, ut adsit spatium circiter 60 centimetrorum, pro commoda Missæ celebratione. — Predella, si adsit, pro Cruce et candelabris, ponetur super Altaris mensam retro post Tabernaculum, nisi ipsius latitudo permittat ut Tabernaculum etiam super eam ante Crucem collocetur.

Eo simpliciori modo fit satis omnibus requisitis ex parte Rubricarum.

Quod hic simplicior in se modus nobilissimum tamen et præcellentissimum ornatum admittat et permittat, nemo non persuasum æstimabit : cum ejus ornatus has qualitates habere valeat, tum ex materiæ pro ipso Tabernaculo adhibitæ pretiosiori quantum placet et licet valore ; tum ex varietate pro Cruce et candelabris, quæ erunt fabricationis plus minusve nobilis pro dierum et festorum majori vel minori solemnitate ; tum ex eo quod remanet spatium sufficiens pro ulteriori ornatu in solemnioribus festivitatibus.

Sed simplicitas non arridet aliquando artis cultori-

bus ; ipsi enim, ex laudabili quidem fine, intendunt vario conceptu ad majora et splendidiora inducere. Unde quæ jam ars hac in re protulit examinanda veniunt.

II. A sæculo præsertim XVII, constructa fuerunt, stylo qui vocatur renovationis (renaissance), Tabernacula majora et ornatiora, altitudinis circiter duorum metrorum et proportionatæ amplitudinis, cum columnis, coronide, etc. — In quantum asservationi SS. Eucharistiæ destinantur, plerumque in ipsis videre est quædam saltem minus congruentia, quæ notantur in Tractatu de administratione Sacramentorum (Q. 154).

Pro re in præsenti tractanda, patet statim quod hujusmodi Tabernaculum, super Altare collocatum, omnem et amplius locum occupat Cruci Altaris destinatum. Deficiente jam loco pro Cruce, generatim parva Crux, in summitate cujusque Tabernaculi requisita, ampliata fuit in his Tabernaculis, et apposita Imago Crucifixi, ita ut Crux pro Missæ celebratione collocata habeatur in Tabernaculi summitate. Modo magna satis sit, et facile in conspectum veniat Celebrantis et populi, Crux ita disposita admitti potest ; dicitur enim in Decreto citato Crucem posse collocari super ipsum Tabernaculum (cfr. etiam Q. 53) ; defectus vero esset, et abusus, si, ornata jam alio modo Tabernaculi summitate, ipsius coronidi, aut in alio loco applicaretur parva Crux (cfr. Q. 53) ; aut si Crux collocaretur ante ostiolum Tabernaculi, quæ dispositio reprobatur in citato Decreto. — Insuper hic notare juvat, quod non raro hujusmodi Tabernaculi amplitudo vix permittit congruam dispositionem candelabrorum.

III. In Altaribus styli gothici prominet generatim retabulum, cum suis historiis et figuris, sculptis aut pictis ; in his Tabernaculum, communiter parvum, plerumque collocatur super predellam; ordo superior historiarum in retabulo proponitur ad eam altitudinem, ut superet summitatem Tabernaculi. In Altari SS. Sacramenti convenit ut saltem quædam retabuli historiæ referantur ad Mysteria Salvatoris, et plerumque in retabuli media parte repræsentatur mons Calvariæ, seu Christus Dominus in Cruce pendens, quæ repræsentatio proinde eminet supra Tabernaculum. — Supra

(Q. 52, 1°) dictum fuit, in tali casu, cum Crucifixi imago commode in conspectum veniat Celebrantis et populi, tabulam seu sculpturam hujusmodi sufficientem esse, et non requiri ut alia Crux pro Sacrificio collocetur in Altari. — Sed si in media retabuli parte repræsentaretur Sanctus, aut historia ex ejus vita, omnino Crux cum Crucifixo esset in Altari collocanda, vel Crux parva Tabernaculi foret ad debitam magnitudinem amplianda.

Q. 56. *Quid notandum est pro dispositione Crucis in Altari in quo collocatus est thronus pro Expositione SS. Sacramenti ?*

R. Prænotatur 1° : Non petitur an Crux in Altari collocari debeat, vel non, tempore quo expositum est in throno SS. Sacramentum ; supra enim (Q. 52, 2°) notatum fuit, Crucem, saltem in nostra Diœcesi, posse, sed non debere in casu collocari super Altare pro Missæ celebratione ; sed, si posita retinetur, petitur quomodo disponi licite poterit relate ad thronum.

Prænotatur 2° : Ea quæ de structura et dispositione throni pro SS. Sacramenti Expositione præscripti dicenda sunt, exponuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 178 ; ibi inter alia notatur ad præsentem rem nostram, quod, cum thronus inservire debeat tantummodo pro SS. Sacramenti publica Expositione, congruentius eo modo construitur, ut sit commode amovibilis, quo possit commode ante Expositionem apponi, eaque terminata removeri.

Prænotatur 3° : Majora Tabernacula styli renovationis, de quibus dictum fuit in præcedenti Quæstione (ad II), cum plerumque habeant Crucem pro celebratione Missæ requisitam collocatam in summitate, difficultatem nullam pro præsenti Quæstione movent ; sed, cum throni pro Expositione dispositio in Altari in quo ipsa collocata habentur sit impossibilis, quæ in eis pro publica SS. Sacramenti Expositione jam fiunt, minus probanda sæpe esse, notatum fuit in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 178.

Respondetur I. In Altari in quo non collocatum habetur Tabernaculum SS. Sacramenti, thronus pro Ex-

positione collocari potest ante Crucem, relicto in mensa spatio sufficienti, 60 circiter centimetrorum, pro celebratione Missæ ; vel thronus in eminentiori loco, retro post Crucem, ita ut istam superet, collocari potest ; fiat unum vel alterum pro dispositione et structura loci ; utrumque potest approbari, saltem in nostra Diœcesi, etiamsi Crux appareat vel non in uno vel altero casu.

Sed signare hic oportet defectum : In quibusdam Ecclesiis pro Expositione SS. Sacramenti apponuntur in solemnioribus festivitatibus throni, non solum pretiosioris materiæ, sed et artis ac structuræ in tantum magnificæ, ut de commoda appositione et remotione quæstio esse non possit, et Crucis Altaris locus omnino ab ipsis occupetur, idque per totum diem festum, imo per totam Festi Octavam ; ast, in eorum structura cogitatum non fuit de Cruce Altaris. Missæ celebrandæ tamen sunt in hoc Altari, non omnes coram SS. Sacramento in throno exposito, sed et quædam absque SS. Sacramenti Expositione ; pro his vero omnino requiritur in Altari Crux. Inde factum fuit, quod Crux aliqua collocata fuerit in ipso throno, eo præcise loco, in quo pro Expositione deponitur Ostensorium ; quæ Crux removetur tempore Expositionis. Esto sufficiens posset æstimari hujusmodi Crux, si non esset ex parvis quæ reprobatæ omnino sunt (cfr. Q. 53), attamen in omni casu defectuosa est ejus super seu in throno dispositio, ut patet ex sequentibus S. Rituum Congregationis Decretis :

Ad dubium : « Num tolerari possit usus statuendi Crucem super throno, et in eo præcise loco, super quo publicæ adorationi in Ostensorio exponitur SSma Eucharistia ? Et quatenus affirmative, num tolerari possit usus Crucem ipsam superimponendi Corporali, quod Expositioni inservit ? » S. Congregatio rescripsit, declaravit et servari mandavit : « Negative in omnibus. » (Decret. 2 Junii 1883, n. 3576, antiq. 5874, ad 3.)

Item alio Decreto S. Congregatio rescripsit, quod Crux « potest etiam collocari super ipsum Tabernaculum, non tamen in Throno ubi exponitur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum. » (Decret. 11 Junii

1904, *Ordinis Fratrum Minorum Provinciæ Portugalliæ*, ad 4; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 580.)

Sensus liturgicus mox horum Decretorum sapiens judicium agnoscit : inconsulte enim ita tribuitur Cruci idem honor qui SS. Sacramento exclusive debetur.

Defectus hic itaque talis est qui prorsus corrigi debet ; quæratur modus et locus collocandi, vel si hoc impossibile foret, appendendi Crucem majorem quæ prominere possit supra thronum : bona voluntas et ingenium quod quærunt invenient.

II. In Altari in quo collocatum habetur Tabernaculum SS. Sacramenti, quale describitur in præcedenti Quæstione (ad III), poterit thronus pro Expositione collocari retro post Tabernaculum, ita ut ille istud superet ; repræsentatio Crucis in medio retabuli erit quidem per thronum a conspectu Celebrantis et populi velata, sed transeat (cfr. Q. 52, 2°) ; thronus tamen talis supponitur, qui tantum pro Expositione inserviat, qui nempe apponitur solum ante Expositionem, eaque terminata, mox removetur.

Quod si locus sufficiens non sit retro post Tabernaculum, potest quidem in casu thronus collocari supra Tabernaculum : illud enim permittit alterum ex Decretis supra (ad I) allatis (11 Junii 1904).

Defectus sequens indicandus est ut præcaveatur : Nonnumquam Altare in quo collocatur Tabernaculum SS. Sacramenti reperitur constructum eo modo, ut thronus Expositionis, e lapide, aut ligno, aut metallo, fixus supra Tabernaculum erigatur, ad modum baldachini, seu parvi ciborii, columellis impositi. — In Tractatu de administratione Sacramentorum (Q. 178, Nota I) hujusmodi throni dispositio minus probata fuit, eo quod minus conveniat, ut pro relative rarioribus Expositionibus jam semper in Altari positus habeatur Expositionis thronus ; qui insuper, sicuti in Paschatis Festo, ita etiam, ex gr., in Parasceves Feria VI semper et pro semper idem ibi in Altari prostat.

Sed notare insuper oportet defectum, in his fixis thronis generaliter quasi obvium quoad Crucis dispositionem : sæpius nempe Crux in Altari requisita ibi

statuitur super seu in throno, in eo loco qui Ostensorio competit. Hanc Crucis dispositionem non posse tolerari, patet ex iis quæ supra dicta fuerunt in priori responsi parte.

Omni igitur diligentia præcaveant Sacerdotes defectuosam hujusmodi throni fixi, et Crucis in eo dispositionem, quæ ex ignorantia, vel ex inadvertentia introducta fuit.

Q. 57. *Quando cooperiri debent Cruces? Quæ Cruces cooperiri debent? Quomodo Cruces debent cooperiri?*

R. I. Quando. — Cruces cooperiri debent Sabbato ante Dominicam de Passione, ante Vesperas. Constat ex Rubrica speciali Missalis Romani, ante Dominicam de Passione, ubi præscribitur : « Ante Vesperas cooperiuntur Cruces et Imagines » ; et ex præscripto Cæremonialis Episcoporum (Lib. II, Cap. XX, n. 3) : « Ad primas Vesperas Dominicæ, quæ de Passione dicitur, cooperiantur, antequam officium inchoetur, omnes Cruces, et Imagines Salvatoris Nostri Jesu Christi per Ecclesiam ; et super Altare nullæ ponantur Imagines Sanctorum. » — Non licet Cruces tegere tantum in ipsa Dominica Passionis, post Evangelium in quo narratur quod Jesus abscondit se ; sed tegendæ sunt omnino in primis Vesperis Dominicæ. (Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 34, antiq. 4669, ad 36.)

Cruces coopertæ remanere debent usque post solemnem denudationem Crucis, quæ fit in Officio Feriæ VI in Parasceve ; qua facta, quamprimum per totam Ecclesiam Cruces omnes discooperiuntur.

Interea vero, id est, a Vesperis Sabbati ante Dominicam Passionis usque ad factam Crucis solemnem denudationem in Officio Parasceves, nullæ Cruces discooperiri possunt, sub quocumque prætextu, etiamsi occurreret Festum S. Titularis, vel Patroni, vel Dedicationis Ecclesiæ. (Decret. 16 Novembris 1649, n. 926, antiq. 1613, ad 2 et 3.)

II. Quæ. — Cooperiri debent, hoc Passionis tempore supra determinato, omnes Cruces illæ quæ in Altaribus pro celebratione Missæ præscriptæ collocantur,

aut quæ in tabulis Altarium depictæ, vel in retabulis sculptæ, pro præscriptis inserviunt (cfr. Q. 52, 1°) ; insuper cooperiri debent omnes Cruces quæ extra Altaria, quocumque modo, per Ecclesiam habentur positæ pro aliquo cultu, id est, pro adoratione, seu fidelium devotione excitanda. — Unde cooperiri debent per Ecclesiam, ex. gr., Crux appensa sub arcu triomphali ad ingressum Chori, vel Sanctuarii ; Crux quæ communiter ponitur in suggestu ; item Cruces processionales. — Non vero cooperiri debent, ex. gr., Cruces Dedicationis in parietibus Ecclesiæ ; Cruces depictæ, aut sculptæ ad ornatum, in variis tabulis, aut in parietibus ; Cruces XIV Stationum Viæ Crucis ; nequidem Crux parva in summitate Tabernaculi, nisi hæc major sit, et cum imagine Crucifixi, et inservire debeat pro Cruce ad Missæ Sacrificium celebrandum necessaria (cfr. Q. 56). Cruces hujusmodi enim apponuntur, non pro aliquo cultu recipiendo, sed ad templum, vel objecta templi adornandum, vel ob alia motiva. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 451.)

III. Quomodo. — Cruces cooperiuntur velo violacei coloris ; — non translucido, sed materiæ ita densæ ut Cruces vere velatæ, seu absconditæ sint, nec conspici valeant ; — nudo et plano, absque ulla figura, vel imagine intexta. Velum debet contegere, non solum Crucifixum, sed et quatuor brachia ipsius Crucis ; potest, sed non debet constringi sub pedibus Crucifixi.

Quoad colorem veli notandum est, quod Feria V, in Cœna Domini, in solo Altari in quo Missa solemnis hujus diei celebratur, velum Crucis Altaris debet esse coloris albi tempore Missæ tantum ; cætera vero vela, etiam in Cruce Processionis post Missam instituendæ, retinenda omnino sunt omnia coloris violacei ; imo, si statim post SS. Sacramenti repositionem Vesperæ dicuntur, aut ad Mandatum proceditur, velum albi coloris a Cruce Altaris auferri debet ante Vesperas, ut reponatur violaceum. (Decret. 20 Decembris 1783, n. 2524, antiq. 4414, ad 4.)

Ex præscripto coloris albi pro Cruce Altaris majoris in Cœna Domini, non concludendum est, vela Crucium esse mutanda juxta colorem Festorum quæ occurrere

possunt celebranda in Hebdomada priori temporis Passionis ; retineri debent vela violacei coloris, etiamsi Missæ celebrarentur cum paramentis alterius coloris, et etiamsi, SS. Sacramento exposito, paramenta Altaris forent coloris albi, et ornatus ejus festivus.

Pro functione solemnis denudationis Crucis in Officio Feriæ VI in Parasceve plures auctores assignant colorem veli nigrum, potius quam violaceum ; sed perperam. Hac super re datur sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Utrum velum quo Crux cooperitur Feria VI in Parasceve possit esse coloris nigri ; an debeat omnino esse coloris violacei ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Servetur Rubrica. » (Decret. 30 Decembris 1881, n. 3535, ad 8, antiq. 5830, ad 15.) Sensus hujus Decreti declaratur sequens in Indice generali Decretorum (ad articulum « Velum ») : « Velo violaceo cooperiri debet Crux Altaris in Feria VI Parasceve, non vero nigro. » Quomodo tali sensu queat Rubrica declarari, explicant Ephemerides Liturgicæ. (V, 1891, pag. 250.)

Nota. Nemo æstimet, ex eo quod Cruces Altarium sint cooperiendæ seu velandæ ita ut aspectui non pateant, Cruces posse ab Altaribus auferri : si Cæremoniale Episcoporum (loco supra ad I citato) dicit imagines Sanctorum non esse apponendas, et ex hoc concludere liceat ipsas auferri posse, attamen idem Cæremoniale, præscribens Cruces esse cooperiendas, eo ipso vult ut retineantur, sed coopertæ. Ergo omnino super Altaria retinendæ sunt Cruces, sed velatæ, pro Missarum celebratione, et Celebrans debet pro Cruce Altaris, etsi velata, servare omnes cæremonias et reverentias in celebratione Missæ præscriptas.

Ad ea quæ de cooperiendis Crucibus tempore Passionis supra exponuntur, placet addere quædam de cooperiendis eodem tempore Imaginibus, cum ad has idem præceptum extendatur, paucis tamen mutandis.

I. Quando cooperiri debent Imagines. — Ab eodem tempore Sabbati ante Dominicam de Passione, quo cooperiri præcipiuntur Cruces, cooperiri debent etiam Imagines, ut patet ex responso supra ad I dato.

Ast, dum Cruces jam denudantur post Officium solemne Feriæ VI in Parasceve, Imagines quæcumque, tam Domini Nostri

quam Sanctorum, coopertæ retineri omnino debent usque dum in Missa solemni Sabbati Sancti cantatur Hymnus *Gloria in excelsis Deo*. Ita declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 20 Novembris 1662, n. 1248, antiq. 2194) ; et alio Decreto iterum mandavit, Imagines « velatas manere debere usque ad Hymnum Angelicum Sabbati Sancti, juxta Decreta alias edita. » (Decret. 22 Julii 1848, n. 2965, antiq. 5126, ad 2.) Quod si commode non fieri potest denudatio Imaginum per omnem Ecclesiam ad Hymnum prædictum, post Officium possunt Imagines discooperiri, ut declaravit S. Congregatio in priori Decreto citato. Satis per hæc constat, non licere prius, seu ante Hymnum Angelicum Missæ Sabbati Sancti, ullam Imaginem detegere.

Interea vero, id est, a Vesperis Sabbati ante Dominicam Passionis, usque ad Hymnum Angelicum Sabbati Sancti, nullæ Imagines discooperiri possunt, ut patet ex sequentibus S. Rituum Congregationis Decretis :

Ad dubium : « An debeant velari Imagines et Cruces Sabbato Passionis, si occurrat eo die Festum S. Titularis vel Patroni Ecclesiæ ? » S. Congregatio respondit : « Affirmative. » — « An detegi illæ debeant, quando in hebdomada Passionis occurrit Festum S. Titularis, vel Dedicatio Ecclesiæ ? » S. Congregatio respondit : « Negative. » (Decret. 16 Novembris 1649, n. 926, antiq. 1613, ad 2 et 3.)

Ad dubium : « Cum SSmo D. N. Pio Papæ IX placuerit Sanctum Joseph Patronum universalis Ecclesiæ declarare, detegi ne potest vel debet ejus Imago, quando ejus Festum occurrit in hebdomada Passionis ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative, juxta Decretum diei 16 Novembris 1649. » Atque ita rescripsit et servari mandavit. (Decret. 3 Aprilis 1876, n. 3396, antiq. 5660.)

Hæc sufficiant modo ad stabiliendam regulam, quo tempore debeant Imagines cooperiri et coopertæ retineri. Exceptiones quædam notabuntur in sequentibus.

II. Quæ Imagines debent cooperiri. — In responso quoad Cruces (supra ad I) citata fuit Rubrica Missalis : « Cooperiuntur Imagines » ; et Cæremoniale Episcoporum quoad Imagines sequenti ratione se exprimit : « Cooperiantur... Imagines Salvatoris Nostri Jesu Christi per Ecclesiam ; et super Altare nullæ ponantur Imagines Sanctorum. »

Ad dubium propositum : « An in primis Vesperis Dominicæ Passionis non solum Cruces et Imagines Salvatoris, sed etiam omnes Imagines Sanctorum, quæ super Altaribus reperiuntur, tegi debeant ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Debent tegi omnes Imagines in primis Vesperis. » (Decret. 4 Augusti 1663, n. 1275, antiq. 2241, ad 2.)

Ex his præmissis deducitur :

1° Imagines Domini Nostri Salvatoris omnes, quæ vel super Altaria, vel etiam extra Altaria per Ecclesiam, pro recipiendo cultu ponuntur, sub quocumque titulo, aut quacumque repræsentatione, Christi patientis, Christi Redemptoris, Pueri Jesu,

Christi Cor suum monstrantis, etc., omnes debent, Passionis tempore supra indicato, cooperiri.

Quæ vero Imagines Christi Domini non ad cultum, sed ratione tantum ornatus conspiciuntur hac illac in parietibus depictæ, vel ad monumenta appositæ, vel sculptæ, non sunt cooperiendæ. Imo S. Rituum Congregatio declaravit Imagines XIV Stationum Viæ Crucis non debere cooperiri ; etenim, ad dubium : « Num imagines, quæ quatuordecim Viæ Crucis Stationibus affigi solent ad instruendos fideles eorumque pietatem fovendam, relinqui possunt non velatæ, tempore Passionis ? » S. Congregatio rescripsit : « Affirmative. » (Decret. 18 Julii 1885, n. 3638, antiq. 5943, ad 2.) Ratio harum Imaginum enim non est quidem simplex ornatus, non tamen est verus cultus, qualem Ecclesia intelligit : non oramus coram XI^a et XII^a Statione Viæ Crucis, sicut coram Crucis Imagine in Altari posita, vel SS. Cordis Jesu statua.

2° Imagines Sanctorum quæ in Altaribus ponuntur ad recipiendum cultum, debent omnes Passionis tempore cooperiri. Tales sunt Statuæ B. Mariæ Virginis, S. Joseph, etc., in suis propriis Altaribus collocatæ, S. Patroni loci, S. Titularis Ecclesiæ in Altari majori, vel alio positæ ; Sanctorum erga quos devotio exstat, etiamsi non in medio Altaris, sed in una vel altera parte Altaris (modo supra illud censeri possit) sint collocatæ. — Quod dicit Cæremoniale Episcoporum de non ponendis Imaginibus super Altare, intelligatur, non quasi auferendæ forent Statuæ Sanctorum, sed de iis Imaginibus, quæ aliquando inter Candelabra, vel prope Crucem Altaris apponuntur ad ornatum in solemnioribus Festivitatibus.

Una datur ad hanc regulam exceptio : S. Rituum Congregatio enim permisit, ut in tempore Passionis, Feria VI primæ hebdomadæ, Statua B. Mariæ Matris VII Dolorum, cum Christo mortuo in gremium deposito, exponatur in Altari, et deferatur in Processione, etiamsi non sit cooperta, sed circumdata tantum velo nigro. (Decreta 21 Martii 1744, n. 2375, ad 4, antiq. 4153, ad 6 ; et 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 52, antiq. 4669, ad 58.)

3° Sed quid dicendum est de Imaginibus Sanctorum, quæ, etsi ad cultum, extra Altaria in Ecclesia collocatæ sunt ?

Regula esto quod Imagines, seu Statuæ Sanctorum, quæ extra Altaria per Ecclesiam expositæ reperiuntur ad cultum, seu ita ut fideles coram ipsis accedant ad orandum, ut ante ipsas accendantur lumina, disponantur ornatus, etc., cooperiuntur velo tempore Passionis. — Istæ vero Imagines quæ tantum ad ornatum sunt positæ, non sunt tegendæ : tales sunt, ex. gr., Statuæ SS. Apostolorum in navi quarumdam Ecclesiarum ad columnas, aut aliæ Statuæ Sanctorum ad ornatum tantum in parietibus dispositæ ; tabulæ pictæ quæ per Ecclesias appenduntur, etc. ; tales enim istæ omnes sunt, quibus a fidelibus quasi non attenditur quoad cultum exhibendum ; quis enim cogitavit umquam de orationibus coram ipsis fundendis ?

Ab hac regula vero cooperiendi Imagines ad cultum expo-

sitas per Ecclesiam extra Altaria, S. Rituum Congregatio recedere permisit in quibusdam circumstantiis. Etenim ad sequens dubium : « An occasione primæ Communionis puerorum, vel ob devotionem erga Sanctum Joseph mense Martio, possint Altaria ornari floribus, et pulsari organa, etiam tempore Quadragesimæ ; an idem dicendum, si effigies Sancti Joseph sit extra Altare posita ; et an, in hoc ultimo casu, possit relinqui discooperta tempore Passionis ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Ad primam partem : Affirmative ; ad secundam partem : provisum in prima ; ad tertiam partem : tolerari posse. » (Decret. 11 Maji 1878, n. 3448, ad 11, antiq. 5728, ad 16.) — In præcedenti Decretorum editione ad tertiam partem responsum fuerat : « Consulat probatos auctores » ; relictis nunc auctoribus, constat clare de tolerantia.

Decretum præcedens integrum describitur, etiamsi tertia pars sola ad præsentem nostram rem referatur, ut clarius pateat quousque extendat se tolerantia admissa.

Ex eo autem concludere licet, Imaginem Sancti Joseph, ob devotionem mense Martio expositam, tempore Passionis, quo in Altari collocata velari debet, posse, modo sit extra Altare posita, relinqui discoopertam ; quod profecto gratissimum erit cultoribus S. Patriarchæ Joseph, pro sua devotione per exercitia publica et privata mensis Martii. — Hanc tolerantiam vero extendi legitime posse ad alios casus non absimiles, ex. gr., ad Imaginem S. Antonii de Padua, pro Feria III, huic Sancto singulariter dicata, nemo negabit.

Quid nunc æstimandum est de variis Decretis ejusdem S. Rituum Congregationis, supra ad I et II relatis, circa expositionem Imaginum Sanctorum ? Respondetur hæc Decreta referri ad Imagines in Altaribus expositas, et ad alias pro quibus singulare motivum devotionis extraordinariæ non datur.

An tolerantia supradicta extendi potest ad Imagines Domini Nostri ; an, ex. gr., occurrente prima Feria VI mensis Aprilis in hebdomada Passionis, licebit extra Altare exponere discoopertam Imaginem Domini Nostri Cor suum pandentis ? Attento textu Cæremonialis Episcoporum (vide supra ad I), de cooperiendis per Ecclesiam Imaginibus Salvatoris : et considerato quod tolerantia refertur ad Imagines Sanctorum tantum, forsan latior æquo, seu licito posset in præsens judicari ad hunc casum tolerantiæ extensio ; utinam probato jure de legitima extensione mox gaudere liceat, pro amplificando magis magisque salutari Sacratissimi Cordis Jesu cultu !

III. Quomodo cooperiri debent Imagines. — Imagines cooperiuntur velo violacei coloris : qui color retinetur, sine exceptione, toto Passionis tempore ; velum album enim præscribitur pro Cruce tantum Altaris in quo solemnis Missa celebratur in Cœna Domini. — Velum erit ita densum ut Imagines revera ab oculis fidelium absconditæ sint ; nullo modo vero translucidum, ita ut appareat Imaginum statura, aut facies ; quod esset in fraudem legis. — Velum sit nudum, id est, absque ulla figura aut imagine contexta.

Velum debet contegere totam statuam a summo capite usque ad pedes. Si Imagines sunt in tabulis pictæ, ante tabulas velum appendetur, quo Imagines velatæ sint ; quod etiam fieri poterit pro statuis, si ipsæ non commode queunt contegi.

Nota. Singularis nobis videtur hic ritus cooperiendi Imagines Salvatoris, et præsertim Cruces, eo tempore, quo peculiari modo celebrantur Mysteria Passionis Domini, quo in Missis narratur historia Passionis, quo in Officiis cantamus : *Vexilla Regis prodeunt, fulget Crucis mysterium,.... O Crux, ave, spes unica, etc.*

Quæ determinari debeat ritus antiquitas, non constat ; sed jam Durandus (*Rationale Divinorum Officiorum,* Lib. I, Cap. III, n. 34 ; et Lib. VI, Cap. XXXII, n. 12) notat, suo tempore, sæculo XIII, a prima Dominica Quadragesimæ quidem cooperiri Cruces, et omnia quæ ad ornatum pertinent removeri debere, vel contegi ; attamen in quibusdam Ecclesiis etiam a Dominica de Passione tantum id observari addit.

Tota ratio hujus ritus est ad indicandum luctum et mœstitiam Ecclesiæ super immensa Passione Christi Domini ; et in specie, ut ad vivum significetur illud quod hujus Dominicæ Passionis Evangelium refert, Christum jam abscondisse se, et exiisse de Templo ; et non amplius in palam ambulasse, ut in aliis Sancti Evangelii locis legitur. Durandus sequentem quoque rationem assignat, quod hoc tempore Passionis suæ Divinitas quasi velata, seu abscondita fuerit in Christo : dimisit enim se capi et flagellari ut homo, humiliatus et tamquam non habens in se virtutem Divinitatis.

Cooperiuntur etiam Imagines Sanctorum, non solum ad mœstitiam indicandam, quemadmodum et hodiedum in aliis etiam officiis luctuosis, ex. gr., in exsequiis solemnioribus, observamus ; sed præsertim, quia decens non reputatur, ut publice pateant et solemniter appareant servi, dum eorum Domino non est species, neque decor, et est quasi absconditus vultus ejus.

§ 4. De Candelis et Candelabris

Q. 58. *Quare luminare accensum requiritur in Altari pro Missæ celebratione ?*

R. Luminare accensum requiritur in Altari pro Missæ celebratione, non ad tenebras pellendas, sed propter sequentes mysticas rationes : 1° ad symbolice designandum Christum Dominum, qui est « lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum » (Joan. Cap. I, ℣. 9), et cujus Sacramenta ibi conficiuntur ; — 2° ad reverentiam, majorem cultum et celebritatem sacris Mysteriis ostendendum ; — 3° ad

excitandum fidem et devotionem, ac zelum ad bona opera, per quæ, ut dicit S. Gregorius Magnus, proximis nostris lucis exempla monstramus.

Q. 59. *Cujus qualitatis debet esse hoc luminare ?*

R. Luminare Altaris pro Missæ celebratione debet esse ex cera, quæ industria apum elaboratur ; etenim inter requisita ad celebrandum Missam recensentur : « luminaria cerea » (Missale Romanum, *De Defectibus*, Tit. X, n. 1) ; et omne aliud lumen, ex sebo, aut oleo, aut stearina, aut ex alia quacumque materia, insufficiens et prohibitum est.

Ex cera apum conficiuntur luminaria in forma candelarum, quæ super candelabra ponuntur (Rubricæ generales Missalis, Tit. XX) ; candelæ oportet ut sint ex cera purgata, albi coloris ; in quibusdam tamen functionibus, ex. gr., in Officiis et Missis Defunctorum, in Matutinis Tenebrarum, et Feria VI in Parasceve, usuveniunt candelæ ex cera communi non purgata, coloris flavi. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XI, n. 1 ; Cap. XXII, n. 4 ; Cap. XXV, n. 2.)

Jamvero cum crescat in dies difficultas veram ceram apum habendi et eliminandi commixtiones cum aliis materiis, super hoc negotio nonnulli Episcopi semel atque iterum declarationem a S. Rituum Congregatione postularunt. Ad dubium : « An attenta etiam magna difficultate vel veram ceram apum habendi vel indebitas cum alia cera commixtiones eliminandi, candelæ super Altaribus ponendæ, omnino et integre ex cera apum esse debeant ; an vero esse possint cum alia materia seu vegetali seu animali commixtæ ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Attenta asserta difficultate, Negative ad primam partem ; Affirmative ad secundam, et ad mentem. Mens est, ut Episcopi pro viribus curent ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immergendus et duæ candelæ in Missis accendendæ, sint ex cera apum saltem in maxima parte ; aliarum vero candelarum, quæ supra Altaribus ponendæ sunt, materia in majori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet. Qua in re parochi aliique rectores ecclesiarum et oratoriorum tuto stare poterunt normis a respe-

ctivis Ordinariis traditis, nec privati Sacerdotes Missam celebraturi de qualitate candelarum anxie inquirere tenentur. » (Decret. 14 Decembris 1904, *Plurium Diœcesium* ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIX, 1905, pag. 65 ; cfr. etiam Suffragium super hoc Decreto, apud easdem Ephemerides, XV, 1901, pag. 379 ; et Responsio ad animadversiones in contrarium, ibidem, XVI, 1902, pag. 194.)

Nota. I. Disciplina tradita in supradicto Decreto super debita qualitate ceræ respicit candelas quæ sunt ad cultum adhibitæ, nempe :

1° Cereum paschalem qui in Officio Sabbati Sancti solemniter benedicitur et in aqua baptismali in utraque solemni Fontis baptismalis benedictione immergendus est, necnon duas candelas quæ in omni Missa stricte requiruntur ; pro his oportet ut sint ex cera apum saltem in maxima parte ; quod auctores quidam censent esse, ex. gr., quoad partes 75 pro centum.

2° Candelas alias omnes quæ supra Altaribus ponendæ sunt, sive pro Missa præter requisitas a Rubrica, sive pro aliis Officiis, puta pro Expositione SS. Sacramenti, quæque ponuntur vel inter candelabra, vel quandoque in ipsa Altaris mensa, vel ad thronum Expositionis, vel ad Imaginem in Altari positam, etc. ; pro his oportet etiam ut sint ex cera apum, sed in majori vel notabili quantitate tantum, qualis censeri potest pars circiter media. (Cfr. Collationes Brugenses, X, 1905, pag. 399.)

Non vero censeri debet posita regula applicanda aliis candelis, quæ ratione ornatus in solemnioribus functionibus apponuntur extra Altaria, ex. gr., ad latera Altaris, vel etiam in sublimi supra Altari ; ibi accendi posse candelas quæ etiam sint ex alia materia, extra controversiam, nunc saltem, ponitur. (Cfr. Ephemerides Liturgiæ, XVI, 1902, pag. 194.)

Nota. II. Propter impossibilitatem comparandi ceram in remotissimis Missionibus Oceaniæ, S. Rituum Congregatio aliquando rescripsit permitti posse, dummodo preces veritate nitantur, ut Missionarii ibi degentes pro Missæ celebratione adhibeant candelas ibi efformatas ex oleo seu adipe piscis ceti, quæ commu-

niter Spermaceti ibi appellantur. (Decret. 7 Septembris 1850, n. 2985, antiq. 5150.)

De candelis Altaris notanda sunt sequentia :

1° Candelæ ornatæ picturis, aliisque adjunctis, apud nos in usu non sunt super Altaria ; et ponuntur tantum tamquam votivæ ad ornatum circa statuas extra Altaria, ex. gr., mense Majo circa statuam B. Mariæ Virginis. Nulla lex tamen ornatum candelarum, etiam super Altaria, prohibet. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VIII, 1894, pag. 363 ; et IX, 1895, pag. 699.)

2° Candelæ in Missa et aliis divinis Officiis non adhibeantur talis exiguitatis, quæ in tanto Mysterio dedeceat, et adstantibus offensionem offerre possit ; ad hoc attendatur præsertim, si majoris formæ sunt candelabra in quibus candelæ ponuntur.

3° Novitas quædam introducta est : adhibentur machinæ quædam ex metallo confectæ, figuram candelarum habentes, in quibus introducitur candela ex cera, quæ artificiose ad apicem elevatur. Fictorum hujusmodi cereorum tolerari posse usum, declaravit S. Rituum Congregatio. (Decret. 11 Maji 1878, n. 3448, ad 13, antiq. 5728, ad 19.) Forte ideo tolerantur hujusmodi machinæ, quia candela in earum interiori parte introducta est cerea ; non tamen commendandæ sunt, quia artificium non raro est defectuosum. — Utinam ab hac tolerantia nemo concludat ad usum alterius artificii, nempe altioris virgæ ligneæ, colore albo depictæ, candelæ formam habentis, in cujus summitate ponitur parva candela. Non convenit tale quid super Altare.

4° Hodiedum ad ceræ qualitatem attendere oportet ; rarius enim in dies invenire est candelas integre ex cera apum confectas, cum ceræ apum sæpius commisceantur tum cera ex vegetalibus obtenta, tum etiam aliæ materiæ. In Congregatione Archipresbyterorum, Mechliniæ habita 26 Aprilis 1898, monitum fuit, ut omnes ad quos spectat caveant, ne sibi obtrudantur candelæ ex aliena materia confectæ. (Cfr. Litteræ Pastorales Diœcesis Mechliniensis, Tom. XIII, n. 177, pag. 57.) Observetur itaque mitigata disciplina quæ proponitur in citato Decreto S. Rituum Congregationis, 14 Decembris 1904.

Q. 60. *Quæ est mystica significatio luminaris* cerei ?

R. Cum Ecclesia luminare præscribit in Altari pro celebranda Missa, non propter naturalem causam eam id exigere dictum fuit (cfr. Q. 58) ; sed et ubi requirit luminaria, non quæcumque, sed solummodo quæ e cera producuntur, dicendum profecto est, ipsam in materia ceræ, seu in causa e qua lumen producitur, reperire aliquam significationem, quæ reliquis lucis materiis, seu causis tribui non potest. Jamvero luminaris cerei sequens symbolica seu mystica significatio est :

Cera, quam ex floribus odoriferis apes gignunt, si-

gnificat carnem Christi factam ex Virgine virtutibus florida ; — lychnum in cera latens significat animam Christi candidissimam in carne latentem ; — lumen, seu ignis significat Divinitatem Christi. Et licet duæ ultimæ proprietates etiam in aliis candelis habeantur, prima tamen solis convenit cereis. (Müller, *Theologia moralis*, Lib. III, Tit. I, § 27. — Cfr. quæ super mystica significatione candelarum notantur apud Collationes Brugenses, X, 1905, pag. 400.)

In liturgicis precibus pro candelarum Benedictionibus, ceram opera ac industria apum productam, tamquam materiam benedicendam non semel indicat Ecclesia ; etenim : 1° In Benedictione Candelarum, 2 Februarii, orat : « Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui omnia ex nihilo creasti, et jussu tuo per opera apum hunc liquorem ad perfectionem cerei venire jussisti. » — 2° Sabbato Sancto, in Benedictione Cerei Paschalis, dicit : « Suscipe, sancte Pater.... Sacrificium vespertinum, quod Tibi in hac cerei oblatione solemni... de operibus apum sacrosancta reddit Ecclesia. » Et paulo inferius : « Alitur enim liquantibus ceris, quas in substantiam pretiosæ hujus lampadis, apis mater eduxit. » — Salutares harum Benedictionum effectus indicantur in ipsis Benedictionum Orationibus.

Q. 61. *Quid notandum est de aliis luminaribus ?*

R. Conficiuntur hodiedum candelæ ex diversi generis materia, tum vegetali, tum præsertim animali, quæ specietenus eas ex pura apum cera conflatas optime imitantur, imo pulchrius ac clarius lumen sæpe producunt. Usuveniunt enim candelæ ex sebo, seu adipe animalium ; ex materia quadam vegetali, quæ nequiter ceræ nomen usurpat sed cera non est ; ex stearina, quæ etiam ex animalium adipe producitur ; ex paraffina, quæ e bitumine extrahitur ; etc.

Cum Rubricæ et Decreta determinent materiam, ex qua conficiantur oportet, sive duæ candelæ pro Missæ celebratione accendendæ, nempe ceram apum opera elaboratam, saltem in maxima parte ; sive aliæ candelæ supra Altaribus ponendæ pro sacris functionibus, nempe eamdem apum ceram, saltem in majori vel notabili quantitate (cfr. Q. 59), — dicendum est aliam candelarum materiam non posse suffici, seu supra Altaribus apponi non posse candelas totaliter et exclusive ex aliis

materiis confectas, ex. gr., ex sebo, ex stearina, ex vegetalibus, ex mineralibus.

Qua de re sequentes referre juvat S. Rituum Congregationis declarationes :

A) Postulanti supplicibus votis Episcopo Carolinopolitano, a Summo Pontifice Pio IX, ut permitteret usum adhibendi candelas ex sevo confectas, attentis, tum paupertate Ecclesiarum hujus Diœcesis, tum magno ceræ pretio in istis Americæ regionibus, Sanctitas Sua jussit communicandum, mentem suam esse, ut inductus abusus adhibendi candelas ex sevo eliminetur. (Decret. 10 Decembris 1857, n. 3063, antiq. 5355.)

B) Pluries S. Rituum Congregatio rescripsit et declaravit, ad proposita dubia de usu candelarum ex stearina, vel ex alia materia similitudinem ceræ præferente, et purificata, hujusmodi candelas non posse poni in Altari, nequidem ad ornatum pro majori solemnitate, et etiamsi in gradu Altaris, ac exposito SS.Sacramento, immediate ante thronum apponerentur præscriptæ candelæ ex pura cera. Per Decretum 16 Septembris 1843 (n. 2865, antiq. 4975), instantibus nonnullis Episcopis ac permultis cereorum fabricatoribus, rescripsit : « Consulantur Rubricæ » ; et in alio Decreto (4 Septembris 1875, n. 3376, antiq. 5636, ad 3) rescripsit : « Nihil innovetur. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 378.)

Sed et luminare ex oleo olivarum, aliove permisso ab Episcopo, quod tamen requiritur coram Tabernaculo SS. Sacramenti accendendum (cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, QQ. 162-164), non sufficit pro luminari in Missæ celebratione præscripto, etiamsi lampades appenderentur ab utraque parte prope vel circum Altare, aut, quod perperam jam fieret, ponerentur super Altare ; oleum enim non est cera, lampades non sunt candelæ, neque candelabra.

Ad hoc probandum referri potest sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Permitti ne possunt in Ecclesia lumina ex oleo, quæ mensæ Altaris imminent et ardent, etiam tempore Sacrificii ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Negative. » (Decret. 20 Junii 1899, n. 4035, ad 6.)

Hæc sufficiant ad probandum quod in ipso Altari, sive pro celebratione Missæ, sive pro superfluo ornatu, etiamsi præscriptæ candelæ ex cera forent appositæ, non admittitur aliud luminare præter cereum ab apibus productum, ad mentem S. Rituum Congregationis.

Nota. Quid dicendum est de qualitate luminaris, quod extra Altaria apponitur, ad augendam solemnitatem in majoribus Festis ; nempe super majora candelabra, ad latera Altaris, in Sanctuario, in Choro Ecclesiæ dispositum, vel loco excelsiori appensum ?

Hujusmodi luminare, ad solemniorem pompam significandam accensum, vix cultus rationem habere dicendum est,neque videntur in eo necessario requiri mysticæ significationes, quæ in luminari Sacrificii et Altaris observantur ; ideo, modo extra Altaria ponantur, candelæ hujusmodi luminaris non debent esse ex cera, et ex aliis materiis confectæ permitti possunt et adhiberi. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 175.) Idem profecto dicendum est de candelis, quas fideles pro sua devotione accendunt, in locis ad hoc paratis ante vel circum statuas, seu imagines Domini aut Sanctorum.

Imo, ad augendam pompam exteriorem adhibere licet lucem electricam. Equidem S. Rituum Congregatio declaravit et rescripsit, illuminationem electricam esse vetitam « una cum candelis ex cera super Altari. » (Decret. 16 Maji 1902, *Natchetен.* ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 418.) Sed ad dubium : « Utrum lux electrica adhiberi possit in Ecclesiis ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Ad cultum, Negative ; Ad depellendas autem tenebras, Ecclesiasque splendidius illuminandas, Affirmative ; cauto tamen ne modus speciem præseferat theatralem. » (Decret. 4 Junii 1895, n. 3859.)

Super quo notatum fuit in Tractatu de administratione Sacramentorum (Q. 180), et hic repetere juvat, quod illa lumina cultum respiciunt, quæ ponuntur super Altaria, vel ante imagines Christi et Sanctorum, in signum venerationis. Item actus diversi cultus sunt Missa, Officium, administratio Sacramentorum, necnon Sacramentalium, sub quorum nomine comprehendi possunt quæcumque cæremoniæ, quicumque ritus, sive sint liturgici, sive tantum ecclesiastici. Pro his omnibus lux electrica interdicta manet ; esset enim ad cultum, quod Decreto prohibetur.

Permittitur autem lux electrica extra Altaria, ad depellendas tenebras, vel ad pompam exteriorem splendidiori Ecclesiæ illuminatione augendam ; ex. gr., ad columnas, vel in tribuna aut corona templorum, vel hinc inde ad latera Altaris, vel etiam desuper, ita ut Altari immineat, uti ipsum Vaticanum Templum non semel jam exemplum dedit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 373, 380.) — Vitare tamen ibi oportet quidquid profanum est, et minus convenit templis : templa enim non sunt tractanda uti publicæ viæ, vel profanæ aulæ, vel theatra ; et ad-

hibeantur variæ apparatuum formæ, quas artis christianæ præsens progressus suggerit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 606-615.)

Lumen ex « gaz » non toleratur super Altare ; etenim, exponente quodam Episcopo : « Usus invaluit in Diœcesi ut super Altaribus, una cum candelis ex cera confectis, lumina ex gaz accendantur ad majorem splendorem obtinendum. » Ad dubium : « An super Altari, præter candelas ex cera, tolerari possit ut habeatur etiam illuminatio ex gaz, vel an usus prædictus prohiberi debeat ? » S. Congregatio rescribere censuit : « Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam. » (Decret. 8 Martii 1879. Ita reperiri in Actis et Regestis Secretariæ S. Rituum Congregationis declaravit Secretarius, die 16 Maji 1902 : cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 417.) — Cæterum ad depellendas tenebras, Ecclesiasque splendidius illuminandas, sub iisdem conditionibus quam lucem electricam adhiberi posse lumen ex gaz, non perperam censebitur.

Tandem de luminari in Ecclesiis adhibito ob defectum lucis naturalis, seu ad pellendas tenebras, dicendum est illud etiam adhiberi posse ex petroleo, modo non inserviat ad cultum, neque ad illuminandum splendidius Ecclesias, sed simpliciter ad pellendas tenebras. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 175.)

Q. 62. *Quomodo disponi debent candelæ infra celebrationem Missæ ? Quid de ipsis candelabris est notandum ?*

R. I. Disponi debent candelæ in candelabris, quæ ipsa collocantur super Altare, hinc et inde in utroque latere Crucis. (Rubricæ generales Missalis, Tit. XX.) Strictius quidem indicat Cæremoniale Episcoporum candelabrorum locum « in planitie Altaris » (Lib. I, Cap. XII, n. 11) ; verumtamen, sicut dictum fuit (Q. 54) pro dispositione Crucis, gradus seu predella super Altaris mensam tamquam locus in quo ponuntur candelabra generatim usuvenit, et ab omnibus auctoribus admittitur, partim ratione munditiei mapparum, sed et insuper pro majori et commodiori Altaris ornatu.

Imo S. Rituum Congregatio rescripsit candelabra duo non debere poni necessario super mensam Altaris tempore Missæ privatæ, sed locari posse supra gradum superiorem ejusdem Altaris. (Decret. 5 Decembris 1891, n. 3759, ad 2.)

II. Candelabra, pro Missæ celebratione præscripta, tot numero in utroque latere Crucis disponantur in eadem linea, quot requiruntur candelæ accensæ pro diversis Missis (de quo in sequenti Quæstione dicetur) ;

ergo duo, vel quatuor, vel sex. — Reliquo tempore, id est, extra Missas, nisi candelabrorum numerus determinetur pro una alterave liturgica functione quæ peragenda occurrit in Altari, adsint, ad ornatum quasi Crucis et ipsius Altaris, in Altari majori regulariter candelabra sex, in minoribus Altaribus per Ecclesiam saltem duo ; salvo quod in Altari SS. Sacramenti, si non est Altare majus Ecclesiæ, quia sumptuosius præ cæteris Altare hoc exornandum est (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XII, n. 16), etiam regulariter sex candelabra ponentur.

Hæc candelabra, quotquot sunt, habeant eamdem formam, quoad stylum. Sint ejusdem altitudinis ac pes Crucis (cfr. Q. 50), in supposito quod Altaris planities ornatur tantum Cruce cum candelabris. — Sint aliquanto altiora, et spectabiliora in festis solemnioribus, quam quæ cæteris diebus non festivis apponi solent. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XII, n. 11.)

Materia ex qua fabricantur candelabra sit decens : diebus solemnioribus sint aurata, vel argentea, si haberi possunt ; cæterum sint ex aurichalco, ex cupro, ex stanno quidem, vel etiam ex ligno. — Quæ ex ligno fabricantur sint potius aurata quam argentata : hæc enim citius et facilius in nostris humidioribus regionibus nigrescunt.

Feria VI in Parasceve candelabra Altaris non possunt esse argentea. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XXV, n. 2.)

Animadvertendum est, quod candelabra Altarium non possunt adhiberi in exsequiis ad ornatum feretri, vel tumbæ ; id enim expresse prohibet Rituale Romanum. (Tit. VI, Cap. I, n. 6.)

Nota. 1° Præscribit etiam Cæremoniale, loco supra citato, ut candelabra, si habeantur quatuor vel sex, non sint omnino inter se æqualia, sed paulatim, quasi per gradus, ab utroque Altaris latere surgentia, ita ut ex eis altiora sint immediate hinc inde a lateribus Crucis posita. Ubi tamen candelabra existunt omnino inter se æqualia, excusatio ab observatione præscriptionis Cæremonialis admittitur a S. Rituum Congregatione. (Decret. 21 Julii 1855, n. 3035, ad 7, antiq. 5221, ad 9.)

2° Requiruntur super Altare, pro Missæ celebratione. tot numero candelabra distincta, quot præcipiuntur candelæ accen-

dendæ ; unde si accendi debent sex candelæ pro Missa solemni, non Rubricæ conforme dici posset, ab utroque Crucis latere apponere candelabrum unicum cum candelis tribus in brachiis, aut alio quodam modo dispositis. Hac in re censuit S. Rituum Congregatio, tolerari non posse, pro sex candelabris apponere in utroque Altaris latere candelabrum septiforme, ad instar candelabri Mosaici. (Decret. 16 Septembris 1865, n. 3137, antiq. 5351, ad 4.) Ad ornatum quidem admitti possunt, in solemnitatibus et SS. Sacramenti expositionibus, candelabra cum brachiis et coronis, sed non tamquam candelabra ad celebrandum Missam requisita.

3° Diligenter advertendum est sequens S. Rituum Congregationis Decretum (16 Septembris 1865, n. 3137, antiq. 5351, ad 1) : Ad dubium : « Requiriturne absolute, ut super Altare collocentur candelabra ad Missam celebrandam ? quin possit tolerari usus antiquus, pro Missa privata, duorum candelabrorum, hinc et hinc parieti, Altare fere tangenti, infixorum ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Affirmative ; et contrarius usus, etsi antiquus, cum sit contra legem, abolendus erit. » Si quis æstimaret, in hoc dubio quæstionem non esse de brachiis quæ aliquando candelabrorum loco infixa reperiuntur in pariete, vel in ipsa predella, aut in retabulo Altaris, fateri tamen debebit, a fortiori hujusmodi brachia esse rejicienda, sive ratione modi quo confecta sunt (non enim sunt vera candelabra), sive ratione eorum dispositionis.

4° Ad dubium : « An tolerari possit ut, tempore Missæ et Officiorum, candelabra Altaris, ne pulvere sordescant, aliquo panno vel tela permaneant vestita ; imo ut et ipsa Crux eodem modo involvatur, posita alia Cruce minori pro Cruce Altaris pretiosiore jam sic obtecta ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 12 Septembris 1857, n. 3059, antiq. 5251, ad 11.) — Attamen S. Congregatio postea rescripsit, posse tolerari, ut candelabra Altaris aurata, sive intra sive extra oblationem Sacrosancti Sacrificii, cooperire velo liceat, præcavendi humoris causa, exceptis diebus solemnibus. (Decret. 16 Septembris 1865, n. 3137, antiq. 5351, ad 2.) Sed non admisit vela violacea, etiam in Officiis de tempore Sacri Adventus ac Quadragesimæ, etiamsi usus sit immemorabilis. (Decret. 31 Augusti 1872, n. 3266, antiq. 5505.)

Q. 63. *Quot numero accendi debent candelæ pro diversis Missis ?*

R. 1° Pro Missa solemni Pontificali, celebrata ab Episcopo in sua Diœcesi, accendi debent candelæ septem ; eapropter septimum candelabrum, reliquis sex aliquanto altius, ponitur in medio Altaris, in loco Crucis, et ipsa Crux locatur ante istud altius candelabrum, et non in medio sex candelabrorum. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XII, n. 12.) Septimum

candelabrum non ponitur pro Missis de *Requiem* (ibid. Lib. II, Cap. XI, n. 1), neque pro aliis Officiis liturgicis, ex. gr., Vesperis, ab Episcopo celebratis. (Decret. S. Rituum Congregationis, 19 Maji 1607, n. 235, antiq. 351, ad 8.)

Per septem candelas ostenditur illud quod Joannes in Apocalypsi (Cap. I, ℣℣. 12, 13) describit: « Vidi septem candelabra aurea : et in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis, vestitum podere, et præcinctum ad mamillas zona aurea » ; ut ille per hoc advenire monstretur, super quem requievit spiritus gratiæ septiformis. (Innocentius III, *De sacro Altaris Mysterio,* Lib. I, Cap. VIII.)

In Missa a Summo Pontifice solemniter celebrata, præter septem candelabra super Altare locata, portantur insuper ab Acolythis septem candelabra in Processione ad Altare, ad Evangelium, etc.

Notandum est, quod septimum candelabrum pro Missa Pontificali tantum competit Episcopo Ordinario in sua Diœcesi, et non aliis Episcopis extraneis, nequidem Administratori Diœcesis, neque Auxiliari seu Suffraganeo (Decret. 22 Augusti 1722, n. 2274, antiq. 3952, ad 6) ; neque Abbati, neque cuicumque Prælato Episcopo inferiori. (Decret. 27 Septembris 1659, n. 1131, antiq. 2003, ad 1.)

2° Pro Missa solemni, id est, cum assistentia Diaconi et Subdiaconi celebrata a quocumque præter Episcopum Ordinarium in sua Diœcesi, regulariter accenduntur sex candelæ. Cæremoniale Episcoporum præscribit sex candelabra pro diebus Dominicis et festivis (Lib. I, Cap. XII, n. 11) ; notat vero sufficere quatuor candelas in candelabris diebus festis duplicibus minoribus, semiduplicibus, et infra octavas, necnon in feriis majoribus ; duas autem in festis simplicibus, et feriis per annum (ibidem, n. 24) ; attamen non prohibetur hic sex candelarum numerus in quibuscumque Missis solemnibus ; et sex candelas in his Missis accendere est apud nos praxis generalis et consuetudo.

Numerus sex candelarum pro Missa solemni deduci potest ex quadam Rubrica Missalis, quæ describit ritum in thurificatione Altaris servandum, ubi dicitur quod Celebrans incensat Altare, « ter ducens thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, a medio ejus usque ad cornu Epistolæ » ; quod idem servatur ad latus Evangelii. (Ritus celebrandi Missam, Tit. IV, n. 4.) Attamen eadem Rubrica Missalis (loco ci-

tato, n. 5), necnon Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XXIII, n. 6), plura vel pauciora candelabra admittunt; nam ubi ulterius describunt eumdem ritum incensationis, dicunt ter ducendum esse thuribulum « in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures reliquiæ, vel imagines, seu etiam plura vel pauciora candelabra. » Sufficiat pro nobis regula praxis et consuetudinis.

Rescripsit S. Rituum Congregatio quod tempore Missæ solemnis vel cantatæ, præter cereos super candelabra positos in superiori gradu Altaris, non requiruntur insuper duæ candelæ accensæ super mensam. (Decret. 5 Decembris 1891, n. 3759, ad 1.)

3° Pro Missa càntata, id est, celebrata in cantu, sed absque solemnitate Ministrorum Diaconi et Subdiaconi, et absque thurificatione, accenduntur candelæ saltem quatuor; et apud nos generatim sex. — S. Rituum Congregatio rescripsit « in Missis de Requiem cum cantu saltem quatuor » accendi debere candelas. (Decret. 12 Augusti 1854, n. 3029, antiq. 5208, ad 7.)

4° Pro Missa privata cujuscumque Episcopi accenduntur candelæ quatuor. Cæremoniale Episcoporum indicat quidem (Lib. I, Cap. XXIX, n. 4) quatuor candelas, quas decet apponi in Festis solemnioribus, alias vero tantum duas; sed notant auctores, hujus Rubricæ sensum non esse restrictivum, et ubique locorum, etiam Romæ, pro quacumque Missa privata cujuscumque Episcopi semper quatuor accendi candelas; ad distinctionem nempe dignitatis Episcopalis. (Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 38.)

5° Pro Missa stricte privata cujuscumque Sacerdotis, Episcopo inferioris, accendi debent duæ candelæ, et duæ tantum accendi possunt. Dicit quidem Rubrica generalis Missalis (Tit. XX) in Altari pro Missæ celebratione esse collocanda candelabra « saltem duo cum candelis accensis »; sed inde inferre non licet plures quam duas posse accendi pro Missa stricte privata candelas; verbo « saltem » Rubrica providet de lumine pro quibuscumque Missis. — Cæterum, ex variis S. Rituum Congregationis Decretis constat, plures quam duas candelas non posse accendi, ratione dignitatis personalis, in Missis privatis eorum qui dignitate quadam gaudent, sed Episcopis sunt inferiores, nempe Abbatum, et Prælatorum quorumcumque, quia hi Sa-

crum operantes a simplicibus Sacerdotibus minime differunt. (Decreta 27 Septembris 1659, n. 1131, antiq. 2003, ad 21 ; 27 Aprilis 1818, n. 2583, antiq. 4545, ad 6 ; 29 Augusti 1872, n. 3262, antiq. 5500, ad 18 ; cfr. etiam Motu proprio SS. D. N. Pii Papæ X, de Protonotariis Apostolicis, Prælatis Urbanis, et aliis qui nonnullis privilegiis Prælatorum propriis fruuntur, 21 Februarii 1905 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIX, 1905, pag. 131 et sqq.) — Cave tu a numero ambitioso, ait Gavantus. (*Thesaurus Sacrorum Rituum*, Tom. I, Pars I, Tit. XX, littera y.)

6° In Missa non stricte privata, a quocumque Sacerdote celebretur, accendi possunt plures quam duæ candelæ, et si Episcopus hujusmodi Missam celebrat, plures quam quatuor. — Missa non stricte privata intelligitur : Missa Parochialis, vel similis, ex. gr., Communitatis, in diebus solemnioribus ; vel Missa quæ celebratur loco solemnis atque cantatæ, occasione realis atque usitatæ celebritatis et solemnitatis. (S. Rituum Congregatio, Decreta 12 Septembris 1857, n. 3059, antiq. 5251, ad 9 ; et 6 Februarii 1858, n. 3065, antiq. 5257, ad 3.)

Hæc dicta intelligantur pro mera celebratione Missæ ; ex alio motivo vero aliquando plures quam duo, aut quatuor, aut sex candelæ accendi debent, ex. gr., si Missa celebretur coram SS. Sacramento exposito. De numero candelarum quæ in hoc casu accendi debent, dicitur in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 180.

De ordine quo accenduntur candelæ in Altari, dicitur in Tractatu qui inscribitur « Cæremoniale », in Instructionibus pro Acolythis. (Q. 3, ad 2.)

Nota. Quia de luminari pro Missis ab Episcopo celebratis jam in præcedentibus aliquid dictum fuit, placet quædam addere de candela, cujus est usus in diversis sacris functionibus ab Episcopo peractis ; cum enim Episcopus legit aliquid de libro, seu cantat, regulariter prope librum tenetur « parvum instrumentum argenteum, quod vulgo *Bugiam* vocant, cum candela desuper accensa, etiamsi aër sit lucidus, ita ut opus non sit lumine ad legendum. » (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XX, n. 1.)

Bugia (vox hæc est italici sermonis, gallice dicitur *bougeoir* ;

nemo inepte cogitet de candela ex stearina, vocata *bougie*), seu palmatoria, seu scotula, est instrumentum constans catillo, seu vasculo in quo candela sistitur, et manubrio quo illud catillum tenetur. Etsi in variis liturgicis functionibus ad usum habeatur pro luminari, non tamen censetur esse candelabrum, quo de more uti debent Acolythi in proprio munere exercendo ; quapropter a S. Rituum Congregatione declaratum fuit, quod non potest esse materia Ordinis Acolythorum. (Decret. 8 Junii 1709, n. 2194, ad 4, antiq. 3809, ad 5.)

Ex jure competit palmatoriæ usus cuicumque Episcopo, in omnibus functionibus, et omnibus per annum diebus, excepta Feria VI in Parasceve, ac excepta in Sabbato Sancto ea Officii parte quæ antecedit Missam.

Palmatoriæ significatio mystica est, ut ideo designetur Episcopus tamquam lucerna ardens et lucens, in candelabro posita.

Quoad palmatoriæ usum pro iis qui Episcopo dignitate sunt inferiores, declaravit S. Rituum Congregatio : « In sacris functionibus, sive publicis sive privatis, non licere Dignitatibus et Canonicis, Superioribus Regularibus, Prælatis quoque Romanæ Curiæ, Protonotariis Apostolicis honorariis, aliisque omnibus quocumque nomine nuncupentur, quibus ex jure non competit, etiamsi habeant ex indulto usum mitræ, palmatoriam adhibere, nisi Apostolico privilegio donentur, vel hoc personale sit, vel Corpori cujus membra sunt attributum ; ita tamen ut non aliter eo uti possint, quam servatis modo et forma, ac cum limitationibus et conditionibus in Apostolica concessione præscriptis. » (Decret. 31 Maji-4 Junii 1817, n. 2579, antiq. 4537, ad 1.) — In Motu proprio SS. D. N. Pii Papæ X, diei 21 Februarii 1905, conceditur Protonotariis Apostolicis cujusque ordinis, et ceteris Prælatis Romanæ Curiæ, usus palmatoriæ in Missa cum cantu, vel etiam lecta cum aliqua solemnitate celebranda, item in Vesperis aliisque solemnibus functionibus, sub conditionibus tamen stricte servandis quæ ibi describuntur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIX, 1905, pag. 131 et sqq.)

Ob defectum luminis ad legendum, si tenebræ sint, apponi profecto debet candela prope Missale, sed candelabrum in quo sistitur candela non potest esse formæ palmatoriæ Episcopalis. (Decret. 31 Maji 1817, n. 2578, antiq. 4536, ad 3.) Præsertim hic animadvertendum est S. Rituum Congregationis Decretum, quo declaravit non permitti posse « in Ecclesiis lumina ex oleo, quæ mensæ Altaris imminent, et ardent etiam tempore Sacrificii. » (Decret. 20 Junii 1899, n. 4035, ad 6.) Unde certo prohibentur lampades cum petroleo, alicubi temere admissæ ad hunc finem.

Q. 64. *Quid dicendum est de Candela accendenda ad Elevationem in Missa ?*

R. Rubrica Missalis notat quod in Missa privata, ante Elevationem S. Hostiæ, accenditur a ministro in-

torticium, « quod non extinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in Missa. » (Ritus celebrandi Missam, Tit. VIII, n. 6.) Item inter præparanda ad Altare pro Missæ celebratione, notat ut « a parte Epistolæ paretur cereus, ad Elevationem Sacramenti accendendus. » (Rubricæ generales Missalis, Tit. XX.)

Porro non est observanda hæc Rubrica ubi in desuetudinem abiit ; nam ad dubium : « Utrum consuetudo servari possit non accendendi tertium cereum in Missis lectis, a Consecratione ad Communionem ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 9 Junii 1899, n. 4029, ad 2.) Non ideo tamen censendum est S. Congregationem intendisse derogare Rubricæ ; nam postea declaravit eamdem Rubricam observari debere, accedente auctoritate Ordinarii derogantis consuetudini, et præcipientis observationem Rubricæ ; etenim ad dubium : « Num Ordinarius præcipere possit, ut Sacerdotes tam sæculares quam regulares in Missis lectis tertium cereum accendant in Canone apud eam diœcesim, ubi sicut in universa regione, mos illum accendendi in oblivionem ac desuetudinem jamdudum abierit ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative ex Rubrica generali Missalis, tit. XX, et accedente auctoritate Ordinarii non obstat Decretum n° 4029, 9 Junii 1899, ad 2. » (Decret. 29 Julii 1904, *Ordinis Fratrum minorum Provinciæ Angliæ*, ad 8 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 585.)

Intendit hæc Rubrica adstantes aut accedentes monere de præsentia Domini in Altari sub speciebus panis et vini, et fideles ad adorationem SS. Sacramenti excitare. Cum ejus significatio pulcherrima sit, et finis ita congruens, non est parvi, nequidem pro praxi, æstimanda.

Hanc Rubricam olim generatim fuisse observatam testantur, tum ipsa Rubrica a S. Pio V sæculo XVI in Missali retenta ; tum auctores ejusdem ævi ; tum etiam plurimæ tabulæ pictæ, ejusdem vel præcedentium sæculorum, in quibus, ubi repræsentatur Missæ Sacrificium ad Consecrationem, semper videre est ministrum manu intorticium tenentem. Sensim tamen hujus

Rubricæ observatio in desuetudinem abiit, etiamsi auctores liturgici semper ipsam etiam nunc annotent; et hodiedum in paucis tantum Ecclesiis observatur. Ubi autem observatur, non minister tenet intorticium, sed a parte Epistolæ, extra mensam Altaris, paratur candela, vel in cornucopio parieti affixo, vel in candelabro ibi posito.

Nota. I. Celebritatis aut frequentioris assistentiæ causa, ex. gr., si Missa lecta sit parochialis, aut Communitatis, possunt etiam duo Clerici a principio Canonis usque ad Communionem sustinere funalia seu intorticia. (Decret. 12 Septembris 1857, n. 3059, antiq. 5251, ad 8.)

Nota. II. In Missis solemnibus a fine Præfationis usque post Elevationem Calicis, aut si aliqui sint communicandi, necnon in diebus jejuniorum ac in Missis pro Defunctis usque post Communionem, accenduntur et sustinentur ab Acolythis duo saltem intorticia. (Cfr. Ritus celebrandi Missam, Tit. VIII, n. 8.) Cæremoniale Episcoporum requirit funalia quatuor, vel sex, vel ad summum octo, pro Celebrantis qualitate, et dierum solemnitate. (Lib. I, Cap. XII, n. 20; Lib. II, Cap. VIII, n. 68; et Cap. XI, n. 7.) Duo vel quatuor funalia admittuntur si Celebrans est Sacerdos, sex pro Dignitatibus, octo pro Episcopo Ordinario.

§ 5. De reliquo ornatu Altarium

Q. 65. *An inter candelabra aliquis ornatus admittitur? Quandonam abstinendum est ab isto ornatu?*

R. I. Affirmative; juxta Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XII, n. 12) disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra, vel a lateribus Crucis, sequentes ornatus: « Reliquiæ, aut Tabernacula cum Sanctorum Reliquiis; — vel imagines argenteæ, seu ex alia materia, staturæ competentis; — sed et vascula cum flosculis et frondibus odoriferis, seu serico contextis, studiose ornata. »

Exposito SS. Sacramento, plures candelæ apponi debent in Altari, de quorum numero et dispositione dicitur in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 180.

Nota. I. Quoad Reliquias in Altari collocatas animadvertendum est, in casu « omnino oportere ut super Altare saltem ardeant duo lumina ; alias Reliquiæ non exponantur. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Januarii 1701, n. 2067, antiq. 3575, ad 9.) Et ad dubium : « Num Thecæ deauratæ Sanctorum Reliquiis addictæ ad Altaris ornamentum, inter candelabra collocatæ et apertæ singulis diebus, sine lumine, sic permanere possint ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Ante sacra Lipsana exposita saltem duo lumina, ex Decretis, collucere debere. » (Decret. 12 Augusti 1854, n. 3029, ad 13, antiq. 5208, ad 18.)

Nota. II. Circa ornatum florum animadvertendum est :

1° Flores et frondes odoriferæ hic certe intelliguntur naturales ; num vero ipsas plantas in propriis vasculis crescentes his verbis intelligat Cæremoniale, dubitari potest ; minus decens videtur, ponere super Altare ipsa vascula, terra repleta, in quibus plantæ crescunt ; quod autem allata verba innuant desectos e plantis flores in fasciculos studiose colligatos, itemque desectas frondes, munditiei Altaris et decentiæ magis congruere omnes admittent.

Extra Altaris mensam vero ad ornatum apponere plantas non solum licitum, sed et valde commendandum est ; in eo tamen ornatu vitanda erit ea quantitas et dispositio, qua Altare quasi in viridario seu horto positum appareret.

2° Flores admittuntur etiam artificiose contexti ; materiam ex qua conficiantur indicat Rubrica, nempe sericum, non exclusive forsan, sed ut indicetur materia dignior quæ Altare deceat.

In hoc ornatu non raro minus decentiæ prospicitur, et subtile deest judicium ; sive ex parte materiæ communioris (chartæ, ferri, vulgo dicti « blik, fer blanc », etc.) ; sive ex parte formæ fasciculorum, quæ a naturali quam maxime discrepat ; sive ex neglectu, quo florum fasciculi mox sordidi ad ornatum apponuntur. (Absit tamen ut ad nitorem commendetur usus globorum ex vitro, quibus in Altare nullus dari potest locus.)

Nota. III. De ornatu luminaris juvat sequentia notare :

1° Semper memores sint Sacerdotes Ecclesiam esse locum sanctum, qui non repræsentationibus theatralibus destinatur, et sancta sancte esse tractanda. Ideo sapienter monuit S. Rituum Congregatio, quando rescripsit lucem electricam, non ad cultum, sed ad Ecclesias splendidius illuminandas posse adhiberi, cavendum esse ne modus speciem præseferat theatralem. (Cfr. Q. 61, Nota.) Jam aliud novissimum inventum, vulgo dictum « les projections lumineuses », quorumdam tentat æmulationem : de hoc nihil dici potest, nisi quod sit in Ecclesia omnino indecens. (Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 381.)

2° Prudentiores sint Sacerdotes in emendis variis ornatibus, ne tenui pretio et auri specie allecti res nullius valoris acquirant. Venumdantur, præsertim pro ornatu luminaris, candelabra dicta « corbeilles, tiges, croissants, rampes, palmes, etc. », quæ auri specie (vernis d'or), et suis floribus ac foliis simpliciores attrahunt, et post aliquod tempus omnem fraudulentem splendorem irreparabiliter amittunt.

II. Non semper hi ornatus admittuntur ; etenim :

1° In exsequiis, et aliis solemnioribus Missis de *Requiem*, « Altare nullo ornatu festivo, sed simpliciter, et nullis imaginibus, sed sola Cruce, et sex candelabris paretur. » (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XI, n. 1.) Flores etiam non apponantur, neque Reliquiæ.

2° Exposito SS. Sacramento, « Sanctorum Reliquiæ non sunt collocandæ super Altare, in quo SS. Sacramentum publicæ venerationi est expositum. » (S. Rituum Congregatio, Decret. 2 Septembris 1741, n. 2365, ad 1, antiq. 4119, ad 5.) Et si quæ sint in Altari thecæ Reliquiarum, tempore Expositionis cujuscumque velari seu cooperiri debent.

Exposito SS. Sacramento solemniori modo, ex. gr., in Adoratione perpetua seu Oratione XL Horarum, imagines Sanctorum non possunt disponi super Altare ; et imago, seu statua principalis etiam velari debet ; — quoad alias Expositiones minus solemnes et breviores, illæ imagines quæ in solemnioribus festivitatibus disponuntur inter candelabra, nullomodo ad cultum, sed simpliciter ad festivum ornatum, non videntur debere auferri tempore Expositionis. Imo non tegenda est imago seu tabula Altaris, quæ exhibet Sanctum, etiam qui est in magna veneratione. (Cfr. Commentaria ad Instructionem Clementinam, § III, n. 3.)

3° A Dominica de Passione, et per totum Passionis tempus, « super Altare nullæ ponantur imagines Sanctorum. » (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XX, n. 3.) Idem dicendum de Reliquiis.

4° Ab ornatu florum et frondium abstinendum est tempore Adventus et Quadragesimæ ; etenim his temporibus Altare ornatur « simpliciori apparatu ». (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XIII, n. 2 ; et Cap. XX, n. 1.) Aliqui auctores dicunt quidem ab hoc ornatu esse abstinendum, quoties coloris violacei paramenta præscribuntur. Excipiuntur tamen Dominica III Adventus, et Dominica IV Quadragesimæ, in quibus ornatus Altaris aliquanto sumptuosior admittitur.

Insuper in quibusdam circumstantiis admittitur hujusmodi ornatus etiam his temporibus, ut patet ex sequenti Decreto S. Rituum Congregationis : Ad du-

bium : « An occasione primæ Communionis puerorum, vel ob devotionem erga Sanctum Joseph mense Martio, possint Altaria ornari floribus, et pulsari organa, etiam tempore Quadragesimæ ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 11 Maji 1878, n. 3448, ad 11, antiq. 5728, ad 14.)

Nota. Placet describere sequens Decretum relative ad ornatum ipsius Ecclesiæ : Ad dubium : « An deceat in parietibus Ecclesiæ vel publici Oratorii suspendere coronas mortuarias, ut inibi maneant ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 22 Maji 1896, n. 3909.)

Q. 66. *Quid notandum est de usu lampadum ante Altaria ?*

R. In Tractatu de administratione Sacramentorum expositum fuit Rubricarum præscriptum de lumine ex oleo coram Tabernaculo SS. Sacramenti accendendo. (Cfr. ibidem QQ. 162-164.)

Mens Ecclesiæ est ut appendantur lampades, non solum ante Altare SS. Sacramenti, sed etiam ante alia Altaria. De lampadum usu dicitur in Cæremoniali Episcoporum (Lib. I, Cap. XII, n. 17) :

« Lampades quoque ardentes numero impari in ecclesiis adsint, tum ad cultum et ornatum, tum ad mysticum sensum..... Hæ vero in primis adhibendæ sunt ante Altare, vel locum, ubi asservatur SS. Sacramentum, et ante Altare majus, quibus in locis lampadarios pensiles esse decet, plures sustinentes lampades, ex quibus, qui ante Altare majus erit, tres ad minus ; qui ante Sacramentum, saltem quinque lucernas habeat. Ante vero reliqua singula Altaria singulæ possunt lampades appendi ; quæ quidem in præcipuis festis, saltem dum Vesperæ, et Missa solemnis decantantur, continue ardeant. Ante SS. Sacramentum, si non omnes, ad minus tres accensæ tota die adsint..... Possunt etiam in Altari majori vel aliis, quæ habent ciboria, circumcirca lampades appendi. »

Quoad modum vero appendendi vel disponendi lampades, vel quæcumque lumina ex oleo, animadvertendum est Decretum S. Rituum Congregationis jam citatum (cfr. Q. 61), quo declaravit permitti non posse

« in Ecclesiis lumina ex oleo, quæ mensæ Altaris imminent, et ardent etiam tempore Sacrificii. » (Decret. 20 Junii 1899, n. 4035, ad 6.)

Nota. 1° Animadvertendum est quomodo et quantum Rubrica insistat impari lampadum numero ; non itaque numero pari lampades appendantur, sed semper impar sit earum numerus, una in medio ante Altare appensa.

2° Mysticus lampadum sensus est lætitia, cujus signum ubique gentium lumen fuit ; insuper lampades ornatum constituunt præ cæteris festivum, uti in Ecclesiis Romæ observatur.

3° Lampadarius est vel trabs, aut regula ferrea, decenter et artificiose ornata, et in longitudinem ducta, qua lampades pensiles certo numero sustinentur ; — vel etiam corona pensilis, ex cupro aut ferro decenter ornato, qua lucernæ plures sustinentur, una in coronæ medio appensa. — Lampadarii etiam dantur, plerumque ex aurichalco ornate confecti, ad instar columnæ paululum alte exstructi, et superius in orbem ducti, quo lampades sustinentur ; cujus generis fuisse illos constat qui antiquitus phara canthara nominabantur. In nostris Ecclesiis hodiedum inserviunt ad sustinendas potius candelas quam lampades. (Cfr. S. Carolus Borromæus, *Instructiones fabricæ ecclesiasticæ,* Lib. I, Cap. XVIII.)

4° De ciborio Altaris, a quo circumcirca Altare lampades possunt appendi, dicitur in Quæstione 69.

Q. 67. *Quid de tapete notant Rubricæ ?*

R. In solemnioribus festivitatibus « gradus omnes Altaris inferiores cooperiantur aliquo amplo et pulchro tapete, ut, si fieri potest, sint magis conspicui, et ornati, quam reliqua pars presbyterii, quæ pannis viridibus contegitur. Si vero tale tapete amplum haberi non posset, saltem scabellum, seu suppedaneum, quod est proximum Altari, sit tapete aliquo coopertum. » (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XII, n. 16.) Ita notatur pro Altari majori ; in reliquis Altaribus per Ecclesiam pariter suppedanea, seu « scabella eorum, si fieri possit, tapetibus, vel saltem pannis cooperiantur. » (Ibidem.)

Cæterum per totum annum tapete sterni potest super Altaris gradus, plus minusve amplum et pulchrum, pro facultatibus Ecclesiæ, et pro Festorum vel dierum solemnitate vel simplicitate.

Exceptiones notantur sequentes :

1° Feria V in Cœna Domini, inde a denudatione Al-

tarium post Vesperas, et per totam Feriam VI in Parasceve, Altaria debent esse penitus denudata. Sed Sabbato Sancto, mane ante Officium jam tapetia licet sternere.

2° Pro Missis de *Requiem* solemnioribus, totum presbyterium debet esse nudum, et nudi etiam sint gradus Altaris, excepto, quod tapete super primo gradu suppedaneo ponetur ; omnia Altaris paramenta sint nigra, et in his nullæ imagines mortuorum, vel cruces albæ ponantur. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. XI, n. 1.)

Nota. 1° Rubrica assignat colorem viridem pro tapete presbyterii ; sæpius in nostris Ecclesiis præfertur color rubeus ; egregius tamen, et in casu præstans æstimatur color viridis : nonne ipsa natura eumdem profert, et fulgent viridanti prata colore? Quoad ornatum ipsius tapetis, notandum est quod in ipso non licet figurare Cruces, Imagines Dei vel Sanctorum, emblemata, ex. gr., calicem, agnum, etc., neque monogrammata SS. Nominum Jesu aut Mariæ, neque similia : dedecet enim omnino ut rerum sacrarum figuræ conculcentur.

2° Advertere juvat, quod diversum a tapete presbyterii notetur esse tapete quo cooperiuntur Altaris gradus (intellige usque ad metrum circiter ante ipsos gradus) ; et quod pulchrius quidem sit, ut magis conspicui et ornati appareant gradus. Rarius animadvertitur in nostris Ecclesiis hæc distinctio. Mens Ecclesiæ est ut, quo propius acceditur ad ipsum Altare, eo præstantior sit ornatus. Qui voluerint hanc Rubricam observare, ab effectu etiam consonam et sapientem æstimabunt.

3° Quantum, in hodiernis solemnioribus exsequiis, discrepat a simplicitate Liturgiæ in luctu pompa in ornatu funebri in dies accrescens ! Non solum non observatur nuditas presbyterii, sed jam eo usque devenit vanitatis apparatus, ut et baldachinum ponatur super feretrum vel tumulum. In catalogo cujusdam fabricatoris videre est descriptum et figuratum baldachinum, « dôme funèbre, noir, or et argent, avec tentures et panaches » ; dum S. Rituum Congregatio declaravit, abusum esse eliminandum, in exsequiis, etiam pro Episcopo, vel Cardinali, tam præsente quam absente corpore, imo pro Summo Pontifice absente corpore, baldachinum super defunctum, vel super tumulum ponere. (Decret. 4 Julii 1879, n. 3500, antiq. 5789, ad 1.)

68. **De retabulo Altaris.** — In festivitatibus sumptuosius ornari debent non solum Altare, sed et quæ Altare circumdant. Sequentem ornatum proponit Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XII, n. 13) : « Quod si Altare parieti adhæreat, applicari poterit ipsi parieti supra Altare pannus aliquis ceteris nobilior, et speciosior, ubi intextæ sint Domini Nostri Jesu

Christi, aut gloriosæ Virginis, vel Sanctorum imagines ; nisi jam in ipso pariete essent depictæ, et decenter ornatæ. » Hujusmodi ornatum, non acu in panno pictum, sed metallo, lapide, aut ligno exaratum exhibent nostra Altarium retabula. — Super quo notatur :

1° Generatim nostræ Diœcesis Ecclesiæ (si paucas excipias quæ deambulatorium, ut dicitur, circumcirca Chorum habent) tales sunt in quibus verum fit Cæremonialis suppositum, nempe quod Altaria etiam majora adhærent parieti ; nam ad mentem hujus Rubricæ parieti adhærere etiam censentur illa Altaria, quæ ad distantiam circiter unius metri a pariete constructa sunt, ita ut ipsa circumire liceat (cfr. Q. 21, 3) ; et parieti non adhærere censenda sunt tantum illa Altaria quæ constructa habentur ante Chorum, vel ad ingressum Chori, in quibus Missam celebrans stat facie ad populum versa, qualia videntur, ex. gr., in Basilicis Romanis ; sed apud nos nulla exstant.

2° Panni nobiliores, et speciosiores, cum intextis imaginibus, intelliguntur hic tapetia pensilia (tapisseries), qualia præcedentibus sæculis in nostra patria fabricata fuere per totum orbem artificioso suo opere celeberrima, et hodiedum adhuc fabricantur, et magni æstimantur pretii. Rarissima reperire est exemplaria in nostris Ecclesiis.

3° Loco hujusmodi panni pensilis, Altaribus nostris a multis sæculis appositus fuit ornatus fixus et permanens, nempe Altaris retabulum (retable, altaarschrijn), quo nomine intelligitur tabula retro post Altare verticaliter posita, ipsi adhærens, et supra ipsum eminens, confecta ex metallo, aut lapide, aut ligno, et exhibens sculptas aut pictas imagines, vel repræsentationes diversas.

Retabula Altaribus applicata reperiuntur a sæculo XI, primum ex metallo, dein sæculo XIII ex lapide ; a sæculo XIV plerumque construebantur ex ligno, ad longitudinem mensæ Altaris, et adjungebantur retabulo valvæ quibus occludi poterat ; imagines erant sæpius sculptæ in retabulo, pictæ vero in valvis. Per annum, clausis valvis, simplicior erat Altaris ornatus ; diebus festivis vero, apertis valvis, nobilior et speciosior, qualem vult nostra Rubrica, fulgebat ornatus supra Altare.

Sæculo XVI, relictis pedetentim retabulis sculptis, magnificari sensim ceperunt retabula picta : et cum pictores tabulas suas continuo amplificarent, et ab Altaris mensa ad superiora elevarent, prodierunt, sæculo XVII, ad majorem gloriam picturæ et pictorum forsan magis quam ad humilioris Altaris ornatum, constructiones valde magnæ cum columnis et coronide, e marmore (vero vel sæpius ficto), ad formam arcus triumphalis. Chori fornicem usque tendentes : unde Altare proprie dictum æstimatum sæpius fuit in hujusmodi constructionibus tamquam accessorium, pictura vero cum suo majori apparatu principale.

Inde a medio circiter sæculi XIX, occasione instaurationis Ecclesiarum medii ævi, sæpius in nostra Diœcesi, et optato cum successu, restituuntur antiqua Altaria cum suis retabulis. Quorum interest invocatur perspicax judicium et prudentia, ut

seligant optimæ notæ architectos et operarios, qui non solum artis, sed et Liturgiæ sacræ leges bene noverint. Cæterum observent semper quæ in Statutis diœcesanis præscribuntur (nn. 370 et 370bis), de transmittendis ad Vicariatum ichnographiis, et descriptionibus, et æstimationibus cujuscumque operis novi vel instaurationis.

(Cfr. Reusens, *Éléments d'archéologie chrétienne,* 1886, I, 425 ; II, 221, 572.)

69. **De Baldachino, et Ciborio supra Altare.** — De hoc Altaris ornatu dicit Cæremoniale Episcoporum : « Umbraculum, seu baldachinum.... appendi in sublimi debet supra Altare,..... forma quadrata, colore, ubi commode fieri possit, conformi colori ceterorum paramentorum, pro temporum, ac celebritatum varietate. » (Lib. I, Cap. XIV, n. 1.) Et alio loco : « Desuper in alto appendatur umbraculum, quod baldachinum vocant, formæ quadratæ, cooperiens Altare, et ipsius Altaris scabellum, coloris ceterorum paramentorum. Quod baldachinum etiam supra statuendum erit, si Altare sit a pariete sejunctum, nec supra habeat aliquod ciborium ex lapide, aut ex marmore confectum. — Si autem adsit tale ciborium, non est opus umbraculo, sed ipsum ciborium floribus frondibusque exornari poterit. » (Lib. I, Cap. XII, nn. 13, 14.) Si alicubi sedes Episcopalis collocatur a latere Evangelii, super ipsam etiam umbraculum, seu baldachinum appenditur, « dummodo et super Altare aliud simile, vel etiam sumptuosius appendatur ; nisi ubi super Altari est ciborium marmoreum, vel lapideum ; quia tunc superfluum est, nec aptari commode potest. » (Lib. I, Cap. XIII, n. 3.) Hæc dicta referuntur ad Altare majus Ecclesiæ ; pro cæteris Altaribus Ecclesiæ vero nihil notat de hoc umbraculo Cæremoniale, ubi horum ornatum describit. (Lib. I, Cap. XII, n. 16.)

Ex sequentibus Decretis S. Rituum Congregationis constat, hujusmodi baldachinum etiam requiri supra Altare in quo asservatur SS. Sacramentum in Tabernaculo.

1. Ad dubium : « An in omnibus Altaribus sive Cathedralis, sive aliarum Ecclesiarum, debeat erigi baldachinum, vel in majori tantum, in quo asservatur Augustissimum Sacramentum ? » S. Congregatio respondit : « In omnibus. » (Decret. 27 Aprilis 1697, n. 1966, antiq. 3421.) Ex hoc responso non est concludendum in omnibus Ecclesiæ Altaribus requiri baldachinum : S. Congregatio dubium non clare propositum sequenti modo intellexit, quasi peteretur an in omnibus Altaribus, quatenus in iis servatur SS. Sacramentum, erigi debeat baldachinum, an vero solum in Altari majori, quando in ipso SS. Sacramentum asservatur ; et sensus responsionis est, in quocumque Altari, sive majori, sive alio, in quo SS. Sacramentum asservatur, baldachinum requiri. Hæc Decreti interpretatio eruitur ex sequenti ejusdem S. Congregationis Decreto.

2. Ad dubium : « Num super omni Altari, in quo Sanctissimum Sacramentum asservatur, apponi omnino debeat baldachinum ? » S. Congregatio « comperiens, usque ab anno 1697,

sub die 27 Aprilis, in una Cotronen., sancitum fuisse, ut baldachinum omnino apponatur super Altare, in quo Augustissimum Sacramentum asservatur, rescribendum censuit : Detur Decretum in una Cotronen., diei 27 Aprilis 1697. » (Decret. 23 Maji 1846, n. 2912, antiq. 5044.)

In Indice generali Decretorum, ad Articulum « Baldachinum », notatur : « Hæc autem duo Decreta ubique, etiam Romæ, in desuetudinem abierunt. » Hæc Nota juxta quosdam intelligenda est de baldachino « super Altaribus » erigendo ; sed intelligi non potest de baldachino erigendo super Altare majus, et Altare SS. Sacramenti quatenus hoc diversum sit ab illo. (Ephemerides Liturgicæ, XIX, 1905, pag. 93.)

Itaque baldachinum, seu umbraculum appendi debet supra Altare majus Ecclesiæ, et supra Altare in quo asservatur SS. Sacramentum ; nisi supra hæc Altaria constructum habeatur ciborium. (Cfr. Regulæ speciales pro Visitatione Apostolica Urbis ejusque districtus, a SS. D. Pio Papa X die 11 Februarii 1905 indicta ; ad XII, *Baldacchino* ; cfr. Acta Sanctæ Sedis, XXXVIII, 1905, pag. 183.)

Nota. 1° Baldachinum Altaris est pannus, apte extensus super quatuor ligna conjuncta in forma quadrata, supra Altare, horizontali situ, mediante catena vel fune, e fornice vel e pariete dependens, talis extensionis ut cooperiat ipsum Altare in tota sua longitudine ac latitudine, et insuper scabellum seu suppedaneum Altaris ; qua appendi debeat altitudine difficile est determinare, sed regulariter habeatur distantia duorum vel trium metrorum baldachinum inter et cacumen Altaris aut ornatus super Altare positi.

Ab ejusdem panni partibus possunt ad ornatum appendi fasciæ et laciniæ ex auro vel argento, vel ex serico, quantum fieri potest, ejusdem coloris cujus sunt reliqua paramenta Altaris ; interior pars vero ornari potest tela cærulei coloris ; « cœlum » enim vulgo vocatur.

Loco panni quadratæ formæ, pro hoc Altaris baldachino, quod numquam portari debet, sumi possunt etiam tabulæ sectæ conjunctæ in forma quadrata.

Ciborium est umbraculum, non ex panno, neque dependens, sed solidum ex opere marmoreo, vel lapideo, vel ligneo, super Altare constructum, formæ quadratæ, sustentatum quatuor columnis, quarum duæ positæ sunt circa angulos posteriores Altaris, et duæ in angulis graduum Altaris, aut ante angulos suppedanei Altaris.

2° Rationem hujus præscriptionis baldachini, vel ciborii supra Altare afferunt varii auctores, ut eo Altare et Sacerdos celebrans diligentius a pulvere et ab omni sorde, e fornice vel ex alto dilabente, protegantur. Sed levior hæc ratio videtur : non ita sæpe sordes ex alto dilabuntur ut ideo perpetuum tegumentum necesse fiat ; et pulveris major pars in nostris Ecclesiis, ob populi frequentiam, potius et prius e pavimento ascendit, quam descendat ex alto.

Ratio præcipua, et certo sufficiens ut Rubrica hæc observetur,

est summus honor, quasi regius, tribuendus tum SS. Sacramento, tum Altari, totius Ecclesiæ loco dignissimo.

3° Medio ævo usum baldachini pensilis super Altaria observatum fuisse testantur ejusdem ævi picturæ, et miniaturæ, necnon Ecclesiarum inventaria; postea baldachinum in desuetudinem abiit; et hodiedum in nostris regionibus rarissime reperitur.

Quidquid sit de hac generali omissione, si quod faciendum est non fit, nihilominus remanet quod fieri debeat; præterquam quod baldachinum sit de præcepto, agitur de honore Deo tribuendo eo modo quem intendit Ecclesia, et qui certe ex convenientissimis est, necnon ex ornatissimis dici potest.

Ex iisdem documentis supra citatis constat, quod medio ævo sæpius, imo quasi generatim in usu erant cortinæ, ab utraque parte Altaris. et etiam a retro appensæ; de iis nihil dicitur in Liturgicis libris. Forsan ipsæ sunt panni, de quibus dicitur Q. 68.

4° Ciborium jure merito proclamatur pro Altari majori Ecclesiæ, et pro Altari SS. Sacramenti ornatus omnium præstantissimus, et qui sub omni respectu, tum Liturgiæ, tum artis, tum æstheticæ, tum honorificentiæ, omne desideratum abunde implet.

A primis sæculis constructa fuere ciboria; pace Ecclesiæ data, ipse Constantinus Imperator primas ædificatas Basilicas sumptuosis ex auro et marmore pretioso ornavit ciboriis; Urbs Roma religiose conservat plura tum antiquioris, tum medii ævi ciboria; per Italiam, aliasque regiones, item plura videre est antiqua ciboria.

Forsan constructiones, sæculo XVII retro post Altaria elevatæ, quæ in numero præcedenti tamquam arcus triumphales designantur, mutili ciborii vestigium sunt: si enim ciborii Altaris paululum extendas duas columnas posteriores, et retroducas duas columnas anteriores cum sua coronide usque dum fere jungantur posterioribus, prostabit dictus arcus triumphalis, cum sua in medio vacuo inserta depicta tabula, ad cujus gloriam plerumque erectus fuit, potius quam ad ipsius Altaris ornatum.

Ciborium aptissime convenit iis ex nostris Ecclesiis quæ deambulatorium circa Chorum habent; item illis, in quarum abside fenestræ versus fornicem elevatæ sunt. In iis vero Ecclesiis, quarum absis ornatur pluribus fenestris oblongis, forsan effectus non respondebit expensis: fenestræ enim, præsertim vitro colorato ornatæ, nocent valde cuicumque structuræ ante ipsas appositæ.

(Cfr. Schmid, *Der Christliche Altar*, Ratisbonæ, 1871.)

Q. 70. *Quid dicendum est de loco sessionis, prope Altare parando pro Celebrante et Ministris? Qualis esse debet?*

R. I. 1. Episcopo Ordinario in sua Diœcesi competit thronus, qui a latere Evangelii prope Altare collocatur. Thronus est sedes in modum cathedræ immobilis, cum prælto dorso, et cum umbraculo seu balda-

chino superposito, ad quam per tres gradus ascenditur. Thronus fixus et permanens esse debet in Ecclesia Cathedrali; in aliis Ecclesiis erigitur ad casum. — Hunc thronum ex recentiori jure cedere potest Episcopus Diœcesanus, cum assistentia Canonicorum sibi debita, alteri Episcopo; dummodo Episcopus invitatus non sit ipsius Diœcesani Coadjutor, aut Auxiliaris, aut Vicarius Generalis, aut Canonicus in illius Ecclesiis; Præsulem vero Cardinalem alicujus Diœcesis decet ut suum thronum nonnisi alii eadem Cardinalitia dignitate ornato cedat. (Decret. 9 Maji-12 Junii 1899, n. 4023; Commentaria super hac throni cessione tradunt Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 727; et XVII, 1903, pag. 290.)

2. Episcopus non utens throno, sedet in faldistorio, seu sede absque dorso. Faldistorium collocatur a latere Epistolæ, parum distans ab infimo gradu anteriori Altaris, ita ut Episcopus in eo sedens habeat ad dexteram suam Altare, respiciens eamdem partem, quam ipsa anterior facies Altaris respicit; huic sedi, si Altare haberet plures gradus, supponi potest aliquod suggestum seu tabulatum, æqualis altitudinis a terra cum infimo gradu Altaris. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XII, nn. 10, 11.)

Nota. Hic notare placet quod ex lege Concilii Tridentini (Sessio VI, De Reformatione, Cap. V) nulli Episcopo liceat Pontificalia in aliena Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii expressa licentia; cum nonnulli dubitarent, « an inter Pontificalia, de quibus loquitur præfata Synodus, comprehendantur Missa et Vesperæ solemnes, quas Episcopus extraneus solet Romæ et alibi celebrare, sedens in faldistorio, et baculo pastorali non utens, sed cum ornamentis pontificalibus », S. Rituum Congregatio rescripsit, quod Episcopus extraneus vel Titularis non potest, « inconsulto Ordinario Diœcesano,..... Missam et Vesperas Pontificales celebrare supradicto modo, idest sedens in faldistorio, non utens baculo pastorali, sed cum ornamentis pontificalibus. » (Decret. 4 Decembris 1903, *Dubium*; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 75.)

3. Prælati seu Abbates, qui Pontificalium usu fruun-

tur, cathedram seu sedem fixam et permanentem non detinere possunt in eorum Ecclesiis, sed tribus per annum statutis diebus, quibus Pontificalia celebrare ipsis permittitur, uti possunt cathedra seu sede mobili, cum baldachino simplici, a latere Evangelii posita, ad quam per duos tantum gradus ascendatur. (S. Rituum Congregatio, Decret. 27 Septembris 1659, n. 1131, antiq. 2003, ad 2 et 3.)

4. Juxta Motu proprio SS. D. N. Pii Papæ X, de Protonotariis et Prælatis, 21 Februarii 1905, Protonotarii Apostolici de numero Participantium, qui septem numero sunt, et Protonotarii Apostolici Supranumerarii, Pontificalia agunt ad faldistorium certis sub conditionibus ; Protonotarii Apostolici ad instar vero, quibus quidem conceditur sub certis conditionibus Pontificalium usus, Rem divinam solemniter celebraturi, numquam in faldistorio, eove minus in throno sedeant, sed, una cum Ministris, in scamno sicut simplices Sacerdotes. (Motu proprio, nn. 6, 17, 47 ; cfr. etiam Decret. S. Rituum Congregationis, 29 Augusti 1872, n. 3262, antiq. 5500, ad 15.) Quicumque alii Prælati, etiam Protonotarii Apostolici Titulares, etiam in scamno una cum Ministris sedent sicut simplices Sacerdotes. (Cfr. Decret. 27 Aprilis 1818, n. 2583, antiq. 4545, ad 6 ; et Motu proprio, n. 70.)

5. Sacerdos celebrans ejusque Ministri sedere possunt in aliquo scamno oblongo, cooperto aliquo tapete, aut panno, et a latere Epistolæ posito. (Cfr. Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XII, n. 22.) S. Rituum Congregatio statuit, per Decretum, a Summo Pontifice approbatum, non tolerandum, sed potius reprobandum esse abusum, « qui nimium invaluit, adhibendi in Missis solemnibus, pro Celebrante, loco scamni cooperti tapete, sedem cameralem serico damasceno ornatam, et pro Ministris similia scabella. » (Decret. 17 Septembris 1822, n. 2621, ad 6, antiq. 4590, ad 7.) Sedes cameralis talis est quæ vulgo vocatur « fauteuil, zetel ».

II. Scamnum unicum oblongum itaque præscribit Cæremoniale, pro sessione Sacerdotis celebrantis et simul ejus Ministrorum. Excluduntur sedes diversæ pro unoquoque eorum, seu scabella diversa.

De scamni forma nihil, de ejus ornatu pauca dicit Cæremoniale ; auctores communiter dicunt scamnum esse debere ligneum, æquale, sine fulcris, sine prominentiis, aut discrepantia ulla pro Celebrante; admittunt tamen (nisi celebretur coram Episcopo) parvum ligneum postergale, quod altitudinem humerorum in eo sedentis non attingat.

Quoad ornatum, scamnum cooperiri potest tapete, vel panno, sive coloris paramentorum Altaris, sive potius viridis coloris ; imo S. Rituum Congregatio respondit tolerari posse consuetudinem alicujus Ecclesiæ, cooperiendi scamnum ejusque postergale serico damasceno rubro. (Decret. 27 Martii 1824, n. 2631, antiq. 4603, ad 3 ; cfr. etiam Adnotationes super hoc Decreto, in Vol. IV Collectionis Decretorum, pag. 240, ad 3.)

Q. 71. *Quis est speciosior Altaris ornatus ?*

R. Speciosior præ omnibus Altaris ornatus, et omnis decoris initium est munditia. Etiamsi forsan e pauperioribus sit aliqua Ecclesia, paupertas non impedit quominus nitida sit et munda : pauperior ornatus munditia nitescit et fulget, squalore pretiosissimus sordet et vilescit.

Diligentem liceat invocare omnium attentionem super decentia et munditia partis posticæ Altaris, ubi a pariete parum distat ; ibi reperire est, ad commoditatem plerumque custodis seu sacristæ, quasi appendicem sacristiæ, et invenire emunctoria, candelas, candelarum reliquias, candelabra, tabellas, oleum lampadum, vas aquæ benedictæ, antipendia, etc. ; nonnumquam locum opplet crassus pulvis !

Attamen mensa Domini ibi prostat, eheu ! despecta ; ibi habitat in Tabernaculo suo Christus Dominus,quem circumdant Angeli faciem suam velantes !

Quare, curam diligentissimam habere de totius Altaris nitore, huic nitori et decentiæ strenue invigilare, sit pium ac honorificum Sacerdotis Ecclesiæ Rectoris studium et officium, ut, si fidelis fuerit Sanctuarii Domini custos, glorificari inde mereatur.

SECTIO III

De Vasis sacris

72. Vasa sacra quæ ad celebrationem Missæ requiruntur, sunt Calix et Patena. — Calicis paramenta autem sunt Corporale, Palla, purificatorium, velum et bursa. — Insuper præscribuntur ampullæ cum pelvicula, et manutergio ; et pro quibusdam Missis, alia quædam vasa, ut thuribulum, etc. — Triplex inde erit hujus Sectionis Articulus.

ARTICULUS I

De Calice et Patena

Q. 73. *Quisnam est usus, et quæ significatio Calicis et Patenæ ?*

R. I. Calix inservit ad consecrandum pretiosissimum Sanguinem Domini ; Patena autem ad deponendum Sanctissimum Corpus Domini. — In ritu Consecrationis Patenæ orat Episcopus, ut Dominus eam **sanctificet in administrationem Eucharistiæ Jesu Christi,** ad quod hodiedum adhuc aliquando inservit ; et insuper, **ad confringendum** in ea Corpus D. N. J. C., quod olim fiebat ; sed a multis jam sæculis Sacra Hostia frangitur, non **super Patenam,** sed **super Calicem.**

II. Significant Calix et Patena Sepulchrum Domini Nostri J. C., ut dicitur in eorum Consecratione ; orat enim Episcopus, ut sanctificentur, et Corporis ac Sanguinis D. N. J. C. **novum Sepulchrum** sancti Spiritus gratia efficiantur.

Q. 74. *Ex qua materia confici debent Calix et Patena ?*

R. Calix debet esse aureus, — vel argenteus cum cuppa intus inaurata, — vel saltem debet habere cuppam argenteam intus inauratam, in quo casu pes Calicis potest confici ex quacumque materia metallica, modo sit solida, munda et decens. — Permittitur etiam

stanneus (Missale Romanum, *De defectibus*, Tit. X, n. 1), cum cuppa intus inaurata, sed tantum in casu paupertatis aut persecutionis ; hodiedum tamen nullæ Ecclesiæ, etiam pauperrimæ, amplius stanneo Calice utuntur ; et quidem S. Rituum Congregatio non permisit alicui Episcopo « consecrare Calicem ex stanno, vel ære vel aurichalco cum cuppa tamen ejusdem materiæ aurata. » (Decret. 16 Septembris 1865, n. 3136, antiq. 5350, ad 4.) — Numquam permittitur Calix æreus, ob æruginem, nec vitreus, ob fragilitatem, neque ligneus, ob porositatem.

Patena erit itidem, sicut cuppa Calicis, aurea, vel argentea, vel etiam, ob paupertatem aut persecutionem, stannea ; si non est aurea, debet tamen, ex quacumque sit materia, esse, sicut cuppa Calicis, intus, id est, in superiori seu concava parte « itidem inaurata. » (Ritus celebrandi Missam, Tit. I, n. 1.)

Hæc inauratio, tum cuppæ Calicis, tum Patenæ, præscribitur profecto ob reverentiam debitam erga SS. Corpus et Sanguinem Domini.

Nota. Materia Calicis antiquitus non eadem semper, sed pro Ecclesiarum circumstantiis et facultatibus varia fuit. In Ecclesiæ primordiis constat in usu fuisse, præter aureos et argenteos, Calices vitreos, et frequenter quidem ; insuper ligneos, et ex aliis materiis. Progressu temporis, materiæ ab auro argentove diversæ fuerunt rejectæ. Calices ligneos prohibuit anno 895 Synodus Triburiensis, in cujus actis refertur sequens S. Bonifacii, sæculo octavo Germaniæ Apostoli, sententia : « Quondam sacerdotes aurei ligneis Calicibus utebantur, nunc e contra lignei sacerdotes aureis utuntur Calicibus. » Vitrei diutius in usu remanserunt. Attamen inde a sæculo saltem decimo, aurei argenteique Calices communiores esse cœperunt, et mox a jure præscripti fuerunt, et adhuc sunt.

Exceptiones a regula metalli aurei aut argentei citantur :

1° Stannum ; quod ipsa Missalis Rubrica, ut dictum supra fuit, admittit ; sed tantum, ut aiunt auctores, in casu paupertatis aut persecutionis ; non autem regulariter, uti decrevit S. Rituum Congregatio.

2° Æs album (cuivre blanc) ; ad preces Moderatorum Seminarii Parisiensis Missionum ad exteros, Summus Pontifex Pius IX benigne annuit, ut, vel ob paupertatem Missionariorum, vel ob deficientiam metallorum nobiliorum, tum in Sinis et regnis adjacentibus, tum in Indiis Orientalibus, Calices ex ære albo confecti in Missæ Sacrificio celebrando possint adhiberi. (Indultum 6 Junii 1847. Cfr. Collectanea Constitutionum etc. San-

ctæ Sedis, ad usum Societatis Missionum. Parisiis, 1880, nn. 428 et 429.) Pro locis Missionum in Indulto indicatis tantum, non autem pro aliis concessa fuit hæc facultas.

3° Alluminium ; hoc tamen sub variis conditionibus stricte servandis tantum indultum fuit.

Circa annum 1866 proposita fuit S. Rituum Congregationi ab Episcopo Molinensi quæstio, an pro Missæ Sacrificio adhiberi possint Calices confecti ex alluminio, sive puro sive aliis metallis commixto, et respondit S. Congregatio nihil esse innovandum. (Decret. 1 Septembris 1866, in Molinen.) Attamen Summus Pontifex Pius IX, 9 Decembris ejusdem anni, permisit adhiberi Calices et Patenas ex alluminio aliis metallis commixto, si cuppæ Calicum et Patenæ in tota superficie argento prius et deinde auro in partibus a Rubrica requisitis obducantur, sub forma et conditionibus, variisque cautelis, in adnexa instructione præscriptis. (Cfr. Mühlbauer, Decreta S. Rituum Congregationis, Supplementum, Tom. I, p. 381 ; et Ephemerides Liturgicæ, I, 1887, pag. 632 et sqq.) In Collectione authentica Decretorum, neque Decretum, neque permissio, neque instructio referuntur ; itaque hoc Decretum neque legem, neque indultum pro universa Ecclesia constituere potest, et hujusmodi Calices ad Sacrificium adhibere apud nos certo non licet.

Ea jam sit hac in re exhortatio ad Rectores et Parochos pauperum Ecclesiarum, piosque ac generosos laicos, ut prudenter prospiciant in emendis Calicibus, cum hodiedum in quibusdam regionibus venumdentur Calices, quorum cuppæ ex puro argento non sunt, sed ex commixtione æris et argenti ; qui insuper mala arte argentati, pejorique sunt inaurati. Non paucos fallit aut operis tenue pretium, aut speciosa speculatoris descriptio. Qui consulere œconomiæ intendunt, comparent Calices ex toto argenteos cum cuppa optime inaurata, quorum diuturna conservatio satis, imo cum fœnore, primas compensabit expensas. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IV, 1890, pag. 151.) Quare adeant in omni occasione artifices notos, bonæ artis peritos, fiducia dignos ; et quoad pretium, semper pro posse primo loco Sacrificii et Sacramenti dignitati consulant.

Q. 75. *Quid de forma Calicis et Patenæ notari potest ?*

R. I. De forma Calicis nihil statuunt Rubricæ ; passim tamen tres in eo partes designant, pedem, nodum et cuppam.

Pes, sive rotundus sit, sive sex vel octo angulis aut circulis constet, eam habeat amplitudinem, ut Calix firmiter positus sit, nec facile concidat. — Inter pedem et cuppam requiritur nodus, in cujus ornatu præsertim commoditatis ratio habenda est, ut scilicet possit Calix commode capi, eo Missæ tempore quo indices et pollices disjungi non possunt ; ideoque nihil, vel mini-

mum tantum eminens habeatur in ipsius nodi ornatu quamvis decore composito. — Cuppa aliquantulum in concavo fundo sit angusta, sensimque usque ad summum labrum latior fiat. Labrum cuppæ pateat per orbem (in circumferentia) a 27 ad 30 centimetra. (S. Carolus, *Instructionum fabricæ ecclesiasticæ*, Liber II, Pars II, *De Calice*.) Inepta censenda est cuppa adeo arcta et profunda, ut digiti fundum attingere nequeant ; non facile enim talis cuppa posset a Celebrante purificari aut ab Episcopo consecrari. Minus laudanda tamen est cuppa ita immodice ampla ut Calix potius pyxidis formam præseferat.

Altitudo Calicis sit nec major quam 28 centimetrorum, nec minor quam 16 centimetrorum. (Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 601.)

In pedis superficie et cuppæ convexo potest ornatus emblematum, præsertim Passionis Dominicæ, et sacrarum imaginum apponi ; qui tamen ornatus in cuppa ab ipsius labro duobus saltem digitis distare debet, ne in sumptione S. Sanguinis labium inferius ornatum attingat. Sæpius in pede repræsentatur imago Crucis vel Crucifixi, non tamen præscribitur ; commendare hunc ornatum tamen placet, quia potest signum esse partis quasi anterioris Calicis, a qua sumuntur S. Sanguis, purificatio et ablutio.

II. Patenæ forma est rotunda, et plana, nisi quod in medio concavitatem quamdam levem habebit, quæ amplitudinem labri Calicis adæquet, et in qua Hostia secure possit deponi.

Nullus in ea apponatur ornatus, nullaque cælatura, neque in parte superiori, ut omnis difficultas vitetur in extersione fragmentorum S. Hostiæ ; neque de subtus; cum ibi omnis ornatus prorsus ineptus sit.

(Cfr. Miller, *Ornatus ecclesiasticus*, Cap. 59 et 60. — Gavantus, *Thesaurus sacrorum Rituum*, Tom. II, Pars V, *De mensuris*.)

Q. 76. *Quid de Calicis et Patenæ custodia et nitore præscribunt Statuta diœcesana ?*

R. I. « In sacristia res quæque locum suum habeat ; Vasa sacra et argentea supellex sic recondantur, ut

præcaveantur furta sacrilega. » (Stat. diœc. n. 375.) Adsit ideo in sacristia armariolum ligneum, clave obseratum, convenienter intus panno instructum, in quo nihil aliud quam Vasa sacra collocetur. (Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 653.)

II. « Calices, Patenæ et Vasa sacra quæ continendæ SS. Eucharistiæ inserviunt, quotannis semel ad minus mundentur intrinsecus et extrinsecus, et suo splendori restituantur. Calices, si interius aurum amiserint, denuo inaurentur et consecrentur. » (Stat. diœc. n. 372.)

Q. 77. *Quis ritus præcedere debet usum Calicis et Patenæ ?*

R. Calix et Patena, antequam adhibeantur ad usum pro SS. Missæ Sacrificio, debent consecrari ab Episcopo (Ritus, Tit. I, n. 1), per preces proprias, et Unctiones cum Sacro Chrismate. — Non consecrantur eo quod Sacerdos cum illis nondum consecratis celebraverit ; per celebrationem enim suppleri non valet ritus Consecrationis specialis ab Ecclesia ordinatus.

Nota. I. Stricte loquendo Episcopus Ordinarius jus habet in sua Diœcesi Calices et Patenas pro Ecclesiis sibi subjectis consecrandi. Episcopus Titularis jus illud non habet, et Calices et Patenas licite consecrare potest tantum si Ordinarius loci id permittat. (Benedictus XIV, *Institutio ecclesiastica XXI*, n. 15.) Attamen quod Episcopus Ordinarius in sua Diœcesi Calices et Patenas etiam pro Ecclesiis sibi non subjectis licite consecrare potest, patet ex hodierna communi praxi, quæ tacitum ac mutuum Episcoporum consensum supponit. (Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 602.)

Nota. II. Abbates usu Pontificalium gaudentes, si ex privilegio a Summo Pontifice concesso valent Calices et Patenas consecrare, id tamen non possunt extra loca ipsis subjecta, nec pro servitio alienæ Ecclesiæ, sed pro usu dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum. (Decreta S. Rituum Congregationis, 27 Septembris 1659, n. 1131, antiq. 2003, ad 19 ; et 16 Maji 1744, n. 2377, antiq. 4159, ad 1 et 2.)

Idem dicendum est de simplicibus Sacerdotibus in longinquis Missionibus degentibus, qui aliquando a a Sancta Sede facultatem obtinent consecrandi sub

certis conditionibus Calices et Patenas in et pro suis Missionibus.

Nota. III. Episcopus, si vi facultatis a Sancta Sede concessæ, potest delegare simplices Sacerdotes pro Benedictione sacrorum Vasorum quæ inserviunt SS. Eucharistiæ servandæ, ex. gr., pyxidis, ostensorii, etc., in quorum Benedictione non intervenit sacra Unctio ; non potest tamen tales delegare pro Consecratione Calicis aut Patenæ, quæ inserviunt SS. Eucharistiæ conficiendæ, et in quorum Consecratione fiunt sacræ Unctiones, ut supra dictum fuit.

Q. 78. *Quomodo Calix et Patena amittunt Consecrationem?*

R. I. Calix Consecrationem amittit, seu ineptus fit ad Sacrificium celebrandum :

1° Si in ejus fundo est foramen, quantumvis exiguum.

2° Si notabiliter frangitur, ita ut non nisi indecenter inservire possit.

3° Si formam essentialem, sub qua est consecratus, perdit ; ut si cuppa non amovibilis, seu cum pede conjunctim quasi conflata, separatur a pede per fractionem, et partes non nisi novo artificio jungi possunt.

Sed nota quod si Calix eo modo esset confectus, ut opere tornatili pes mediæ parti, mediaque pars cuppæ conjungantur, qualem plerumque habent Missionarii, cum tunc sub tali forma sit consecratus, nullaque habeatur in partium separatione fractio, nullumque pro nova conjunctione operarii requiratur artificium, nullo modo per partium separationem hujusmodi Calix Consecrationem amittit.

Quid vero, cum cuppæ firmiter conglutinata est interior virga metallica, qua scapus Calicis et pes tornatili opere constringuntur, junctique cuppæ tenentur ; si virga hæc per fractionem a cuppa divellitur ? In hoc casu, quia revera habetur pedis a cuppa per fractionem separatio, et sine novo artificio partes jungi non possunt, etiamsi dici posset nullam in aliqua essentiali ipsius Calicis parte haberi fractionem, tutius videtur Calicem de novo consecrare.

4° Si de novo inauratur ; quia tunc superficies Cali-

cis, quæ immediate tangit SS. Sacramentum, non est consecrata. De quo sequens datur S. Rituum Congregationis Decretum (14 Junii 1845, n. 2889, antiq. 5011) : Ad dubium : « Num Calix et Patena suam amittant Consecrationem per novam deaurationem, et sic indigeant nova Consecratione ? » S. Congregatio rescripsit : « Affirmative ; amittere nimirum, et indigere nova Consecratione, juxta exposita. »

Quod si per usum inauratio interioris cuppæ deperdatur, Calix probabilius non quidem amittit suam Consecrationem, quia non aurea superficies tantum, sed totus Calix consecratur ; sed tamen ineptus dicendus est ad Sacrificium, quia non amplius satisfacit conditioni inaurationis, speciatim a Rubrica præscriptæ ; et ideo de novo inaurari, et consequenter de novo consecrari debet.

II. Patena Consecrationem amittit :

1° Si frangitur ita ut convenienti usui servire nequeat.

2° Si ejus forma notabiliter immutatur.

3° Si ejus superficies de novo inauratur.

Pro casu quo deperdatur inauratio superioris partis Patenæ, idem dicendum est quod supra pro Calice animadversum fuit.

Nota. Quoties Calix et Patena pro refectione, vel alia de causa artificis opera indigent, non debent, antequam ei tradantur, per Sacerdotem vel manu, vel mediante instrumento exsecrari : S. Rituum Congregatio declaravit id non rite et ex errore fieri. (Decret. 20-23 Aprilis 1822, n. 2620, antiq. 4588 ; cfr. Adnotatio super hoc Decreto, in Vol. IV Collectionis Decretorum, pag. 223.)

Q. 79. *Quibus licet tangere Calicem et Patenam ?*

R. Calicem et Patenam tangere, — dum actu continent SS. Sacramentum, licet solis Sacerdotibus et Diaconis ; — dum non continent SS. Sacramentum, licet etiam Subdiaconis.

Paulatim in quibusdam locis (non apud nos) inducta fuit consuetudo, ut Clerici, sive tonsurati tantum, sive in minoribus ordinibus constituti, Calicem et Patenam tangere possint dum non continent SS. Sacramentum ; cui consuetudini favet hodierna disciplina. Etenim

S. Rituum Congregatio permisit ut in Missa cantata absque Ministris sacris assistat aliquis Minister Clericus quicumque, etiam vix tonsuratus (Decret. 25 Septembris 1875, n. 3377, antiq. 5637, ad 1) ; postea quidem rescripsit hujusmodi Ministrum debere in Sacris esse constitutum, seu esse Subdiaconum, « si debeat etiam Calicem abstergere » (Decret. 6 Decembris 1901, *Plocen.* ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 700) ; et simplicem Clericum posse, data necessitate, munere Assistentis fungi, « dummodo non abstergat Calicem » (Decret. 18 Aprilis 1902, *Ordinis Minorum Capuccinorum*, ad 1 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 132, et Commentarium ibidem adjunctum) ; ex his tamen consectarium inferri valet, quod liceat, a fortiori, simplicibus quoque Clericis Vasa sacra tangere, etiam extra ministerium, scilicet ut ea ad abacum deferant, aut in sacrario disponant.

Laici numquam tangere possunt Calicem et Patenam postquam fuere consecrata. — Quoad casum reparationis, dicendum est reparationis necessitatem esse causam rationabilem, ut ab artificibus laicis tangi possint Vasa sacra, quæ cæterum in plerisque casibus reparationis exsecrata sunt. — Quod si, ex. gr., Calix consecrationem non amisit, et non ex necessitate sed ex majori decentia velit expoliri, in tali casu ab Episcopo Ordinario petenda erit licentia Calicem ad Sacrificium adhuc aptum artifici tradendi. (Cfr. Adnotatio super Decreto 20-23 Aprilis 1822, n. 2620, antiq. 4588, in Vol. IV Collectionis Decretorum, pag. 224.)

Vasa sacra vacua tangendi licentiam concedere eis quibus defectu qualitatis non licet, ad Episcopum Ordinarium spectat.

Nota. I. Admodum severa erat antiquitus disciplina, qua prohibebatur Vasa sacra tangere laicis utriusque sexus, haud exclusis Virginibus sacris, necnon Clericis ac omnibus ministris inferioribus ; imo ipsis Subdiaconis extra Sacrificium id a sæculo sexto tantum permissum fuit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 653 et sqq.)

Nota. II. Animadvertendum est, quod male et irreverenter fiat, si in Sacrificio Missæ, ante Offertorium, Patena Sacrificii, in qua mox deponetur Sanctissimum Domini Corpus, præbetur osculanda fidelibus : si enim manu tangere eis non licet, qua

ratione id ore liceret non intelligitur. Ideo in casu præbeatur ad osculum vel instrumentum pacis, vel, si necesse credatur formam Patenæ retinere, aliqua Patena non consecrata, non ad usum Sacrificii adhibenda, in cujus parte convexa poterit congrue pia imago cælatura proponi, ut et ita distinguatur a Patenis Sacrificii, et non erronee ad Sacrificium adhibeatur. — Melius tamen erit omnino a Patenæ forma abstinere, juxta Decretum S. Rituum Congregationis, in quo agitur de Pace danda in Missæ Sacrificio, et cujus tenor sequenti modo refertur in Indice : « Cum Patena, sive consecrata sive non consecrata, non est danda Pax. » (Decret. 18 Julii 1626, n. 416, antiq. 648.) — De instrumento Pacis agitur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani, Q. 188.

ARTICULUS II

De Paramentis Calicis

Q. 80. *Quænam sunt Paramenta Calicis ?*

R. Ad sacra Mysteria peragenda, requiruntur sequentia Calicis Paramenta : Corporale, Palla, Purificatorium, Velum et Bursa. (Ritus servandus in celebratione Missæ, Tit. I, n. 1.)

Q. 81. *Quisnam est usus Corporalis et Pallæ ? Quæ eorum significatio ?*

R. Super Corporale reponuntur Corpus Domini, et Vasa sacra quæ continent SS. Sacramentum ; Palla inservit ad tegendum os, seu cuppam Calicis. — Inserviunt igitur « ad tegendum involvendumque Corpus et Sanguinem Domini Nostri Jesu Christi », et significant linteamina, quibus Corpus Christi in sepulchro involutum fuit : orat enim Episcopus in Benedictione Corporalis « ut Corporis ac Sanguinis Redemptoris nostri novum sudarium Spiritus sancti gratia efficiatur. » (Cfr. Pontificale Romanum, et Rituale Romanum, in Benedictione Corporalis.)

Nota. Corporale computabatur antiquitus tamquam mappa Altaris ; erat ipsum quasi quarta mappa, seu palla Altaris, et omnium superior, super quam Corpus Domini immediate reponebatur, et ideo vocata « Palla Dominica, Palla Corporalis » ; eam distinguit Episcopus, in Ordinatione Subdiaconi, ab aliis pallis, seu

mappis tribus quæ sunt « in substratorio Altaris », scilicet, quæ stratæ esse debent subtus Pallam Corporalem; unde dignoscitur hujus Corporalis Pallæ dignitas, et præ cæteris tribus præstantia. A sæculo XI Corporalis Palla, seu mappa Altaris strictior seu minus extensa esse cœpit : et hodiedum computatur paramentum Calicis potius quam Altaris, ac vocatur simpliciter Corporale. (Cfr. Q. 48, Nota.) Ex dictis patet etiam, quare Corporali tribuitur eadem mystica significatio quam mappis Altaris. (Cfr. Q. 47, II.)

Palla primitus non erat distincta a Corporali ; et unum idemque linteamen, quod Palla Corporalis vocabatur, quodque longius erat et latius, extendebatur sub Hostiis et Vasis sacris, et ex parte posteriori replicatum imponebatur super Calicem, eumque contegebat, seu palliabat. Serius autem, inde a sæculo XI, ex quo Palla Corporalis minor fieri cœpit, ad tegendum, seu palliandum Calicem speciale linteamen, seu « parva Palla », uti designatur in Rubricis Missalis (Ritus, Tit. I, n. 1), formæ quadratæ, in usum venit.

Hæc parva Palla more Romano ejus magnitudinis tantum est, ut quadrans cooperire Calicis os rotundum totaliter valeat, non vero Patenam, cujus limites ad summum attingunt anguli quadratæ Pallæ ; alibi major est, ita ut quadrans etiam Patenam totam cooperiat.

Q. 82. *Quisnam est usus Purificatorii, Veli, et Bursæ ?*

R. I. **Purificatorium** est linteum, ordinarie in longitudine bis duplicatum, quod, cum præparatur Calix ante Missam, super ejus os ponitur, et iterum, facta Communione, super Calicem extenditur post hujus extersionem. In Missa purificatorium inservit ad extergendum : 1° Calicem, ad Offertorium, antequam vinum infundatur ; 2° Patenam, post Orationem Dominicam, priusquam S. Hostia in ipsa deponatur ; 3° digitos Celebrantis vino et aqua ablutos, post Calicis purificationem ; 4° os Celebrantis, et ipsum Calicem, post sumptam ablutionem.

II. **Velum** antiquitus vocatum Palla major, inservit ad tegendum Calicem et Patenam, ante Offertorium et post Communionem, ob reverentiam Vasis sacris debitam.

More Romano velum tegit Calicem æqualiter ab omni parte, etiam posteriori, usque ad pedem. Alibi veli forma minor generatim est, et velum tegit Calicem anterius solum usque ad pedem, pro parte tantum ab utroque latere, detecta quasi manente parte Calicis posteriori. Hoc sufficit ; respondit enim S. Rituum Congregatio ad aliquod dubium super Calicis velo : « Tam in principio Missæ, quam post Communionem Calicem velatum esse debere totum in parte anteriori. » (Decret. 12 Januarii 1669, n. 1379, antiq. 2464.)

III. **Bursa**, quæ etiam **Pera, Theca Corporalis** dicitur, inservit ad cautius et decentius servandum et deferendum Corporale plicatum, ob reverentiam sanctissimo huic linteo debitam.

Bursa est formæ quadratæ, in tribus partibus juncta et clausa, aperta manente quarta parte per quam Corporale imponitur. — Romanæ bursæ longe et late patent circiter 25 centimetris ; apud nos generatim non ejus sunt extensionis ; inde vero nonnumquam videre est bursas ab una parte clausas et a tribus partibus apertas, cum apposita fasciola ab una et altera parte, et Corporalia ægre continentes ; de congruenti bursa istæ nihil retinent præter nomen, et nemini profecto placeret res suas caute et decenter servandas parili custodiæ tradere. Ante sæculum XIX nostræ bursæ Romanis erant similes ; e Gallia reliquæ introductæ fuerunt.

Q. 83. *Ex quanam materia debent confici Paramenta Calicis ?*

R. Corporale et Palla debent esse ex lino (Ritus, Tit. I, n. 1), vel ex cannabe ; et quidem purissimo ac nitidissimo, uti convenit sanctissimis hisce linteis. Idem dicendum est de purificatorio. Neque licet alterius generis materiam, sit pretiosior hæc aut vilior, admiscere ; reprobavit enim S. Rituum Congregatio telam compositam ex lino et gossipio subtilissimo (Decret. 15 Martii 1664, n. 1287, antiq. 2267) ; item telam ex urticis confectam (Decret. 17 Decembris 1875, n. 3387, antiq. 5649) ; aliamque etiam subtilissimam et lino longe pretiosiorem, vulgo « Nipis » (in Hispania) dictam. (Decret. 13 Augusti 1895, n. 3868.)

Constans fuit hæc Ecclesiæ disciplina, et altefius materiæ usus, nempe gossipii (coton), declaratus fuit corruptela radicitus evellenda ; adeo ut S. Rituum Congregatio, indulgens pro reliqua supellectili usum usque ad consumptionem, jusserit quod Corporalia, Pallæ et purificatoria ex aliis materiis confecta, post lapsum unius mensis a Decreti publicatione, interdicta et vetita forent, et non possent adhiberi usque dum consumentur. (Decret. generale 15-18 Maji 1819, n. 2600, antiq. 4563 ; cfr. etiam Adnotatio super hoc Decreto, in Vol. IV Collectionis, pag. 192.) Idem declaravit per Decretum 23 Julii 1878 (n. 3455, antiq. 5737, ad 1 et 2), ad petitionem cujusdam Episcopi qui invocabat circumstantias hodiernas.

Velum Calicis debet esse sericum. (Ritus, Tit. I, n. 1.)

Bursa erit ejusdem materiæ, cujus sunt Planeta et reliqua hujusmodi paramenta Celebrantis et Ministrorum, de quibus dicetur in sequenti Sectione. (Cfr. Q. 102.)

Q. 84. *Cujus coloris debent esse Paramenta Calicis, et quid de ornatu præscribitur ?*

R. **Velum et Bursa** debent esse ejusdem coloris quam Planeta Celebrantis.

Ornatus in eis nullus a Rubricis Missalis præscribitur ; attamen sæpius bursa adornatur Cruce, quæ apponitur in medio.

In velo Calicis more Romano nullus ornatus apponitur ; apud nos, more qui e Gallia introductus fuit, generatim apponitur ornatus Crucis in anteriori parte qua Calix usque ad pedem tegitur ; nullius significationis est hujusmodi ornatus.

Corporale « nec serico, vel auro in medio intextum » esse potest, « sed totum album » esse debet. (Ritus, Tit. I, n. 1.) Idem dicendum de **purificatorio**.

Corporale sit formæ quadratæ ; quidam auctores quoad ejus extensionem notant ut longe pateat ac late 60 centimetris, sed sufficiens videtur extensio 50 centimetrorum.

Corporale in bursa servatur plicatum ; plicatur autem sequenti modo : dividitur nempe per plicaturas in tres æquales partes, tum in latitudine tum in longitu-

dine : 1° pars anterior complicatur super mediam ; 2° super has plicatur pars posterior ; — triplicatum cum ita erit per latitudinem, 3° complicatur pars quæ ad manum dextram est super mediam ; et 4° super has plicatur pars quæ ad sinistram manum est. Corporale plicatum ita bursæ inseritur, ut fimbria partis ultimo plicatæ sit juxta aperturam bursæ.

Nota. I. Si Corporale totum album requirit ipsa Rubrica, non patet qua ratione admittere liceat ornatum filo coloris cærulei, vel rubei, vel cujuscumque intertextum, in lateribus aut in medio ipsius Corporalis. (Ephemerides Liturgicæ, IV, 1890, pag. 47.) Corporalia hoc modo ornata, sicut et purificatoria, hodie conficiuntur tamen et venumdantur in Germania, in Anglia, et etiam in nostro Belgio. Non admittantur.

Notat Gavantus quod Crux acu pingi potest in anteriori parte Corporalis. (*Thesaurus sacrorum Rituum,* Tom. II, Pars V, *De mensuris.*) Placebit tamen magis etiam hanc Crucem omittere, in ea nempe Corporalis parte ubi fragmenta S. Hostiæ possent esse colligenda ; ad nihil enim inservit ista Crux.

Prohibitum vero non est, in Corporalis et purificatorii extremitatibus circumcirca apponere ornatum ex opere textili denticulato. Ubique hujusmodi ornatus in usu est, etiam Romæ, ubi quidem in solemnioribus Missis textile aureum admittitur. (Ephemerides Liturgicæ, III, 1889, pag. 740.) Non enim in ipso Corporali intextus hic ornatus est, sed solum est appendix, extra limites ejusdem extremitati adjuncta ; dum econtra ornatus qui supra signatur ipsi Corporali est intextus, aut impositus.

Nota. II. Corporalia sint ex tela subtilissima, et texturæ diligentius expolitæ, ita ut nihil asperum telæ vitio in ipsis appareat, neque filorum fragmenta extrahi possint. Amylo postquam lota sunt roborentur, sed leviter, ut explicata ultro ad planum se extendant ; attamen usum communem, etiam non leviter imbuendi amylo Corporalia, posse retinere rescripsit S. Rituum Congregatio. (Decret. 13 Februarii 1892, n. 3767, Dubia additionalia, ad 9.) — Romæ, et per Italiam, Corporalia amylo inducto rigida potius sunt, sed diligenti opera levigata, ita ut quasi niteant a parte interiori, et securius minimum S. Hostiæ fragmentum pateat.

Palla linea, quæ primitus non distinguebatur a Corporali (Q. 81), eisdem legibus quam istud subjacet ; unde dicendum est eam totam debere esse lineam.

In Palla Romana, quæ sicut supra (Q. 81) dictum fuit, minoris formæ est, linteum quadratum, ut firmius extensum maneat super Calicem, duplicatur et amylo solidatur ; et quia hæc parva Palla ad usum Calicis est

quasi altera Corporalis Palla, ideo, sicut in ista, in illa nullus admittitur ornatus ; solum apponitur circumcirca tenue opus textile denticulatum.

In nostris Pallis, quæ majoris formæ sunt, cooperientes oram non solum Calicis sed et ipsius Patenæ, duplicatio lintei et amylum non sufficiunt ad ipsas solidandum. Unde duplicatæ Pallæ, ut ipsa firma satis sit, inserta fuit charta, vel etiam tenuis tabula lignea ; inde etiam mox visa fuit simplicior Pallæ superficies linea, si non aliquo decoraretur ornatu, acu picto coloribus diversis contexto, vel aureo, vel argenteo ; imo si non cooperiretur aliquo panno serico.

Multum disputatum fuit de liceitate hujusmodi ornatus in superiori Pallæ parte. S. Rituum Congregationi propositum fuit sequens dubium : « An in Sacrificio Missæ uti possit Palla a parte superiori drappo serico cooperta ? » S. Congregatio censuit respondendum : « Negative. » (Decret. 22 Januarii 1701, n. 2067, antiq. 3575.) Recentius proposito dubio : « An uti liceat Palla a superiori parte panno serico, aut ex auro vel argento, et acu depicto cooperta ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Permitti posse ; dummodo Palla linea subnexa Calicem cooperiat, ac pannus superior non sit nigri coloris, nec referat aliqua mortis signa. » (Decret. 17 Julii 1894, n. 3832, ad 4.) — Quomodo sint concilianda hæc duo Decreta non patet, nisi ex eo forsan quod S. Congregationi non bene visum fuerit quid sit textura e « drappo » serico, in priori Decreto proposita.

Igitur permitti potest ornatus in altero Decreto descriptus, et in nostris Pallis generatim admissus. Solum excluduntur pannus coloris nigri, et in ornatu signa mortis.

Permittitur pannus sericus, ac ornatus ex auro, vel argento, et acu depictus, in parte superiori Pallæ ; ast non ideo alias materias ad ornatum admittere licet, et permissas æstimare Pallas quarum superior pars constat ornatu, ex. gr., ex parvulis globulis vitreis coloratis, adinstar margaritarum ; talia dicenda sunt minus decentia.

Opportunum etiam erit speciatim hic notare, quod non admittendus est ornatus duorum Cordium, vel unius Cordis ; de quo ornatu jam dictum fuit Q. 48, ad III.

Valde convenit ornatus Crucis, vel emblematum Passionis Domini.

Q. 85. *Quis ornatus summopere convenit, et requiritur in Paramentis Calicis ?*

R. Pulcherrimus in Calicis paramentis ornatus est summa quæ in ipsis convenit et requiritur mundities, pro excelsa eorum dignitate.

Ubi consideratur Corporale esse sanctissimum linteum, specialiter benedictum, in quo mundissimum Corpus Domini, Sanctus Sanctorum deponitur, intelligitur Rubricam Missalis (De Defectibus, Tit. X, n. 1) inter graviores defectus signare « si Corporalia non sint munda » ; et merito notat S. Alphonsus de Liguori (*Liber de Cæremoniis Missæ*, Cap. I, § 5), « juxta sententiam Doctorum graviter eum peccare, qui celebrando utitur Corporali valde immundo. » Videant igitur et considerent Parochi et Rectores, quanta cura sit adhibenda rei tam augustæ. Ideo, statim ac frequenti usu Corporale non amplius est omnino candidum, aut aliqua in eo, etiam minima macula deprehenditur, seponatur illud et mundetur ; et frequenter, singulo quidem mense, quotquot in usu sunt in Ecclesia, Corporalia inspicere, sacerdotalis fides et zelus pro fastidio non habeat.

Purificatoria pro singulis Sacerdotibus in Ecclesia celebrantibus specialia habeantur ; et saltem singula hebdomada renoventur.

Pallæ quoque, cum ex frequentiori attactu mundæ non remaneant, sæpius inspiciantur, et ubi necesse fuerit mundentur. — Timendum forsan, ne, quæ magis ornatæ præsertim auro aut argento jam sunt, minus mundæ post diuturnum usum eo ipso reperiantur, et quo pretiosiores, eo viliores.

Q. 86. *Quænam ex his Paramentis Calicis benedici debent ?*

R. Corporale et Palla de præcepto benedici debent ab Episcopo, vel ab alio facultatem habente. In nostra Diœcesi facultas ea benedicendi conceditur Decanis, in territorio districtus sui. (Stat. diœc. n. 67.) — Abbates idem jure ordinario possunt, sed pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum.

Benedicuntur Corporalia et Pallæ speciali, sed pro utrisque eadem Benedictionis formula, quæ reperitur

in Pontificali Romano, et in Rituali Romano, necnon in Missali Romano.

Non benedicta censentur usu, id est, ex eo quod Sacerdos ipsis nondum specialiter benedictis usus fuerit in Missæ celebratione. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 31 Augusti 1867, n. 3162, antiq. 5386, ad 7.)

Præceptum Benedictionis intelligitur ante primum usum ; lota vero linteamina denuo benedici non indigent, etiamsi Pallæ partes consutæ disjunctæ fuerint ad extrahendam pro lotione chartam insertam.

Nota. 1° Ex eo quod Palla moraliter pars Corporalis censetur, specialis formula Benedictionis pro ea non datur, sed eadem formula qua Corporale benedici debet.

2° Docent aliqui auctores, quod Palla sit benedicenda, non separatim, sed simul semper cum Corporali. Rescripsit S. Rituum Congregatio, Pallam novam, aut Pallas novas absque Corporali posse benedici. (Decret. 4 Septembris 1880, n. 3524, antiq. 5818, ad 3.)

3° Quoad Benedictionis formulam, rescripsit etiam S. Rituum Congregatio, eodem Decreto, eam esse recitandam prout jacet, id est, in numero singulari, etiamsi Palla simul et Corporale, aut plures Pallæ, aut plura Corporalia simul benedici deberent.

Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Titulo VIII, ubi describitur Decretum supra citatum (Q. 338, III, 3), et notantur reliqua pro his Benedictionibus observanda.

Purificatorium non est benedicendum. (S. Rituum Congregatio, Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 12, antiq. 4526, ad 26.)

Velum et **Bursa** item benedici non debent ; convenit tamen ut simul cum aliis paramentis sacerdotalibus benedicantur. De his dicetur postea in Sectione IV hujus Libri I. (Cfr. Q. 148, Nota.)

Q. 87. *Quibus licet Paramenta Calicis tangere ?*

R. **Corporale, Pallam** et **purificatorium**, post usum in Missæ celebratione, licet tangere solis Sacerdotibus, Diaconis et Subdiaconis ; et priusquam lavanda aut reficienda tradantur, ab eis ablui debent aqua munda, quæ in sacrarium projicitur.

Ad dubium : « Utrum Moniales, seu piæ fœminæ vitam communem sub regula degentes, possint cum licentia Ordinarii abluere Corporalia, Pallas et purifi-

catoria ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Negative ». (Decret. 12 Septembris 1857, n. 3059, ad 26, antiq. 5251, ad 30.) — Ante usum vero, et post lotionem, a laicis tangi ulterius, lavari et refici possunt.

Velum et Bursam tangere omnibus licet.

Præclare in Ordinatione Subdiaconi admonet Episcopus ordinandos hac super lotione : « Pallæ, quæ sunt in substratorio Altaris, in alio vase debent lavari, et in alio corporales pallæ. Ubi autem corporales pallæ lotæ fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari, ipsaque lotionis aqua in baptisterium debet vergi. »

Quam antiqua sit hæc lotionis disciplina, notat ad hanc Pontificalis admonitionem Catalanus (*Pontificale Romanum commentariis illustratum,* 1738, Tom. I, Tit. X, § VIII), ubi dicit quod hæc eadem Subdiaconorum officia iisdem fere verbis legere est in antiquis Ritualibus Libris, et apud veteres Scriptores ecclesiasticos, inter quos S. Isidorus, Episcopus Hispalensis, qui anno 636 ad Deum excessit.

In eo autem restrictum fuit lotionis officium, quod hodiedum mappæ Altaris non amplius debeant a Subdiaconis ablui priusquam aliis lavandæ tradantur ; sed manet officium pro Corporalibus, Pallis et purificatoriis, modo supra ex longissima antiquitate præscripto.

Revera Sancta Mater Ecclesia nos docet sancta sancte tractare.

ARTICULUS III

De aliis vasis, et utensilibus adhibitis in celebratione Missæ

Q. 88. *Quis est usus Ampullarum ? Ex qua materia fiunt ?*

R. **Ampullæ**, dictæ etiam **Urceoli**, **Amulæ**, sunt vasa, numero duo, quæ in Missæ Sacrificio inserviunt « ad suggerendum vinum et aquam in Eucharistiam Sanguinis Christi. » (Pontificale Romanum, *De Ordinatione Acolythorum.*)

II. In Rubricis Missalis (Titulo XX) præscribuntur Ampullæ vitreæ, et merito : nam vitreæ, vel chrystallinæ facilius mundæ servantur, et, quod præcipuum est, in eis distinctius et certius, modo vitrum sit perlucidum et absque colore, vinum ab aqua discernitur.

Inter quæstiones Visitationis Apostolicæ Urbis ejusque Distri-

ctus a SS. D. N. Pio X, 11 Februarii 1904 indictæ, ponitur sequens (in Titulo pro Oratoriis privatis) : « An adsint Ampullæ ex chrystallo bene mundæ, cum respectiva Pelvicula ? » Et additur nota : « Non sunt amplius admissæ Ampullæ ex metallo. »

Alia Ampullarum materia, præter vitream aut chrystallinam, non indicatur in Libris Liturgicis ; attamen S. Rituum Congregatio (Decreto 28 Aprilis 1866, n. 3149, antiq. 5367), respondit « tolerandam esse consuetudinem » adhibendi Ampullas aureas vel argenteas. — In hoc casu diligenter, per litteras A, V, aut alia signa, eas distinguere oportet, ut præcaveatur omnis error, et defectus in celebratione Sacrificii.

Quoad formam, requiritur in Ampullis, ex quacumque materia sint, pes satis amplus ut firmiter stare valeant, et collum sufficienter apertum ut commodius mundari queant. Si ex auro, argento, aut stanno sint, præferenda erit talis earum forma, ut a fundo usque ad os æqua ac directa sit amplitudo, quo facilius a sordibus, et ærugine, quæ maxime ex vino oritur, mundari possint. Operculo sint semper Ampullæ munitæ, ne muscæ alliciantur vino. — Ampullæ vitreæ aut chrystallinæ, pro majoribus Festis, pulchre ornatæ sint, scilicet pede, ansula et operculo, et circa medium circulis, aliisve figuris, ex auro vel argento decore confectis.

Q. 89. *Quid notandum est de Pelvicula, et de Manutergio ?*

R. Præter Ampullas præscribitur etiam a Rubrica Missalis (Rubricæ generales, Tit. XX) Pelvicula, super quam Ampullæ deponuntur, et quæ inservit manuum celebrantis Sacerdotis lotioni ad Offertorium Missæ ; hæc etiam Bacile vocatur.

Materia ex qua Pelvicula fiat, non determinatur ; præfertur vitrea vel chrystallina ; potest tamen esse etiam metallica, aurea scilicet, vel argentea, vel stannea.

Pelviculæ forma sit rotunda oblonga ; in margine aliquantum elevata ; et si sit ex metallo, opere cælato ornetur ; sed fundo constet lato et plano non elaborato, quo firmius impositæ Ampullæ stent.

Prope Pelviculam et Ampullas ponitur Manutergium, seu parvum mantile ex tela alba, mundum, ad usum Celebrantis, cum in Missa ad Offertorium manus lavat.

Nota. Non tolerari nec continuari potest usus ponendi super credentiam, præter Ampullas vini et aquæ cum Pelvicula, pelvim et urceum cum aqua pro manuum

lotione in Missis cantatis vel privatis ; quod fiebat sub prætextu quia aqua in Ampulla vitrea frequenter non sufficit ad manus abluendas et Calicis purificationem faciendam, sumpto S. Sanguine, præsertim in Missis cum cantu. (Decret. S. Rituum Congregationis, 18 Julii 1902, *De Quæretaro*, ad 5 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 498.)

In præsenti disciplina pelvis et urceus pro manuum lotione reservantur Episcopis tantum ; adeo ut simplicibus Sacerdotibus sint vetita, non solum in privatis, sed etiam in solemnioribus Missis. Attamen in quibusdam Missis, et sub determinatis conditionibus stricte observandis, urceum et pelvim adhibere possunt Abbates usum Pontificalium habentes. (Decreta 27 Septembris 1659, n. 1131, antiq. 2003 ; et 27 Augusti 1822, n. 2624, antiq. 4593.) Etiam permittitur eorum usus, sub servandis conditionibus, quibusdam ex Protonotariis Apostolicis. (Motu proprio SS. D. N. Pii X, 21 Februarii 1905 ; cfr. Acta Sanctæ Sedis, XXXVII, 1905, pag. 491-512.)

Q. 90. *Ubinam pro Missæ Sacrificio deponendæ sunt Ampullæ, Pelvicula, et Manutergium ?*

R. I. Pro Missis solemnibus Ampullæ, Pelvicula et Manutergium deponuntur in aliqua mensa lignea, quæ etiam abacus, seu credentia vocatur, et præparatur prope parietem, a latere Epistolæ, in plano Presbyterii, prout loci dispositio patitur.

Cæremoniale Episcoporum distinguit inter credentiam pro Missa Pontificali ab Episcopo celebrata, quam vult longiorem, latiorem, et altiorem ; et credentiam pro Missa solemni ab aliis celebrata quæ « multo brevior et demissior erit adhibenda. » (Lib. I, Cap. XII, n. 22.)

Hæc sit unius metri, vel modicum ultra, in longitudine, 50 centimetrorum in latitudine, 90 centimetrorum in altitudine, ut commode super ipsam collocari possint quæcumque pro hac Missa præparanda sunt. Pars latior respicit Altare et parietem loci.

In solemnioribus festivitatibus contegitur hæc mensa lineo mantili super strato, usque ad terram circumcirca pendenti (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XII, n. 19) ; diebus minus solemnibus sufficit ut ab utraque mensæ parte mantile aliquantulum dependeat ; diebus simplicibus superficies mensæ sola mantili contegitur. (Ritus celebrandi Missam, Tit. II, n. 5.)

II. Pro Missis privatis Ampullæ, Pelvicula et Manutergium ponuntur prope Altare, a parte Epistolæ, « in fenestella, seu in parva mensa ad hæc præparata. » (Rubricæ generales Missalis, Tit. XX.) Fenestella vocatur loculus, in pariete Cappellæ juxta Altare in cornu Epistolæ paratus ; a sua forma, fenestræ medii ævi simili, etiamsi non aperta nec vitro munita sit, nomen fenestellæ accepit ; sæpe reperitur in Ecclesiis medii ævi. — Ubi loci structura fenestellam non admittit, apponitur eodem loco parva mensa, mappula munda strata.

Ex variis locis Rubricarum Missalis concludendum est hanc parvam mensam, pro Missis privatis præparandam, diversam esse a credentia pro Missis solemnibus usitatam. Sit ejus longitudinis et latitudinis, ut omnia necessaria commode possint super eam deponi.

Non convenit ut manutergium in cornu Epistolæ ad Altare deponatur, vel mappis affigatur, et ibi dependeat ; ejus locum enim aperte designat Missalis Rubrica, nempe in fenestella, aut in parva mensa, una cum Ampullis et Pelvicula. (Rubricæ generales, Tit. XX.)

Nota. 1° Aqua lotionis digitorum Celebrantis, in pelvicula recepta, projicitur in fundum fenestellæ, si in fundo habeatur foramen et canale per quod defluat in terram ; alias effunditur in aliquod vas, ad hoc in quibusdam Ecclesiis prope fenestellam aut parvam mensam positum ; quod vas ut non sit communis formæ lavatorii, convenit.

2° Vas aliquando in ipso Sacrificio usuvenit, in quo Celebrans, sumpto S. Sanguine, digitos abluit, ex. gr., in prima et secunda Missa in Festo Nativitatis Domini. Hujusmodi vas sumitur vitreum, aut chrystallinum, pulchrioris formæ et ornatus.

3° Munda ut hæc omnia sint, et nitida, diligenter curandum est ; quare numquam in Ampullis aqua vel vinum per noctem aut diei partem remaneat, sed illico post Missam Ampullæ evacuentur et abstergantur, præsertim si ex auro vel argento sint, ob æruginem e vino enascentem. Item Pelvicula diligenter abstergatur. — Præter id, quod quotidie fiat, etiam ea quæ ex auro vel argento sunt, singulis mensibus, quæ ex stanno sunt, singulis ad minus quindenis, purgentur, et ad pristinum nitorem restituantur. — Manutergium mundum requirit Rubrica ; ubi igitur plures Missæ dicuntur, plura Manutergia adhibeantur, et singulis saltem Dominicis, imo pluries, ne sordescant, munda substituantur.

Q. 91. *Quid dicendum est de usu parvi cochlearis, ad addendum parum aquæ vino, ad Offertorium in Missa ?*

R. Rubrica Missalis præscribit ut, posito in Calicem vino ad Offertorium, Celebrans in Missa privata, vel Subdiaconus in Missa solemni, infundat mox parum aquæ. (Ritus, Tit. VI, n. 4.) Ne nimia fiat aquæ appositio, olim parvo cochleari utebantur Sacerdotes, quo aquam in Calicem immittebant ; eaque consuetudo etiam nunc retinetur in pluribus Ecclesiis in Germania. (Ita notat Benedictus XIV, *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*, Lib. III, Cap. X, n. 15.) Hodie adhuc in in usu est parvum hoc cochlear, ex argento aurove confectum, etiam in nostro Belgio.

Rubrica de ejus usu nihil dicit ; sed S. Rituum Congregatio, interrogata utrum usus cochlearis in casu omnino prohibeatur, respondendum censuit : « Negative ; seu usum parvi cochlearis non esse prohibitum. » (Decret. 6 Februarii 1858, n. 3064, antiq. 5256, ad 4.)

Parvum cochleare, cum præparatur Calix pro Missa, communiter ponitur super purificatorium, subtus Patenam ; animadvertendum est non congruere ut deponatur in cuppa Calicis, etiam extra Missæ celebrationem, ne noceat inaurationi cuppæ.

Q. 92. *In quibus Missis usuvenit Thuribulum ? Describe ejusdem, simul et Naviculæ partes. Quid de Incenso notandum venit ?*

R. I. Thuribulum pro incensatione usuvenit in pluribus Officiis Liturgicis, sed præcipue in Missæ Sacrificio, ad diversas ejus partes ; attamen adhiberi potest tantum in Missis solemnibus, iis nempe quæ celebrantur cum assistentia Diaconi et Subdiaconi ; numquam autem in Missis privatis, nequidem in Missis cantatis. (Cfr. Q. 277.)

II. **Thuribulum**, etiam vocatum **Thymiamaterium**, **Incensorium**, **nomen** habet a thure, seu thymiamate, seu incenso, quod in ipso super prunas crematur. Ejus partes sunt :

1° Scutella, super pedem fixa, quæ continet vasculum ferreum aptatum, in quo carbunculi, seu prunæ accensæ ponuntur ;

2° Operculum, quod turris quamdam speciem repræsentat, ornatum et foraminibus plenum, per quæ fumus aromatum ascendat ;

3° Catenulæ quatuor, quarum longitudo unius ad summum metri sit ; quarum tres, in orbe scutellæ æquali distantia fixæ, suspensam tenent scutellam ; quarta autem in operculi summitate fixa est ;

4° Manubrium, in cujus orbe trium scutellæ catenarum summitates æquali distantia fixæ sunt ; ornatur in superiori parte annulo quo aliquando possit sustineri ; foramen in eo prope annulum est, quo transmitti commodo valeat quarta, nempe operculi catenula ; hæc ipsa amplo munitur in summitate annulo, quo retinetur, quin tamen manubrio sit affixa, ut facilius elevari et demitti possit operculum.

Navicula, hoc nomine vocata quia inde a sæculo XIII parvulæ navis formam accepit, dicta etiam Acerra, est vasculum decore confectum quo continetur incensum in Thuribulo ponendum ; capax satis ut thuris quantitatem capere possit sufficientem pro Missæ Sacrificii variis incensationibus.

Pede munitur, et cooperculo.

E Navicula sumitur incensum mediante cochleari artificiose cælato, cujus summitas ita sit confecta, ut commode valeat Diaconus eam osculari, et Celebrans eam manu tenere.

Materia e qua conficiantur Thuribulum et Navicula, est argentum, aut aurichalcum.

Mundities omnino requirit ut Thuribulum, quod igne et fumo mox nigrescit, in casu frequentis seu quotidiani usus sæpius, id est, singulo saltem mense detergatur.

III. Incensum est quædam resinosæ gummæ species, manans ex arbore quæ sive in Indiæ, sive in Abyssiniæ et Australis Nubiæ montibus germinat. Singularis ejus qualitas est suavis odor quem, dum igne crematur et consumitur, cœlitus adscendente fumo, redolet.

Proprie nuncupatur Thus, seu Thymiama, a græco θύειν — in fumum abire, et etiam sacrificare.

Thus liturgicum, ab Ecclesia Catholica in sacris functionibus adhibitum, aliud non est quam illud Indicum aut Africanum seu Arabicum, cui quidem admisceri poterunt alia aromata, sed in minori quantitate ; dicit enim Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XXIII, n. 3) : « Materies quæ adhibebitur, vel solum et purum Thus

esse debet suavis odoris, vel, si aliqua addantur, advertatur, ut quantitas Thuris longe superet. » Et alio loco (Lib. I, Cap. XII, n. 19) dicit itidem : « Thus, cum quo possint misceri aromata bene olentia, dum tamen Thuris quantitas superet. »

Qui venumdant incensum omnes et singuli adeo protestantur de veritate et puritate sui thuris, quod dubitare liceat num debitæ qualitatis materia sane haberi queat : ergo cavendum hac in re, sicut in multis aliis, ne simulata obtrudantur.

S. Rituum Congregatio omnino improbavit novam quamdam methodum comburendi incensum sine carbonibus ; adhibita nempe compositione, quæ, super quatuor partibus, una ex incenso, et aliis tribus ex resinosis materiis constat, et quæ in thuribulo posita, lumine admoto accensa, suavem effundit odorem, et substituitur combustioni thuris in igne. (Decret. 7 Augusti 187[illegible], n. 3363, antiq. 5620.) Caveant igitur Parochi et Rectores ab hujusmodi novitatibus.

Incensum adhibet pia Mater Ecclesia, tum ut majestas SS. Sacrificii Missæ, et aliarum Liturgicarum functionum commendetur ; tum ut exprimatur symbolice actus latriæ seu adorationis Dei, nostra nempe ad Deum oratio, Dei super nos descendens misericordia, et etiam noster charitate igneus in Deum amor. Pulchre de his dicit medii ævi distichon :

Mystica sunt vas, thus, ignis ; quia vase notatur
Mens pia, thure preces, igne supernus amor.

De usu incensi in solemni Missæ Sacrificio agitur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani, Q. 151 ; de ritu incensationis et modo incensandi dicitur in præsenti Tractatu, QQ. 283-286.

(Cfr. Gihr, *Le Saint Sacrifice de la Messe*, traduit par Moccand, Paris, 1895. Tome II, pag. 3.)

93. **De Campanula.** — Campanula pro celebratione Missæ præparari debet a parte Epistolæ Altaris. (Rubricæ generales, Tit. XX.) De ipsa notanda sunt sequentia :

1° Campanula vi nominis est parva campana ; insuper ipsam campanulam parvam esse notant Rubricæ (Ritus, Tit. VII, n. 8) ; vocatur etiam « tintinnabulum. » (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XXIX, n. 6.)

Conficitur ex ære, vel etiam ex argento. Habeat formam campanæ, et quemdam ornatum religiosum, ut distinguatur a

domesticis campanulis ; sit munita in summitate aliquo manubrio, artificiose et decenter ex ære, aut ferro, aut ligno confecto, quo commode possit teneri.

Placet magis campanula gestatoria, quæ præparatur in parva mensa pro Missa, vel quam minister apud se tenet infra Missam ad pulsandum. In quibusdam tamen Ecclesiis hæret affixa ad parietem a parte Epistolæ, apposito funiculo ad ipsam pulsandam : si hæc inserviat tantum ad dandum signum accessus Celebrantis ad Altare, transeat ; sed infra Missam, ex. gr., ad Elevationem, non commodus foret ejus usus, nisi appendatur longior funiculus, ut minister officium suum juxta Rubricam implere valeat.

2° In nostris Ecclesiis sæpius pro campanula usuvenit instrumentum, in quo plura, quatuor generatim, tintinnabula conjuncta habentur ; modo artificiose et decenter sit ex ære, vel argento confectum, et modo præsertim non habeatur dissonans *si* contra *fa,* quod est diabolus in musica, transeat ; placet tamen magis simplex campanula a Rubricis præscripta.

Sed a quibusdam annis introductum fuit in nonnullis Oratoriis, præsertim monialium, loco campanulæ, aliquod instrumentum, quod moderni fabricatores supellectilis ecclesiasticæ in suis catalogis designant nomine « gong » (véritable airain, forme cloche, avec mailloche) ; nomen et instrumentum ad nos ex Oriente per Galliam pervenerunt. — Archiepiscopus Mexicanus S Rituum Congregationi exposuit : « Loco tintinnabuli pro Sacrosancto Missæ Sacrificio nonnullæ Ecclesiæ novissime cœperunt adhibere quoddam cymbalum dictum Indorum Orientalium, quod est ad modum catini semipendentis ab hasta lignea, et percussum ab Acolytho sonum elicit. » Postulavit an tolerari possit usus supradescripti cymbali ? Et S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative ; seu non convenire. » (Decret. 10 Septembris 1898, n. 4000, ad 3.) Noster « gong » ab hoc descripto cymbalo non dispar videtur.

3° Quandonam, seu ad quas Missæ partes debeat pulsari campanula exponitur in Tractatu qui « Cæremoniale » inscribitur. (Cfr. ibi Q. 16.)

Juvat tamen sequens hic describere S. Rituum Congregationis Decretum de ejus usu pro Missa : Ad dubium : « Num Rubrica, qua præcipitur campanulam a ministro Missæ lectæ pulsari, spectet etiam ad Oratoria privata, in quibus plerumque solus adest Celebrans cum ministro ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Campanula in Missa pulsanda est etiam in privatis Oratoriis. » (Decret. 18 Julii 1885, n. 3638, ad 3, antiq. 5943, ad 5.)

Nota. Post Hymnum *Gloria in excelsis Deo,* in Missa Feriæ V in Cœna Domini, usque ad intonationem ejusdem Hymni in Sabbato Sancto, silent campanæ in turri, et campanulæ in Ecclesia. Memoriale Rituum notat quod, ad dandum signum Salutationis Angelicæ, seu « Angelus Domini », hoc tempore adhibetur crotalus, loco campanæ ; sed pro Liturgicis functionibus in Ecclesia nihil alicubi notatur pulsandum loco campanulæ.

In quibusdam Ecclesiis tamen usuvenit crotalus, seu instrumentum ligneum, sonum, seu rumorem potius inconcinnum edens. Pauci auctores probant, plures non approbant crotali usum ; consuetudo ubi existit teneri poterit, si ad ædificationem saltem juvet ; secus dictus crotalus non adhibeatur. (Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 113.)

94. **De Candelabris Acolythorum.** — 1° Candelabra quæ gestant Acolythi in variis sacris functionibus, et speciatim in Missa solemni, sint formæ minoris quam ea quæ in Altari collocantur. (Gavantus, *Thesaurus Sacrorum Rituum,* Tom. II, Pars V, De mensuris.) Supponit profecto Gavantus altitudinem spectabilem candelabrorum Altaris ; in nonnullis Altaribus gothica candelabra non attingunt altitudinem 30 centimetrorum : remanerent in casu deferenda ab Acolythis candelabra quæ dicenda sunt non congruere. Ideo candelabra Acolythorum habeant altitudinem ad minus 40 centimetrorum ; et in solemnioribus festivitatibus, in Processionibus, etc., 80 centimetrorum. Cæremoniale Episcoporum inter qualitates Acolythorum qui ea gestare debent, suggerit ut sint « et ipsi robusti. » (Lib. I, Cap. XI, n. 8.)

2° Candelabra hæc fiant ex metallo, scilicet ex argento, aut aurichalco ; quæ ex aurichalco sunt, et argento obducuntur, sæpius reficienda, et semper nitida servanda sunt in iis partibus quæ manibus tenentur. Cæterum, ex quacumque materia sint hæc candelabra, singulis mensibus suo splendori restituantur.

3° Cæremoniale Episcoporum designat in his candelabris duas partes, ad quas manus ponendæ sunt cum ipsa deferuntur, pedem nempe, qui rotundus erit, et amplus satis ut firmiter stare valeat candelabrum, et globum, qui medius erit pedem inter et patulam summitatem in qua candela ponitur. Dicit Cæremoniale : Acolythi candelabra « accipient quidem manu dextera, ita ut, qui a parte dextera incedit, ponat manum sinistram ad pedem candelabri, dexteram vero ad medium candelabri globum, et qui incedit a parte sinistra, ponat dexteram ad pedem, sinistram ad eumdem globum. » (Lib. I, Cap. XI, n. 8.)

4° Notandum præcipue est quod, si in quibusdam Officiis liturgicis, ex. gr., in Vesperis solemnibus, candelabra Acolythorum aliquando deponuntur super unum ex gradibus Altaris, in Missa solemni hæc candelabra ab Acolythis omnino collocari debent super credentiam, a parte Epistolæ, in utroque latere credentiæ, ita ut in eorum medio ibi collocata sint ea quæ pro hujusmodi Missa requiruntur. Dicit enim aperte Rubrica Missalis quod, ad accessum Celebrantis ad Altare pro Missa celebranda, Acolythi deferunt sua candelabra, « quæ deinde collocantur super credentia » (Ritus, Tit. II, n. 5) ; et inde non sumuntur nisi ad cantum Evangelii, si ad Evangelium deferenda sunt luminaria, et in fine Missæ pro regressu ad sacristiam. Numquam ergo hæc candelabra in Missa solemni deponantur, sive super gradus Altaris, sive super quasdam bases ante gradus Altaris ab utroque latere positas : eorum locus est super credentiam.

Nota. I. Acolythi nequeunt ad Evangelium in Missa, et ad Orationem in Vesperis, loco candelabrorum sustinere intortícia, seu funalia. (Decret. S. Rituum Congregationis, 22 Junii 1874, n. 3333, antiq. 5586, ad 1.)

Nota. II. Intorticia, seu funalia, quæ usuveniunt in Missis (cfr. Q. 64), in Processionibus, aliisque quibusdam functionibus, sunt cerei grandiores et crassiores, qui manu sustinentur. Romæ plerumque intorticium constat ex quatuor conflatis, imo artificiose intortis candelis, quarum lychna simul ardentia majorem flammam producunt; in nostris regionibus unicum lychnum ordinarie in hujusmodi crassiori cereo adest, qui potius inde ex unico funi vocátur funale.

Hodiedum non raro laici in Processionibus, ad modum funalis ejusque loco, sustinent parvam lanternam arundini impositam, ne ob ventum vel imbrem lumina extinguantur. — Lanternas majores hastis impositas, quatuor saltem numero, mandat Benedictus XIII deferri, hinc inde circa Celebrantem qui SS. Sacramentum in Processione portat. (Concilium Romanum anni 1725, Tit. XV, Cap. 7.) Sed an menti Ecclesiæ respondeat quod omnes in Processione parvas lanternas loco funalium gestent, dubitari potest; existimatur eas non esse tolerandas ad Altare, ubi Rubricæ intorticia seu funalia præscribunt.

95. **De Vase aquæ benedictæ, et Aspersorio.** — Quia non raro ante vel post Missam aspersiones aquæ benedictæ faciendæ occurrunt, juvat de utensilibus ad hunc usum quædam notare.

1° Vas gestatorium quod continet aquam benedictam conficitur ex argento, aut ex aurichalco; intus sit stanno obductum; pes satis latus sit ut firmiter vas stare valeat; cuppa muniatur superius ansa, qua a ministro vas tenetur; satis magna sit cuppa ut continere queat circiter duo litra aquæ, et ipsa tota jam hac aquæ quantitate non repleatur, ne in delatione aqua effundatur.

2° Aspersorium, seu aspergillum non ubique eamdem formam habet.

Antiquitus constabat aspergillum fasciculo ex ramis alicujus herbæ, plerumque ex herba hyssopi; tale requiritur etiam hodie in quibusdam functionibus Liturgicis, ex. gr., in Dedicatione Ecclesiæ, in Consecratione Altarium (cfr. Pontificale Romanum); item in Benedictione solemni Ecclesiæ, vel Oratorii publici. (Cfr. Rituale Romanum, Tit. VIII, Cap. 27, n. 3; et Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 342, V, 5.) Nonnumquam quidem confectum erat aspergillum ex summa cauda alicujus animalis; unde germanicum nomen « weihwedel » (wedel = cauda), et gallicum nomen « goupillon » (goupil = vulpecula, vulpes).

Aspersorium Romanum pro consuetis aspersionibus hodie usitatum constat sphæra vacua ex argento; diametrum habet circiter septem centimetrorum; manubrio munitur, et multis parvis foraminibus perfossa, intus continet spongiam; ipsa immergitur in aquam benedictam, et in aspersionis actu per foramina e spongia defluit aqua. — Bona venia et pace cujus-

cumque liceat observare, quod hujusmodi aspergillum apud nos hucusque non potuit introduci ; experientia enim constat quod ejus usus semper risum, a recta ratione quidem alienum, sed qui contineri non potest, excitat ; quia instrumentum omnino huic simile, minoris formæ tamen, nostris infantibus oblectandi causa traditur.

Aspersorium a sæculo XV, uti ex antiquis picturis constat, in nostris regionibus usitatum, est globus ligneus, munitus manubrio argenteo, aut eburneo, aut ligneo, et undique insertas setas habens, quibus inhæret aqua ; setæ sunt coloris albi, aut plerumque nigri. — Quare jam sensim setæ insertæ fuerint non tantum in ipso globo, sed et in vicina parte manubrii, non patet ; antiquitus forma partis setis munitæ erat rotunda et congruens ; hodiedum sæpe videre est aspergillum horriferum præ magnitudine inutili, incommoda, et deformi. Et utinam post aliquod tempus talis machina non calvescat !

Quidam setas ad modum fasciculi conjungunt in apice manubrii, ita ut aspergillum formam habeat ampli pictorum penicilli. Placet magis forma sæculi XV supra descripta.

SECTIO IV

De sacris Indumentis seu Vestibus

Q. 96. *Quænam sunt Vestes sacræ quas Sacerdos celebraturus jubetur superinduere ? Singularum usum et ortum paucis describe.*

R. I. Vestes sacræ Sacerdotis pro Missæ celebratione sunt Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola et Planeta.

II. 1° **Amictus**, qui et **Humerale** dicitur, quia humeros cooperit, primum inter Indumenta liturgica, est velum lineum album, quo Sacerdos prius caput, dehinc collum seu vestes collares undique obtegit. — Nomen habet a verbo amicire (am-jacio), quod circumjicere, cooperire significat.

Illius usus antiquus est, sæculo octavo anterior ; et primitus circa collum, ut hodie, ponebatur ; a sæculo decimo vero tamquam capitis tegumentum super caput poni cœpit ; qui mos exeunte medio ævo, sæculo decimo sexto, obsolevit, et inde iterum declinatur ad collum amictus, et eo vestium collaria circumteguntur.

Usus tamen imponendi amictum super caput remansit apud aliquos Ordines Religiosos, præcipue apud Mendicantes.

Vestigium etiam illius impositionis super caput hodie in Ritu Romano duplex retinetur, nempe : 1° in Ordinatione Subdiaconi, ubi Pontifex « amictum qui in collo ordinandorum jacet, imponit super caput singulis » (Pontificale Romanum, *De Ordinatione Subdiaconi*); — et 2° in Rubrica qua præcipitur modus amictum accipiendi : Sacerdos enim amictum prius « ponit super caput, et mox declinat ad collum » (Ritus, Tit. I, n. 1) ; necnon in Oratione quæ interea dicenda est : « Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus. »

2° **Alba** est tunica linea talaris. Nobiliores Romani, sæculo adhuc sexto, subter penulam gestabant tunicam, quæ totum corpus usque ad talos tegebat. Hanc a primis sæculis assumpsit Ecclesia tamquam vestem liturgicam, communem omnibus Clericis, etiam minorum ordinum. A sæculo XII vero cœpit hæc tunica sensim gestari tantum a Clericis majorum ordinum, præsertim in Missæ celebratione ; dum in variis aliis functionibus Clerici omnes, et in Missæ Sacrificio etiam Clerici minores, induebantur tunica breviori, quæ vocabatur *cotta*, *superpelliceum* ; quæ cotta sæculo XIII generatim jam signatur tamquam vestis propria Acolythorum, et aliorum minorum ordinum.

Tunica varia nomina habuit : *tunica linea*, ex materia ex qua conficiebatur ; *tunica talaris*, vel *poderis* (ποδήρης) ex forma longiori, usque ad talos seu pedes pertingente ; *alba*, a suo candido colore, quod nomen ipsi proprium hodie retinet. Apud Liturgicos auctores medii ævi *camisium*, seu *camisia* sæpe vocatur : unde Itali eam *camice* nominant.

3° **Cingulum** est funiculus ex lino, quocum alba circumcirca ad altitudinem lumborum stringitur et elevatur, ut ipsa honeste dependeat, vestes tegat, et diligenter aptata ad latitudinem digiti, vel circiter, super terram æqualiter fluat. (Ritus, Tit. I, n. 3.)

Vocatur etiam *cinctorium*, *zona*, *balteus* ; hoc ultimum nomen, e Veteri Testamento desumptum, designat potius cinctorium ad modum fasciæ, auro gemmisque ornatum ; tale aliquando gestabant Episcopi medio ævo, sed hodie non amplius toleratur.

4° **Manipulus** hodie est fascia ejusdem materiæ et coloris quam Stola et Planeta, quæ imponitur brachio sinistro.

Nomina ejus antiquiora sunt *mappula*, *sudarium*, *mantile* ; *fanon* vocatur aliquando circa sæculum XII ; *manuale* sæculo XIV. Nomen *manipuli* occurrit jam versus finem sæculi VIII, et commune fuit a sæculo XII : sumitur autem hæc vox in sua significatione fascis, et non videtur nomen indumento datum a manu qua portatur.

Qui olim aliquid offerebant, aut accipiebant, manum coopertam vel manus coopertas habebant aliqua mappula candida. Romæ, sæculo jam quarto, Diaconi in quibusdam functionibus tamquam insigne ipsis proprium portabant ad lævam tegendam hujusmodi mappulam, tum vocatam *pallium linostimum* ; sæculo VIII mappulam ad sinistram gestabat etiam Summus Pontifex ; extra Romam vero mappula inusitata remansit usque ad sæculum X ; ab eo tempore cœpit inter Vestes liturgicas recenseri, et sæculo XII ubique in usu fuit, non amplius sub forma simplicioris mappullæ candidæ, sed tamquam ornatus, ex eadem materia confectus ex quo Stola et Casula. Sæculo XII etiam Manipulus tradi cœpit communiter Subdiaconis in Ordinatione.

5° **Stola** est paramentum ad modum fasciæ, ejusdem materiæ et coloris quam Manipulus et Planeta, quod a Presbytero eo modo gestatur ut medium ejus collo impositum sit, et utraque pars ab humeris ante pectus dependeat æqualiter usque ad genua. Quando Sacerdos albam induit, tunc transversat Stolam ante pectus in modum Crucis, et utramque ejus partem extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo conjungit. — Episcopus, qui ante Stolam accipit parvam Crucem pectoralem super pectus pendentem, non ducit Stolam ante pectus in modum Crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates æqualiter pendere. — Diaconus vero Stolam gestat ita ut medium ejus sit positum super humerum sinistrum, et ambæ partes dependentes ante pectus et in dorso quasi alligentur sub brachio dextro, et Stolæ capita seu extremitates ibi conjunctim dependeant.

Paramentum hoc antiquitus semper vocabatur *Orarium* : quæ vox in sermone latino proprie significat mappulam ad sudorem abstergendum ; sed in liturgico sermone fuit cum alia significatione assumpta. Orarium enim est Vestis liturgica distinctiva, symbolum officii, signum ministerii adimplendi ab iis qui orant, id est, prædicant ; et ideo Orarium gestant Episcopi, Presbyteri, et Diaconi. — Hodiedum semper vocatur *Stola*. Apud Romanos Stola vocabatur vestis matronalis, unde certo non est repetenda origo Indumenti nostri liturgici. Sed vox græca στολή, significans vestem in genere, vel potius vestem speciosam, insignem, eadem cum significatione in latino sermone assumpta fuit, cum Sacræ Scripturæ versio latina e græco textu fuit elaborata. Ad designandum Vestem liturgicam dictam *Orarium*, vox *Stola* primum occurrit sæculo IX, et omnino prævalet sæculo XIII, a quo tempore vox *Orarium* in desuetudinem abiit. Pontificale Romanum utramque vocem adhuc usurpat in Ordinatione Presbyteri : « Pontifex.... reflectit orarium, sive stolam ab humero sinistro. »

Constat ex monumentis, Orarium jam sæculo VI gestatum fuisse tamquam Vestem liturgicam distinctivam, seu tamquam insigne, ab Episcopis, Presbyteris et Diaconis, in Ecclesiis Hispaniæ, Galliæ, imo in quibusdam partibus Italiæ. Episcopi Orarium portabant super Casulam ; Presbyteri sub Casula, circa collum ; Diaconi vero affixum in humero sinistro super dalmaticam, ab ante et retro fluens, ut distinguerentur ita a Subdiaconis. — Romæ hujusmodi insigne non fuit admissum ante sæculum X ; Summus Pontifex a sæculo IV gestavit fasciam ex lana alba, quæ vocabatur *Pallium*, similemque concessit subsequenter quibusdam Episcopis ; sed Orarium ibi admissum fuit tantum dicto sæculo X, et statutum fuit, ut Episcopi et Presbyteri illud portarent sub Casula ; itemque Diaconi sub dalmatica, a quo tempore a Diaconis fuit ab humero sinistro deductum et alligatum sub brachio dextro.

Unde hujusmodi Orarium tamquam insigne virorum ecclesiasticorum qui in superioribus ordinibus ministerium adimplebant, in Liturgia Christiana fuerit

assumptum, forsan ex eo repetendum est, quod apud Romanos quidam viri, qui publicas functiones insigniores exercebant, ex. gr., consules, in quarumdam functionum exercitio tamquam proprium auctoritatis insigne fasciam non absimilem gestabant.

6° Planeta ultimum et spectabilius est inter Indumenta Sacerdotis Missam celebrantis, quo cætera omnia, et ipse ab ante et a retro a collo usque ad genua conteguntur.

Varias hujus indumenti nomina liturgica sunt : *Amphibalus*, a græco ἀμφιβάλλω, induere ; hoc nomen occurrit in antiqua Liturgia Gallicana, quam suadente Romano Pontifice abolevit Carolus Magnus ; alibi nomen hoc numquam fuit assumptum ; — *Infula* nominatur in variis documentis a sæculo XII usque ad XV, in Germania, Anglia, et præsertim in Gallia ; — *Planeta* ; corruptionem vocem hanc quidam dicunt vocis *pænula*, vel φαιλόνιον, qua voce Græci Indumentum nostrum designant ; Planeta dicitur, ait S. Isidorus Hispalensis († 636), quia oris errantibus evagatur : unde et stellæ planetæ, id est, vagæ suo errore motuque evagantur (*De Originibus*, Lib. XIX, Cap. 21.) : Planeta enim, qualis antiquitus erat, ob suam amplitudinem diffluens seu quasi errans erat circa corpus ; — *Casula* ; ita vocatur, ait iterum S. Isidorus, « per diminutionem a casa, quod totum hominem tegat, quasi minor casa » (loco citato) : ita vocatur ab antiqua sua forma rotunda, qua totus homo quasi cooperiebatur.

Vox *Planeta* semper prævaluit Romæ et per Italiam, ab antiquissimo tempore usque hodie ; Itali Indumentum vocant « Pianeta ». Vox *Casula* communis fuit ab antiquo extra Italiam, et hodiedum adhuc in usu est : Hispani dicunt « casulla », Galli « chasuble », Angli « chasuble », Germani « casel », Flandri « kasuifel ».

Missale Romanum et Cæremoniale Episcoporum communiter designant Indumentum sub nomine Planetæ ; Pontificale Romanum vero, cujus ritus diversi non pure Romani sunt, sæpius Casulam vocat.

Planetæ origo repetenda est a nobiliorum Romanorum pænula, quæ erat vestis superior, ampla et rotunda, unicam habens in medio aperturam per quam caput

emittebatur, et ad manuum usum super brachia hinc inde revoluta. Constat ex documentis ipsam adhuc gestatam fuisse a Senatoribus sæculo quinto, ab aliisque nobilioribus sæculo usque septimo.

Planeta tamquam Indumentum proprie liturgicum præscripta occurrit a sæculo V, et communis erat quidem omnibus Clericis, etiam minorum ordinum, usque ad sæculum circiter VIII ; ab eo tempore vero propria fuit in Missarum celebratione Episcopis et Presbyteris, necnon in quibusdam functionibus Ministris majorum ordinum. Formàm antiquæ pænulæ Romanæ retinuit usque ad sæculum ferme XV, ut postea exponetur in sequenti Articulo II hujus Sectionis. (Q. 108.)

Vix extremis digitis contingere licuit ea quæ de sacrorum Indumentorum origine dicere placeret. Miro studio hodiedum viri docti perscrutantur quæcumque ad nostras Liturgicas antiquitates referuntur : ipsi protestantes Germaniæ, et præsertim Angliæ hæc inquirunt, colligunt, excutiunt, nonnumquam cum felicissimo fructu reditus ad portum veritatis, atque ad unitatem Fidei Catholicæ ; ex Catholicis etiam viri clarissimi quæstiones historicas de nostra Liturgia investigant, easque ad indubias conclusiones profundo acumine perducunt. Sacerdotes oportet non ignorare ea quæ non solum fidem corroborare, sed et pietatem fovere et stabilire nata sunt.

De sacris Indumentis recentius scripserunt : Bock, *Geschichte der liturgischen Gewänder des Mittelalters,* 3 Bände ; Bonn, 1859-1871 ; — Braun, S. J., *Die priesterlichen Gewänder* ; — *Die pontificalen Gewänder* ; Freiburg, 1897, 1898 ; — Barbier de Montault, *Le Costume et les usages ecclésiastiques selon la tradition Romaine,* 2 vol. Paris, 1897, 1901 ; — Marriott, *Vestiarium Christianum, the origin and gradual development of the dress of holy ministry in the Church,* London, 1868 ; — Macalister, *Ecclesiastical Vestments,* London, 1896. — Plura etiam reperiuntur apud Duchesne, *Origines du culte chrétien,* Paris, 1899 ; — Kraus, *Real-Encyklopädie der Christlichen Alterthümer,* 2 vol., Freiburg, 1882, 1886. — Innumera figurata monumenta collegit Rohault de Fleury, in opere : *La Messe, Études archéologiques sur ses monuments,* 8 vol. Paris, 1883-1889 (nondum rarum sed carum : 560 frs.). — Multa promittit Cabrol, O. S. B. : *Dictionnaire d'Archéologie chrétienne et de Liturgie,* Paris, 1903 ; sed lente procedit : exeunte anno 1905, nondum terminantur 2464 columnis articuli sub littera A ; cæterum est opus Benedictinum.

Q. 97. *An Vestes sacræ ab initio differebant a communibus seu civilibus ?*

R. Vestes in liturgicis functionibus, et speciatim in

celebratione SS. Missæ Sacrificii adhibitas, primævis Ecclesiæ temporibus, quoad formam non dissimiles fuisse a communibus in usu quotidiano assumptis, constat ex iis quæ in præcedenti responso exposita fuerunt, ex. gr., pro Alba et Planeta. Super quo testatur Walafridus Strabo († 849) : « Vestes etiam sacerdotales per incrementa ad eum, qui nunc habetur, auctæ sunt ornatum. Nam primis temporibus communi indumento vestiti Missas celebrabant. » (*De ecclesiasticarum rerum exordiis et incrementis*, Cap. 24 ; apud Migne, P. L., CXIV.)

Sed simul constat primitus ejusmodi vestes, quoad formam communes, in sacris peragendis fuisse adhibitas nitidiores et pretiosiores, ac in hunc Liturgicum usum tantum reservatas et sacratas. Subjungit enim Walafridus Strabo, quod S. Stephanus, Papa et Martyr († 257), « constituit Sacerdotes et Levitas vestibus sacratis in usu quotidiano non uti, nisi in Ecclesia tantum. » (Loco citato.) Quod idem notatum reperitur in nostro Breviario, in vita S. Stephani (2 Augusti, lectio IX). Animadvertit Hefele, decretum hoc esse non novam institutionem, sed invocationem antiquæ consuetudinis, quam tunc temporis quidam ecclesiastici non ut debebant servabant. (*Beiträge zur Kirchengeschichte, Archäologie und Liturgik*, II Band, pag. 153.)

Progressu temporis vero laici communium vestium formam non semel mutarunt, dum Clerici antiquam formam, quæ generatim erat prisci moris Romani, servarunt ; unde, a sæculo certe VII, Clerici a sæcularibus quoad communium vestium formam erant distincti.

Sed et ab eodem tempore ipsa Indumenta ecclesiastica ad communem, seu quotidianum usum aliquibus mutationibus obnoxiæ fuerunt ; et antiquæ Vestes ad Liturgicas functiones exsequendas servatæ fuerunt, manente saltem eodem essentiali antiquo earum typo.

Unde merito jure dicere potuit Concilium Tridentinum (Sessione XXII, Cap. V), quod in Missæ Sacrificio « pia Mater Ecclesia... adhibuit... vestes... ex apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem

excitarentur. » (Cfr. Benedictus XIV, *Institutio ecclesiastica XXI*, nn. 4 et sqq.)

Dicendum est de sacrarum Vestium significatione, de earum qualitate, de colore : unde triplex hujus Sectionis Articulus.

ARTICULUS I

De sacrarum Vestium significatione

Q. 98. *Quotuplex datur significatio mystica sacrarum Vestium liturgicarum ?*

R. Singulis Vestibus liturgicis significatio mystica inest, quatenus his vel Christi repræsentatur passio, vel ejusdem designantur virtutes, quibus exornari Sacerdotem par est ; ut dum munere Christi personam gerit, moribus etiam similitudinem Christi referat, pleneque Christum indutus, in Christum veluti transformatus videatur. — Ideo duplicem significationem Vestes sacræ exhibent, quæ quidem præprimis Ministris, sed etiam populo bene perspecta esse deberet ; nempe 1° allegoricam, quæ respicit Christi passionem ; et 2° moralem, quæ spectat virtutes sacerdotales. (Cfr. Müller, *Theologia moralis*, Lib. III, Tit. I, § 31.)

Q. 99. *Breviter indica significationem* allegoricam *sacrarum Vestium.*

R. Prænotatur quod hæc significatio allegorica non fundatur in ipsa Liturgia ; et recurrendum est pro ejus explicatione ad Theologiam asceticam.

Communiter admittitur sequens : **Humerale** designat velamen, quo faciem Christi tegebant Judæi, percutientes eum, et dicentes : Prophetiza nobis quis te percussit. — **Alba** significat vestem albam, qua indutum Christum Dominum Herodes irrisit. — **Cingulum** repræsentat funes, quibus Christus in horto est ligatus, necnon flagella, quibus est crudeliter vulneratus. — **Manipulus** denotat vincula, quibus Christi manus fuerunt ligatæ, dum ad columnam flagellabatur. — **Stola** designat funes collo Christi injectos, quando Crucem in locum Calvariæ portabat. — **Casula** significat Crucem humeris Domini nostri impositam ; vel, ut alii

arbitrantur, purpureum vestimentum, quo milites Christum induerunt ; vel tunicam inconsutilem, quam detraxerunt milites quando Christum crucifixerunt. (Cfr. Müller, loco citato.)

(Plura de his vide apud Benedictum XIV, *De Sacrosancto Missæ Sacrificio*, Lib. I, Cap. X ; — Cardinalem Bona, *Tractatus asceticus de Sacrificio Missæ*, Cap. V, § 2 ; aliosque.)

Q. 100. *Quæ est significatio mystica* moralis *sacrarum Vestium ?*

R. Significatio moralis, expressa pluries in ipsa Liturgia, fundatur in verbis quæ dicenda præscribuntur in impositione sacrarum Vestium, tum in Ordinatione, tum in earum assumptione in ordine ad Missæ Sacrificium celebrandum ; quæ verba Ecclesia præscribit præcipua de causa ut Sacerdotes noscant, qua mente toto suæ vitæ tempore, traditas sibi sacras Vestes considerare debent.

Primum generatim dici potest, quod « omnis ornatus exterior Sacerdotis significat, qualis debeat interior esse ejus ornatus, quamque præ populo eminere et effulgere eum oporteat. » (Cornelius a Lapide, *In Exodum*, Cap. XXVIII, ℣. 43.) De significatione autem cujusque vestis specialiter sequentia exponuntur.

1° **Amictus.** — Ex diversis formulis liturgicis usitatis duplex eruitur significatio moralis Amictus.

A) Sacerdos assumens Amictum, illumque ponens super caput, dicit : « Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus. » Designatur itaque per Amictum fortitudo operum, et virtus spei et fiduciæ in Deum ; juxta verba S. Pauli : « **Galeam salutis assumite** » (ad Ephesios, Cap. VI, ℣. 17) ; et : « **Induti loricam fidei, et charitatis,** et GALEAM SPEM SALUTIS » (I ad Thessalonicenses, Cap. V, ℣. 8).

« Sicut enim galea principem corporis partem, puta caput ipsum, a quo cætera membra totusque homo pendent, tuetur et communit, ita spes salutis et gloriæ cœlestis ac immortalis servat et communit caput, id est, hominis cogitationes, fines et intentiones. » (Cornelius a Lapide, *In Ephesios*, Cap. VI, ℣. 17.)

B) In Ordinatione Subdiaconi, Episcopus Amictum, qui in collo ordinandi jacet, imponit super caput dicens : « Accipe amictum, per quem designatur castigatio vocis. » (Pontificale Romanum.) Per Amictum collum undique cingimus ; in collo autem est vox ; inde Amictus etiam designat normam illam rectam, qua Sacerdos uti debet in omnibus suis verbis, seu custodiam linguæ et castigationem vocis ; juxta illud Psalmistæ : « **Dixi : Custodiam vias meas : ut non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam.** » (Ps. XXXVIII, ℣. 2.)

2° **Alba.** — Sacerdos Albam induens, dicit : « Dealba me, Domine, et munda cor meum : ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis. » Alba itaque ministrum sacrum admonet de animi munditie in sanguine Christi, id est, per mortificationem et laborem comparanda, ut sit instar Sanctorum, qui « **amicti sunt stolis albis,... qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni.** » (Apoc. Cap. VII, ℣℣. 13 et 14.) Etenim, linum ex quo conficitur, et cujus colorem retinet, « repræsentat purissimam et innocentissimam conversationem Sanctorum, quæ in tribulatione et persecutione magis enitescit et resplendet, perinde ac linum injuria, id est, maceratione, tunsione, carminatione semper melius, puta purius, candidius et splendidius evadit. » (Cornelius a Lapide, *In Apocalypsim*, Cap. XIX, ℣. 8.)

3° **Cingulum.** — In Oratione ad Cingulum, Sacerdos orat : « Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et exstingue in lumbis meis humorem libidinis, ut maneat in me virtus continentiæ et castitatis. » Significat, quod qui sacrificant Agnum, accingere debent renes suos (Exod. Cap. XII, ℣. 11), servantes nempe continentiam nullis concupiscentiæ motibus dissolvendam ; juxta verba Evangelii : « **Sint lumbi vestri præcincti.** » (Luc. Cap. XII, ℣. 35.)

4° **Manipulus.** — Episcopus in Ordinatione Subdiaconi immittens Manipulum in sinistrum brachium, ait : « Accipe manipulum, per quem designantur fructus bonorum operum. » (Pontificale Romanum.) Et in Missa, Minister eum brachio sinistro imponens, precatur : « Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris :

ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris. » Ex quibus colligitur, Manipulum esse symbolum, tum zeli, quo ecclesiastici viri uberrimos fructus bonorum operum, quasi fasces fructuum, uti frumenti producere valent ; — tum laboris et tribulationis vitæ sacerdotalis seu apostolicæ ; — tum mercedis hujus laboris, et æternæ remunerationis quondam secuturæ ; juxta illud Psalmi CXXV, ℣℣. 5, 6 : « **Qui seminant in lacrymis, in exsultatione metent. Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exsultatione, portantes manipulos suos.** »

5° **Stola.** — In Ordinatione Diaconi, Episcopus Stolam super humerum sinistrum ordinandi imponens, dicit : « Accipe stolam candidam de manu Dei ; adimple ministerium tuum : potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam. » (Pontificale Romanum.) — In Ordinatione Presbyteri, Stolam imponens super humeros ordinandi, Episcopus dicit : « Accipe jugum Domini ; jugum enim ejus suave est, et onus ejus leve. » (Pontificale Romanum.) — Accipiens vero pro celebratione Missæ Stolam, Sacerdos orat : « Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis : et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum. » — Ex comparatione horum textuum patet, Ecclesiam duplicem significationem Stolæ tribuere : — Quatenus humeris aut collo imponitur, significat jugum et onus sacri ministerii, et patientiam in eo ferendo necessariam. — Quatenus vestis est distinctiva, et ornatus, significat vestem candidam innocentiæ in accessu ad sacra Mysteria requisitam, et vestem gloriæ, immortalitatis ac felicitatis demum obtinendæ.

6° **Planeta.** — In promotione Diaconi ad Presbyteratum, Episcopus, in prima functionis parte ordinandum Planeta induens, non totam quidem Planetam super ipsum extendit, quia nondum completur Ordinatio, sed posteriorem partem relinquit super ipsius humeris complicatam, et ait : « Accipe vestem Sacerdotalem, per quam charitas intelligitur : potens est enim Deus, ut augeat tibi charitatem, et opus perfectum. » — Et postea, quando post Missæ Communionem completur

sacra Ordinatio, collata ordinato potestate in corpus Christi mysticum, seu potestate remittendi peccata, Episcopus explicans Casulam hucusque super humeros complicatam, dicit : « Stola innocentiæ induat te Dominus. » (Pontificale Romanum.) Vox « stola » hic significationem habet generalem indumenti, non ideo tamen stolæ nomen Planetæ uti proprium tribuendum est. — Presbyter vero accipiens Planetam ad celebrandum, orat : « Domine, qui dixisti : Jugum meum suave est, et onus meum leve : fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen. »

Itaque Planeta seu Casula, quæ reliquas omnes sacras Vestes et ipsum hominem sua amplitudine tegit, diffluit enim circa corpus, et tamquam parva casa ipsum totum cooperit, quæque reliquas vestes suo splendore et ornatu superat, ex omnium sententia charitatem significat, quæ cunctis virtutibus supereminet, easque protegit et illustrat. Significat insuper, charitate seu vitæ integritate, atque innocentia eum præminere opus esse, qui innocentiæ aliis restituendæ præditus est potestate. — « Attamen, ut constat ex Oratione quæ dicitur cum Casula induitur, etiam jugum Domini significat (sicut Stola), sed diversa fortasse ratione : nam Stola significat jugum Christi (scilicet Crucis), Planeta jugum amoris ; illa patientiam et fortitudinem, quæ ad jugum illud ferendum necessaria est ; hæc vero suavitatem et dulcedinem jugi hujus, quæ ex charitate provenit, significat. » (Ita Suarez, in III S. Thomæ, quæst. 83, art. 3, disput. 82, sect. 2, n° 4.)

Etiam in hodierna sua forma, qua non quidem amplius omnino rotunda est, neque omnes alias sacras Vestes amplitudine tegit, sed in duas semirotundas plagas, anteriorem et posteriorem, dividitur, Planeta charitatem significat, et duplici profecto ratione ; tum, quod semper cæteris sacerdotalibus Indumentis superimponitur, tum, quod duplici qua constat parte, genuinum charitatis officium insinuat ; admonet enim Presbyteros adimplendæ geminæ dilectionis, quæ scilicet in amore Dei et proximi perficitur ; in his enim duobus mandatis, ait Dominus, pendent lex et prophetæ. (Cfr. Andreas du Saussay, *Panoplia sacerdotalis*, Cap. 14.)

Plura vide apud Benedictum XIV, *De Sacrosancto Missæ Sacrificio*, Lib. I, Cap. VII, VIII, V ; — Cardinalem Bona, *Rerum liturgicarum libri duo*, cum notis Roberti Salæ. Lib. I. Cap. XXIV ; — Le Brun, *Explication de la Messe. Traité préliminaire.* Art. IV ; § 1; — Gihr, *Das heilige Messopfer, dogmatisch, liturgisch und ascetisch erklärt*, II Theil, I Abtheil., § 29. Hoc præstantissimum opus e germanico in gallicum translatum fuit a Sacerdote Moccand, et prodiit translatio Parisiis, apud Lethielleux : *Le Saint Sacrifice de la Messe, son explication dogmatique, liturgique et ascétique*, 2 tom. 1894-1895. Non possumus quin jam maximopere commendemus hoc opus lectioni, studio, et meditationi nostrorum Sacerdotum.

Improbandus vero omnino et repudiandus est hac in re Claudius de Vert, qui anno 1708 edidit opus : *Explication simple, littérale et historique des Cérémonies de l'Eglise.* Summo cum plausu a Protestantibus fuit opus exceptum ; sed auctorem temeritatis et irreverentiæ nota inurendum inclamat Benedictus XIV. (*De Sacrosancto Missæ Sacrificio*, Lib. I, Cap. X, n. 9.)

ARTICULUS II

De sacrarum Vestium qualitate

§ 1. De materia

Q. 101. *Ex qua materia confici debent Amictus, et Alba?*

R. Amictus et Alba ex lino vel cannabe confecta esse debent ; et ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore ac tenacitate linum aut cannabem æmulante aut æquante, confici non possunt. Ab hoc antiquo more, usque ab Ecclesiæ primordiis ob reales et mysticas significationes inducto, ab hac constanti Ecclesiæ disciplina, sub quocumque prætextu, colore ac titulo, non esse recedendum declaravit S. Rituum Congregatio. (Decret. generale 15-18 Maji 1819, n. 2600, antiq. 4563; cfr. Adnotatio super hoc Decreto, in Vol. IV Collectionis Decretorum, pag. 192.)

Gossypium specialiter prohibetur citato Decreto, ejusque usus declaratur corruptela radicitus evellenda, etsi quidam consuetudinis nomine eam cohonestare nitantur. Et iterum gossypii usum, etiam attentis hodiernis circumstantiis, tamquam abusum rejiciendum esse declaravit eadem S. Congregatio. (Decret. 23 Julii 1878, n. 3455, antiq. 5737.) Imo reprobavit telam com-

positam e lino ac gossypio etiam subtilissimo. (Decret. 15 Martii 1664, n. 1287, antiq. 2267; et Decret. 15-18 Maji 1819, supra citatum.)

Attamen in variis circumstantiis S. Congregatio, aliqua indulgentia utens, permisit ut Amictus et Albæ, si quæ ex gossypio alicubi jam habentur, adhiberi interea possint usque dum consumantur; sed cum renovanda erunt, ne ex alia materia fiant, nisi ex lino vel cannabe, præcepit. (Decret. 15-18 Maji 1819, supra citatum.) Hoc vero non permisit pro Corporalibus, Pallis et purificatoriis, ut supra Q. 83 notatum fuit.

Quia hodiedum jam ita facile et frequenter circumferuntur et venumdantur ex variis et dissitis regionibus omnigenæ telæ, non supervacaneum erit citare ejusdem S. Rituum Congregationis Decreta de quibusdam telis; ex quibus insuper patebit, quanta cura, quot et quæ cautelæ a S. Congregatione adhibeantur, ut disciplina telæ ex lino vel cannabe servetur et retineatur, et quali prudentia et discrimine procedere debeant Sacerdotes, aliique quorum interest, ut debitam materiam pro sacra supellectili emant.

Cuidam Parocho exponenti impossibile prorsus esse, ob redituum defectum, emere pro usu Ecclesiæ suæ parochialis Indumenta sacra ex lino vel cannabe confecta, et postulanti ut liceat uti, pro dictis Indumentis conficiendis, tela ex urticis confecta, S. Congregatio rescribere rata est: « Negative; et servetur Decretum generale diei 15 Maji 1819. Atque ita rescripsit et servari mandavit. » (Decret. 17 Decembris 1875, n. 3387, antiq. 5649.)

In aliquo dubio S. Congregationi ex Hispania proposito, laudatur tela subtilissima, vulgo « nipis », nitiditate et tenacitate linum æmulans et æquans, imo longe pretiosior lino, cujus materia ex qua conficitur non ex arboris fructibus sicut gossypium provenit, sed ex ipsius plantæ filis, sicut linum. S. Congregatio, « exquisito etiam voto alterius e scientiarum naturalium peritis », censuit ex hac tela non posse confici sacra Paramenta. (Decret. 13 Augusti 1895, n. 3868.)

Aliam telam Sinensem, vulgo « hia pou », provenientem ex planta a peritis historiæ naturalis appellata « urtica nivea », et ad familiam lini pertinente, assumere pro sacris Paramentis in quodam Vicariatu Apostolico Sinensi permisit S. Congregatio, de speciali gratia, attentis peculiaribus adjunctis, iisque perdurantibus, nempe vetustæ consuetudinis, paupertatis et deficientiæ telæ ex lino, dispensans ibi a lege et usu telæ lineæ, et vigentem in loco consuetudinem ratam habens. (Decret. 27 Junii 1898, n. 3995.) Quot jam cautelæ, ne specialis gratia extendatur! Concludere licet cavendum esse a novitatibus quæ nostris diebus pullulant.

Q. 102. *Ex qua materia conficitur Cingulum ?*

R. Cingulum congruentius, et ex antiquo usu conficitur ex lino, vel cannabe.

Sericum non quidem reprobatur ; attamen ad dubium : » An Sacerdotes in Sacrificio Missæ uti possint Cingulo serico ? » S. Rituum Congregatio censuit respondendum : « Congruentius uti Cingulo lineo. » (Decret. 22 Januarii 1701, n. 2067, antiq. 3575, ad 7.)

Lana admittitur pro Cinguli materia ; etenim ad dubium : « Num Cingula ex lana adhiberi licite valeant in celebratione Sacrosancti Missæ Sacrificii ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Nihil obstare, quominus Cingula in precibus enuntiata adhiberi possint. » (Decret. 23 Decembris 1862, n. 3118, antiq. 5326.)

Q. 103. *Quid dicendum est de materia ex qua conficiuntur Manipulus, Stola et Planeta ?*

R. I. Pro Manipulo, Stola et Planeta, certa et determinata materia non positive præscribitur a Rubricis ; etenim Rubrica de Paramentis tantum requirit ut sint « integra, et decenter munda, ac pulchra. » (Ritus, Tit. I, n. 2.)

II. Attamen, per varia S. Rituum Congregationis Decreta plures materiæ jam reprobatæ fuerunt ; ita ut dicere liceat, jus liturgicum veluti per exclusionem statuere, dictas sacras Vestes debere ex materia serica, saltem principaliter, confici.

Etenim, prohibetur ne ista Paramenta fiant ex tela linea, vel gossypio, vulgo « percallo » ; S. Rituum Congregatio rescripsit servandum esse usum omnium Ecclesiarum, quæ hujusmodi Casulas non admittunt. (Decret. 23 Septembris 1837, n. 2769, ad V, 3, antiq. 4815, ad VIII, 3.) — Prohibetur etiam ne ipsa fiant ex mera lana ; S. Congregatio respondit non posse adhiberi sacra Paramenta ex mera lana confecta. (Decret. 23 Junii 1892, n. 3779, ad 1.)

Quæ in his Decretis indicantur materiæ tamquam prohibitæ, gossypium nempe et lana, eæ sunt quibus vulgo et communiter homines utuntur in quotidiano usu, et etiamsi mundæ ac pulchræ esse possint, non satis nobiles æstimantur ut nobiliori actui, et Sacrificii

dignitati, quantum fieri potest, respondeant. Linum vero prohibitum profecto non est uti incongruens, cum ad sanctissimos usus in ipso Altari, et ad alia ex Indumentis sacris de præcepto adhibeatur ; sed ideo videtur non admittendum, quia numquam admissum pro Planetis fuit ; vel quia coloris albi est et minus tincturæ pro aliis coloribus accommodatur ; vel quia materiam ex natura sua pretiosiorem pro superioribus Vestibus sacris præfert Ecclesia.

Remanet igitur, per aliarum exclusionem, materiam pro his sacris Vestibus adhibendam, esse sericum, seu holosericum, saltem principaliter.

Nota. Rem gravem satis æstimat S. Rituum Congregatio observationem præscriptorum quoad materiam sacrarum Vestium, ut necesse judicaverit, ad refrenandum audaciam quorumdam fabricatorum, sequens Monitum transmittere, die 28 Julii 1881, Episcopis Ordinariis Diœcesium : « Etsi S. Congregatio sæpe illicitum declaraverit usum Casularum, aliorumque similium sacrorum Paramentorum ex tela gossypii, aut lini, aut etiam lanæ, confectorum ; attamen a nonnullis fabricatoribus harum telarum, Paramenta ejusmodi ita venumdantur, quasi ab ipsa S. Congregatione nunc eadem permissa fuerint. Ad omnimodam igitur tollendam, in re tam gravi, falsam opinionem, monentur Rmi Ordinarii Diœcesium, Decreta jam emanata quoad hanc rem, ab eadem S. Congregatione, in sua plena permanere vi ac robore, neque ullam existere nuperrimam dispositionem quæ aliquo modo eadem modificaverit. Ex Secretaria S. Congregationis Rituum, die 28 Julii 1881. »

III. Dicitur « saltem principaliter », quia tolerari potest, quod alia materia, puta gossypium, lana, vel linum, tamquam operis textilis fulcimentum conjungatur cum serico ; dummodo tamen principalis, quæ exterius apparet, materia integre sit ex filo serico, et quæ fulcimentum integre contegat. Ita docuisse, anno 1885, Academiam Liturgicam Romanam referunt Ephemerides Liturgicæ (I, 1887, pag. 580) ; et ipsa S. Rituum Congregatio declaravit, in casu particulari, attenta Ecclesiarum paupertate, hujusmodi materiam mixtam pro sacris Ornamentis posse tolerari. (Decret. 23 Martii 1882, n. 3543, antiq. 5838.)

Nota. Caveant Parochi, et Rectores Ecclesiarum et Cappellarum ne, aut avaritiæ vitio, aut paupertatis vel œconomiæ

prætextu, emant sacra Paramenta, de quorum qualitate debita quoad materiam non sunt certiores. In catalogis fabricatorum proponuntur Planetæ confectæ, cum omnibus suis adjunctis, pretio 18 francorum, sub nomine « damas fantaisie », 26 francorum, sub nomine « damas soie » ! Nonne manifesta res est in hujusmodi Planetis de materia serica parum aut nihil esse reperiendum, et totum opus constare ex « fantaisie » ? Tales certo non toleraret S. Rituum Congregatio.

IV. Ad ampliorem ornatum et decorem licet serico addere filamenta aurea vel argentea ; et tolerantur quidem paramenta auro pro maxima parte contexta, seu confecta ex tela aurea, et etiam argentea, ratione pretiositatis. (S. Rituum Congregatio, Decreta 28 Aprilis 1866, n. 3145, antiq. 5363 ; 5 Decembris 1868, n. 3191, ad 4, antiq. 5419, ad 5 ; 20 Novembris 1885, n. 3646, antiq. 5953, ad 2 et 3.)

Sed animadvertendum est, per Decreta admitti seu tolerari « ratione pretiositătis » telam **maxima ex parte auro aut argento contextam** ; et ejusmodi tantum censeri eam telam,quam fabricatores vocant « ex auro puro » (drap d'or fin) ; quæ autem constaret ex auro cum cupro mixto (mi-fin), aut ex auro falso, merito judicatur non toleranda. (Cfr. Nouvelle Revue Théologique, XIX, 1887, pag. 338, 339.) Speciatim declaravit S. Rituum Congregatio, non licere uti Paramentis confectis ex tela serica vitrea, seu textura cui inserta sunt filamenta vitrea, mixta auro vel argento, filis sericis inserta. (Decret. 11 Septembris 1847, n. 2949, antiq. 5099.)

Nota. Quidam fabricatores addunt in suis catalogis notulam : « Toutes nos broderies d'or et d'argent sont garanties au titre de 990/00, sans mélange de mi-fin. » Sub tali conditione honeste servata admitti etiam potest tela aurea et argentea. Sed quid dicendum de Planetis venumdatis sub nomine « drap d'or » pretio 85 francorum ? Non licet talibus uti : sunt enim confectæ ex tela non aurea, sed coloris flavi, in qua auri nihil reperire est.

Notare placet non commendandam esse telam argenteam ; etiamsi sit ex argento puro, post aliquot annos in nostris regionibus nigrescit, ob humiditatem, aliasque causas.

V. Animadvertendum est, S. Rituum Congregationem in suis Decretis semper loqui de materia texta, de textura (weefsel, tissu) ; texturam vero proprie dictam non posse vocari opus reticulatum (breiwerk, tricotage),

neque opus acu pictum (borduur, broderie), neque opus more tapeti confectum (tapijtweefsel, tapisserie); quæ opera non possunt admitti tamquam materia ex qua pro principali parte conficiuntur Paramenta. (Cfr. Nouvelle Revue Théologique, XIX, 1887, pag. 338, 339.)

VI. Ubi in præcedentibus agitur de materia serica, ex qua confici oportet Manipulum, Stolam et Planetam, dicta intelliguntur de istorum Paramentorum parte principali seu essentiali, qua proprie ut Paramenta reputantur et constant, non autem de eorum accessoriis, nempe de ornatu, et de subsutura.

Ornatus in dictis Paramentis ex diversis constat, uti in sequenti paragrapho exponetur; ex. gr., in Planeta prominet quidem fascia sub forma columnæ et Crucis; in Manipulo et Stola requiritur ornatus Crucis, admittitur ornatus fimbriarum: hæc omnia pertinent ad dicta Paramenta, sed sunt partes accessoriæ, etsi requisitæ, quæ tantum principali apponuntur. Jamvero pro hujusmodi accessoriis dicunt auctores posse tolerari usum alterius materiæ quam sericæ: unde admitti potest, ex. gr., super Planetam sericam ornatus Crucis intextæ vel acu pictæ ex lana, aut gossypio. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 726; et Nouvelle Revue Théologique, XIX, 1887, pag. 339.)

Subsutura interior Paramentorum (doublure, voedering), qua ipsa melius conservantur, aut majorem acquirunt firmitatem, a lege materiæ ipsorum Paramentorum non respicitur: unde usus generalis exstat ut Paramentis a parte interiori apponatur subsutura unius vel alterius materiæ, imo diversi coloris. (Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 161.)

VII. Dictum fuit supra, ad II, quasdam materias non tolerari, eo quod vulgo homines iis pro ordinario vestitu utantur. Inde non est deducendum, materiam sericeam, eo quod in hominum usu, etiam profano fuerit, esse vetitam; dicit enim S. Alphonsus de Liguori, non esse prohibitum Indumenta sacra, et alia ornamenta fieri ex vestibus profanis, ex. gr., mulierum, modo pretiosæ, seu ex materia sericea vestes istæ sint; quia quidquid mundanum contraxerunt, nova confe-

ctione et Benedictione abstergitur. (*Theologia moralis*, Lib. VI, n. 376.)

VIII. Dicta applicari etiam possunt antipendio (Q.43); debent autem applicari bursæ corporalis (Q.83), dalmaticæ, tunicellæ, pluviali, et aliis (Q. 134). Quoad velum Calicis, dictum fuit (Q. 83), ipsam Missalis Rubricam præscribere ut sericum sit ; quod idem dicetur de velo humerali quo utitur Subdiaconus in Missa solemni (Q. 138).

§ 2. De forma sacrarum Vestium earumque ornatu

Q. 104. *Quænam regula observanda est pro sacrarum Vestium forma ? Quid hac de re præscribunt Statuta diœcesana ?*

R. I. De sacrarum pro Missæ Sacrificio Vestium forma nihil reperitur positive a jure statutum ; et eadem omni tempore earum forma non fuit. Hac in materia unica regula dari potest, scilicet consuetudo existens, inducta cum Ecclesiæ approbatione, non expressa quidem, sed tacita, quæ obtinetur ipso facto quod Ecclesia aliquam formam admisit et retinuit.

Idcirco nunc tamquam regula æquivalens institutioni Ecclesiæ, existit consuetudo Ecclesiæ Romanæ, quæ, inde a sæculo XVI, pro sacris Vestibus formam dictam Romanam, seu more Romano, admisit, usu probavit, et a sæculis quatuor ad hodierna usque tempora, etsi cum minoris momenti modificationibus, retinuit ; cujus formæ perdurante consuetudine et disciplina, nihil immodicum, inconsulta Sancta Sede, circa eam innovare licet. (Cfr. Pasqualigo, *De Sacrificio novæ Legis*, Tom. II, Quæst. 798, n. 1.)

II. Ex horum consideratione, sequentia præscribunt Statuta diœcesana (n. 373) : « Sacra indumenta Sacerdotum et ministrorum conformia sint præsenti Ecclesiæ Romanæ, et aliarum Ecclesiarum latini ritus usui et disciplinæ. Eapropter, si alicubi existant vestes ad stylum ut aiunt gothicum conformatæ, reducantur ad formam quæ sit modernæ disciplinæ congrua : nisi rationum momenta, a Sancta Sede approbata, eas ibi retineri posse suaserint. » Quæ hic præscribuntur pro

sacris Vestibus ad stylum gothicum conformatis, intelligentur mox ex iis quæ in sequentibus Quæstionibus 108 et 109 exponentur de forma Planetæ.

Q. 105. *Describe quæ sit forma Amictus, Albæ, et Cinguli.*

R. I. Amictus congrua longitudo erit 90 centimetrorum, latitudo 65 centimetrorum. Ad duos angulos superiores in longitudine annectuntur duæ chordulæ, singulæ longitudinis 150 centimetrorum, ut possint a pectore sub brachiis circumduci per dorsum, et ante pectus reduci, ac ibi ligari.

Chordulæ non debent, ut amictus, de præcepto esse ex lino, sed possunt esse e serico; nec requiritur pro ipsis color albus amicti, sed admitti possunt coloris rubei, vel alterius. (Cfr. Q. 120.)

II. Alba esse debet longa satis ut, ad lumbos super cingulum circumcirca elevata, honeste vestes tegere, et « ad latitudinem digiti, vel circiter, super terram æqualiter » fluere queat. (Ritus, Tit. 1, n. 3; cfr. etiam Q. 96, 3°.) Sit ergo longitudinis 160 centimetrorum, ut cuicumque Sacerdotum staturæ conveniat.

A lumbis crescat ejus amplitudo, ita ut in ima parte Alba circumquaque pateat ampla 350 centimetris, et circumplicata exhibere possit ornatum rugarum crisparum.

Manicæ debent posse duci usque ad manus, ut vestium manicas totaliter tegant; manicarum latitudo ad humeros sit circumquaque 75 centimetrorum, quæ usque ad manus sensim angustius ducatur.

III. Cingulum est funiculus, longitudinis quatuor circiter metrorum, qui communiter apud nos duplicatus ducitur circum corpus ad altitudinem lumborum, et ante pectus constringitur.

Forma funiculi servari debet, et non admittitur forma fasciæ (bande); ad dubium: « An consuetudo utendi Cingulo ad instar fasciæ tolerari possit? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit: « Tolerari potest enunciata consuetudo ubi viget, donec Cingula, hucusque adhibita, consumentur. » (Decret. 24 Novembris 1899, n. 4048, ad 6.)

Q. 106. *Qualis est forma Manipuli, et Stolæ ?*

R. I. Manipulus est fascia ejusdem materiæ quam Planeta, longitudinis unius metri, latitudinis circiter decem centimetrorum ; hæc fascia duplicatur ejusque duæ partes ad distantiam 30 centimetrorum ab extremitatibus conjunguntur in uno puncto tantum ; pars superior imponitur brachio, et ut firma remaneat, sæpius ab intus annectitur funiculus quo brachio constringitur.

Circiter 20 centimetris ab utraque extremitate latitudo fasciæ sensim extenditur, ita ut a decem centimetris ad viginti centimetrorum latitudinem utraque manipuli extrema pars perducatur. Non placeat forma semicirculi huic accretioni data in Gallia aliisque regionibus.

II. Stola est fascia ejusdem materiæ quam Planeta ; quæ a Sacerdote pro Missæ celebratione assumitur est longitudinis circiter 230 centimetrorum, ut, medio ejus collo imposito, et utraque parte ante pectus in modum Crucis transversata, extremitates dependeant usque ad genua ; latitudo ejus est circiter decem centimetrorum ; sicut in Manipulo, ita etiam in Stola utraque extrema pars latiuscule perducitur ad latitudinem viginti centimetrorum ; item sicut in Manipulo, non admittatur in extremis Stolæ partibus enormis accretio ad formam semicirculi, quæ in quibusdam Stolis absque ulla liturgica ratione aut significatione introducta fuit.

Ne collum premat imposita Stola, reperitur aliquando in suo medio acuminata, id est, aliquantum in acumen ducta ; nonnumquam chordulæ annectuntur in Stolæ medio ab intus, quæ a collo sub brachiis ducuntur ante pectus et ibi colligantur ; has, earumque usum indicat quidem Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. VIII, n. 14), eum in finem vero, ne huc et illic vagetur Stola, sed firmetur, quia Episcopus Stolam gestat, non in modum Crucis, sed æqualiter ante pectus pendentem.

Q. 107. *Indica mensuras pro forma Planetæ hodie observandas.*

R. Pro forma Planetæ, perdurante hodierna Ecclesiæ Romanæ disciplina, sequentes observandæ sunt

mensuræ : in longitudine pateat ante et retro 100 ad 110 centimetris; — latitudinem habeat ante et retro 65 ad 70 centimetrorum, admissa tamen in facie anteriori aliqua excisione ad altitudinem pectoris, pro faciliori brachiorum usu.

Reprobanda est ea Planetæ forma, quæ contra debitam majestatem, longe vix 90 centimetris, late 60 centimetris, et in anteriori parte ante pectus 30 tantum centimetris patet.

Formam dictam gothicam, sæculorum XIII, XIV et XV, et a fortiori, aliam antiquiorem veræ Casulæ, innovare, inconsulta Sancta Sede, non licet.

Q. 108. *Paucis describe diversas Planetæ formas ab initio usque ad nostra tempora.*

R. Quia circa decimi noni sæculi medium, in Anglia, in Gallia, in Germania, et in nostra patria, quin etiam in nostra Diœcesi, de forma Planetæ acriter fuit disceptatum, placet, pro clariori rerum notitia, paucis describere, quales fuerint Casulæ ab initio, et quibus veluti gradibus, labentibus sæculis, veteres Casulæ amplissimæ decrescentes, ad hanc nostrorum temporum exiguitatem pervenerint.

Ut autem magis spectatæ fiant diversæ Planetarum formæ, figuris ad vigesimam partem delineatis repræsentantur. In figuris pars Planetæ anterior superposita censetur posteriori, ut, si quæ sit, inter utramque partem differentia inspicienti appareat.

I. Casula inde nomen habet, ait S. Isidorus, quia instar parvæ casæ totum hominis corpus tegit ; et revera primitiva Casula erat pænula omnino rotunda et undique clausa, unicam in medio habens aperturam, per quam caput immittebatur ; ex omni parte æqualiter usque ad pedes circumlatim defluebat. Ut autem Sacerdos valeret libere manibus uti, necessarium erat utramque lateralem Casulæ partem super utrumque brachium, aut usque ad scapulas revolvere, et ita revolutam aut fibula subligare, aut brachiis sustinere, pendula manente usque ad pedes utraque parte anteriori et posteriori. Hinc ortum est quod, cum Sacerdos in Missa Hostiam Sacram elevans populo ostendit, minister po-

steriorem Planetæ partem extollat; hinc etiam fit, quod quibusdam per annum diebus aut temporibus, ex. gr., in Adventu et Quadragesima, Diaconus et Subdiaconus Planeta induti, Sacerdoti solemniter celebranti ministrantes, complicata in anteriori parte Planeta utantur.

Delineatur hujusmodi Casula in Figura I, in qua, cum Casula omnino rotunda sit, nullimode pars anterior a posteriori distinguitur.

I. CASULA ANTIQUA



Apud Græcos adhuc hodie in usu est hujusmodi, vel valde similis Casulæ forma; apud Latinos vero derelicta fuit, sensim inde a sæculo X, et generatim sæculo XIII; tum ob incommoda, quia in Sacrificio celebrando oportebat utrumque brachium onerare pondere revolutæ partis Casulæ; tum ob pericula irreverentiæ in Sacras Species, oriunda ex confluente nimium ante pectus vestis amplitudine, et ex onere brachiis imposito.

II. Sæculo XIII generatim, et citius quidem in particularibus locis, primitiva Casulæ forma immutata fuit, ad Sacerdotis commoditatem, ut expeditior fieret, ac facilior praxis pro multis cæremoniis apte exsequen-

dis, et ad vitanda pericula ; ideo ab utroque latere dextro et sinistro excisa et decurtata Casula tantum usque ad manus pertingebat. Ut tamen aliquo modo Casulæ super brachia revolutæ primitiva forma videretur retineri, partes anterior et posterior usque ad pedes pertingentes in acumen desinebant. Hujusmodi Casulæ delineationem exhibet Figura II.

Hæc est quæ sæculis XIII, XIV et XV generatim in usu fuit, et quæ sæpius vocatur Casula gothica, seu ad stylum gothicum conformata.

II. SÆCULIS 13° AD 15^{um}



III. Sæculo XVI, nempe ab ipsa propemodum Concilii Tridentini ætate, in Ecclesia Romana, et aliis Latini ritus per orbem Ecclesiis, iterum modificata fuit Casula, et incepit pedetentim redigi ad hodiernam, quæ Romana appellatur, formam. Diversæ ab hoc tempore fuerunt formæ, tam pro longitudine quam pro latitudine.

A) Primum hujus sæculi documentum, vim legis obtinens, est Planetæ forma a S. Carolo Borromæo descripta in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, editis circa

annum 1572 (*Instructionum Supellectilis Ecclesiasticæ Liber II*, Pars II, *De Planetis*), ubi dicitur : « Casula cubitos tres (1,30 metr.) et paulo amplius late patens sit, ita ut ab humeris projecta complicationem unius saltem palmi infra utrumque humerum recipere possit. Longe autem cubitos totidem aut aliquanto longius demissa sit, ut pene ad talos usque pertineat. » Revera hæc Planetæ forma parum differt a præcedenti ; a lateribus aliquantum magis discissa, adhuc pro parte ab humeris utrimque dependebat, cooperiebatque brachia, sed solummodo supra cubitos. Formam hanc exhibet Figura III.

III. S. CAROLI BORROMÆI.



Sæculi XVII initio, clarissimus auctor Gavantus in opere : *Thesaurus Sacrorum Rituum*, quod prodiit anno 1628, et iterum locupletatum anno 1630, affirmat a S. Carolo in Actis supracitatis describi Casulam more Ambrosiano ; an recte, dubitant non pauci, cum S. Carolus regulariter utrumque ritum Romanum et Ambrosianum in suis descriptionibus distinguat.

B) Ipse Gavantus autem dicit : « Planeta, more Romano, late pateat cubitos circiter duos (86 centim.), longe tres (1,30 metr.). (Pars V, *De mensuris propriis Sacræ Supellectilis.*) Vide Figuram IV.

Dicit quidem Gavantus, Planetam describi « more Romano », tametsi non positiva lege talis fuerit declarata ; quia illius usus adeo tunc in Ecclesia Romana obtinuerat, ut merito dici possit ea Gavanti ætate repræsentare morem Romanum, tacita Sedis Apostolicæ approbatione firmatum, constanti observatione ac consuetudine legitimum.

IV. GAVANTI.



Formæ istæ, præsertim ultima Gavanti, non amplius incommoditates importabant, quæ in præcedentibus Casulis signatæ fuerunt, cum ne brachiorum usus impediatur, nulla aut fere nulla revolutione opus sit ; sed et simul concinne ac naturaliter amplitudinem antiquarum aliquo modo præ se ferebant. Si non utramque, saltem tamen ultimam Planetæ formam certo et tuto admitti posse nemo inficiabitur, cum et ipsæ pro nova disciplina sæculo XVI inductæ, a clarissimis auctoribus hujus temporis pro more Romano propositæ reperiantur.

Hujusmodi Planetæ formas etiam hodiedum supponere videtur Cæremoniale Episcoporum, ubi dicitur (Lib. II, Cap. VIII, n. 19) : « Episcopus a ministris induitur Planeta, quæ hinc inde super brachia aptatur et revolvitur diligenter, ne illum impediat » ; nisi quis sentiat verbis his alludi ad antiqua Cæremonialia, ut aliquod antiqui ritus vestigium servaretur.

IV. Eodem sæculo XVII, labentibus annis, novæ modificationes fuerunt introductæ. Gavanti verba spiritu quidem, non littera amplexari fas esse visum fuit. Insuper ab hoc circiter tempore introductus fuit Planetæ ornatus, ex opere acu picto quidem, sed suppositis chartis et nonnumquam etiam ligno, anaglyptam (ouvrage en relief, ou en bosse ; verheven, of gedreven

werk) quasi imitando, adeo rigidus ut, manente mensura a Gavanto data pro longitudine (1,30 metr.), Planeta minus flexibilis, et incommoda pro genuflexionibus præstandis, et consequenter æquo longior videretur. Unde utraque Planetæ pars, anterior et posterior, quæ hucusque in acumen desinebat, decurtata fuit et formam semirotundam accepit; simul et in latitudine Planeta excisa magis ac magis sensim fuit.

V. ROMANA



Ab hoc tempore, Romæ et fere ubique, Planeta sequentes circiter mensuras habet: longe patet 100 ad 110 centimetris; late 65 ad 70 ctm., cum excisione tamen in facie anteriori, ad altitudinem pectoris, quæ latitudinem ibi relinquit 55 centimetrorum. Hujusmodi Planetæ formam proponit Figura V.

V. Sed et in deterius res versæ et mutatæ fuerunt, cum sæculis XVIII, et præsertim XIX, pro Planetis conficiendis assumpta fuit, loci serici mollis, materies magis solida, minus flexibilis; et subsuta insuper fuit tela rigidior; quo de veste primitus sinuosa factum fuit quasi duplex tabulatum. Unde necessario anterior Planetæ pars ad altitudinem pectoris de novo fuit resecanda, latitudo enim 55 centimetrorum, superius indicata, incommoda valde erat pro Celebrante. Et quia infra pectus retinebatur plus minusve debita latitudo, enata est quæ hodiedum viget Planetæ forma, cujus anterior facies ab artis cultoribus comparatur, audacius forsan, formæ musici instrumenti violæ. Hanc formam exhibet Figura VI.

VI. SÆCULO 18°



Imo, versus medium sæculi XIX, parcimoniæ prætextu, pro arbitratu et immodica licentia quorumdam artificum in Gallia, posterior pars ita ad angustum redacta fuit, ut et brachia ac scapulæ Sacerdotis ad Altare stantis videri possint, et in longitudine, 90 centimetra non attingente, vix ad genua protenderet. Talem vestis formam ostendit Figura VII.

VII. SÆCULO 19°



Hæc vere nova, oculis ingrata, utpote contra debitam gravitatem, unanimi voce reprobatur et rejicienda declaratur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, X, 1896, pag. 278.)

Q. 109. *Quæ reformatio formæ Planetæ tentata fuit sæculo XIX ? Quid de eo tentamine censuit S. Rituum Congregatio ?*

R. I. Cum veteres Casulæ, labentibus sæculis, a sua primitiva amplitudine ad nostrorum temporum exiguitatem pervenissent, et immodicæ Planetarum angustiæ malum e Gallia jam vicinas regiones pervaderet, huic malo occurrere volentes, circa medium sæculi decimi noni, quidam artis Christianæ cultores in Anglia, Gallia, Germania et Belgio, propria sua auctoritate, sacras Vestes, et præcipue Planetam ad stylum gothicum sæculorum XIII, XIV et XV, elegantiori quidem opere conformare cœperunt.

Episcopi locorum alii assentire licitum æstimabant ; alii earumdem Vestium usum dissuadebant. (Cfr. Litteræ Pastorales Archidiœcesis Mechliniensis, Tom. III, pag. 653) ; donec, anno 1859, Episcopus Monasteriensis litteras dedit S. Rituum Congregationi, juxta sensa amatorum sacræ antiquitatis. Litteræ pro voto fuerunt traditæ Rmo Dno Joanni Corazza, Apostolicarum Cæremoniarum Magistro ; longissima disceptatione, minus fortasse suaviter, ut ipse fatetur, sententiam dedit contrariam eorum placitis, quos notat intemperantes innovationum amatores, peccantes in exaggerata mentis opinione, ac ferventi impetu erga res medii ævi.

Etenim proposuit : 1° non esse tolerandam Planetæ formam gothicam, sed potius tollendam ; 2° Planetam more Romano, in præsenti Ecclesiæ Latinæ disciplina, habendam omnino esse tamquam regulam, cui omnes alias Ecclesias opus sit conformari ; et in posterum Planetas ad prædictam mensuram et formam esse omnino conficiendas.

Litteræ Episcopi Monasteriensis, et Summarium super ipsis S. Rituum Congregationi oblatum, nullibi evulgata reperiuntur ; disceptatio autem Rmi Dni Corazza publici juris facta fuit anno 1888, in Ephemeride: Analecta juris Pontificii.(27ª Series, col. 867 ad 892, et col. 965 ad 1016.)

II. Auctore consilii, ut aliqui affirmant, ipso Summo Pontifice Pio IX (cfr. Barbier de Montault, *Le Costume et les usages ecclésiastiques*, Paris, Tom. II, 1901, pag. 27), S. Rituum Congregatio, omittens summo jure, sicuti citato voto propositum fuerat, contendere, remissiore animo agendum esse arbitrata est ; et die 21 Augusti 1863, Emus Dnus Cardinalis Patrizi, Præfectus, Litteras misit variis Episcopis, et nominatim Emo Dno Cardinali Archiepiscopo Mechliniensi, sequentis quoad præsentem quæstionem tenoris.

« Quum, renunciantibus nonnullis Rmis Episcopis, aliisque Ecclesiasticis, et Laicis viris, Sanctam Sedem non lateret quasdam in Anglia, Galliis, Germania, et Belgio Diœceses immutasse formam sacrarum Vestium, quæ in celebratione Sacrosancti Missæ Sacrificii adhibentur, easque ad stylum, quem dicunt gothicum, elegantiori quidem opere conformasse ;.... Sacra Congregatio legitimis pro tuendis Ritibus præposita, super hujusmodi immutationibus accuratum examen instituere haud prætermisit. »

« Ex hoc porro examine quamvis eadem Sacra Congregatio probe nosceret, sacras illas Vestes stylum gothicum præ se ferentes, præcipue sæculis XIII, XIV, et XV obtinuisse, æque tamen animadvertit Ecclesiam Romanam, aliasque latini ritus per orbem Ecclesias, Sede Apostolica minime reclamante, a sæculo XVI, nempe ab ipsa propemodum Concilii Tridentini ætate, usque ad nostra hæc tempora illarum reliquisse usum ;

proindeque, eadem perdurante disciplina, necnon Sancta Sede inconsulta, nihil innovari posse censuit ; uti pluries Summi Pontifices in suis edocuere Constitutionibus, sapienter monentes, immutationes istas, utpote probato Ecclesiæ mori contrarias, sæpe perturbationes producere posse, et fidelium animos in admirationem inducere. »

« Sed quoniam Sacrorum Rituum Congregatio arbitratur alicujus ponderis esse posse rationes, quæ præsentem immutationem persuaserunt, hinc, audito Sanctissimi Domini Nostri Pii Papæ IX oraculo, verbis amantissimis invitare censuit Eminentiam Vestram, ut, quatenus in sua Diœcesi hujusmodi immutationes locum habuerint, rationes ipsas exponere velit, quæ illis causam dederunt. » (Cfr. Litteræ Pastorales Archidiœcesis Mechliniensis, Tom. III, pag. 652, 653.)

Nota. Debita cum observantia acceptæ fuerunt istæ Litteræ. Ex collatione terminorum harum Litterarum cum solutionibus a Rmo Dno Corazza S. Rituum Congregationi propositis, quæ, ut dictum fuit, hucusque ignotæ, anno 1888 tantum publici juris factæ sunt, statim patet, ad solamen amicorum sacræ antiquitatis, S. Rituum Congregationem mitius egisse : etenim, si ex una parte inductum inde a sæculo XVI, et probatum Ecclesiæ Romanæ morem ab innovatione tuetur, quæ inconsulta Sancta Sede facta fuerat : — ab altera parte, sententias a Rmo Dno Corazza propositas, et aliquo modo summum jus statuentes, non censuit esse ferendas : imo, definitivam prohibitionem Planetæ ad stylum gothicum conformatæ non tulit, apertam relinquens rationibus forte in favorem exponendis viam.

Ex parte nostræ Diœcesis Mechliniensis, anno 1863, nullæ rationes in favorem fuerunt expositæ, neque S. Rituum Congregationi transmissæ. Utrum ex alia Diœcesi unquam fuerint rationes S. Congregationi expositæ, nullum publici juris documentum affirmare, aut supponere permittit.

Interim notum est, in Anglia et Germania, etiam hodiedum confici Planetas, et admitti, quæ formam a Gavanto pro more Romano descriptam (cfr. Q. 108, III, B, et Figura IV), imo formam a S. Carolo Borromæo propositam (cfr. Q. 108, III, A, et Figura III) imitantur et præ se ferunt. An ita fiat consulta, aut inconsulta Sancta Sede, ut supra dictum fuit, nescitur. Forsan rationes Sanctæ Sedi expositas, vel exponendas, pr[illegible] forma Planetæ, juxta litteram et non solum juxta spiritum Gavanti more Romano, imo, juxta descriptionem S. Caroli Borromæi conficiendæ, speratum a cultoribus Christianæ artis benignum Sanctæ Sedis favorem explicitæ approbationis, in quantum ea indigeat, exspectare posse, ex præmissis concludere licebit.

Forma Planetæ autem dicta gothica, quæ ad Orientalem similitudine magis accedit, probabile est quod numquam admittatur; quod et iterum patet ex Litteris Emi Dni Cardinalis Simeoni, Præfecti Congregationis de Propaganda Fide, ad Episcopos Ecclesiæ Latinæ, et nominatim ad Emum Dnum Cardinalem Archiepiscopum Mechliniensem, die 23 Augusti 1889, missis, in quibus quæstio est de Planetis Missionariorum Latini ritus in Orientalibus partibus, et dicitur: « Quod ad ornamenta gothicæ formæ pro Latinis attinet, et approbari nullo modo possunt, et interdicentur a Sacra Congregatione, si qui ea in missionibus adhibuerint. Eminentiam Tuam ideirco rogo, ut monendas cures eas societates, quæ illa parant, ne oleum et operam perdant. » (Cfr. Litteræ Pastorales Archidiœcesis Mechliniensis, Tom. XI, pag. 83.)

§ 3. De sacrarum Vestium ornatu

Q. 110. *Quis ornatus præscribitur in Amictu?*

R. In medio Amictus designari debet parva Crux, quam quicumque Amictum accipit, antequam illum capiti imponat, prius osculatur.

Dicit enim Rubrica Missalis quod Sacerdos, accedens ante Missam ad Paramenta, acceptum ambabus manibus Amictum osculatur « in medio ubi est Crux » (Ritus, Tit. I, n. 3) : et Cæremoniale Episcoporum de Amictu dicit quod « Crucis figura carere non debet » (Lib. I, Cap. IX, n. 1) : et alio loco præscribit Amictum esse « osculandum in medio, ubi est designata parva Crux. » (Lib. II, Cap. VIII, n. 12.)

« In medio » Amictus debet apponi hæc Crux : per illud « in medio » S. Carolus Borromæus, et Gavantus intelligunt, non medium totius Amictus, sed medium partis ejus superioris, in cujus angulis assuti sunt funiculi, et quæ collum ambit ; et designatur Crux ad distantiam duorum digitorum a fimbria superiori Amictus. — Hodie plures auctores intelligunt Rubricam qualiter ipsa dicit, et præscribunt Crucem apponendam in medio totius Amictus, sicuti Romæ regulariter fit.

Hæc parva Crux acu pingitur, plerumque in colore rubeo ; alius color si placet non prohibetur. Animadvertendum est Crucem post repetitas lotiones Amictus non raro quasi invisibilem esse, ideoque curandum ut aliquando renovetur.

Licitum profecto est aliquo modesto opere acu picto,

et qui placet colore, vel tenui texto denticulato ornare fimbrias tres Amictus, quarta excepta qua vestium collaria teguntur, in qua ornatus superfluus et incongruus est.

Medio ævo, inde a sæculo XI, in superiori parte Amictus sæpe assuebatur fascia, ornata auro aut serico, quæ tamquam collare quoddam circa collum supra Planetam aptabatur ; hujusmodi ornatus vocabatur *parura, plaga, aurifrisium* ; ipsum videre est in multis medii ævi monumentis. Communiter derelictus fuit hic ornatus a sæculo XVI ; attamen S. Carolus ipsum adhuc describit (*Instructiones supellectilis ecclesiasticæ,* Pars II, De Amictu) ; unde forsan, ipso deficiente, designat locum Crucis apponendæ esse medium partis superioris Amictus. Hanc fasciam, seu paruram sacræ antiquitati prorsus fuisse ignotam notat Benedictus XIV. (*De Sacrosancto Sacrificio Missæ,* Lib. I, Cap. VII, n. 5.) Ipsam de novo introducere, quod quidam artis Christianæ medii ævi amatores in Germania et Anglia tentarunt, inconsulta Sancta Sede non licere dicendum est.

Q. III. *Describe diversos ornatus Albæ appositos.*

R. I. A quo præcise tempore cœperit admitti in quibusdam Albis ornatus, determinari non potest ; sed certum est a sæculo saltem XI in usu fuisse Albas paratas, seu aurifrisiatas. Servatur Ultrajecti Alba reperta in sepulchro S. Bernulphi, Episcopi Ultrajectensis († 1056) ; hæc ornatur angustis clavis, insuper aurifrisiis in collo et in extremis manicis, et ejus fimbria circumcirca ornata est aurifrisio longitudinis 39 centimetrorum. (Figuram vide apud Reusens : *Eléments d'archéologie chrétienne,* Tom. I, pag. 519, fig. 573.) Hujus Albæ ornatus talis est qui testificatur non aliquod primum tentamen, sed consuetudinem pro pretiosioribus saltem Albis existentem.

II. Sæculo XII adhibitus fuit ornatus, cujus Innocentius III, Summus Pontifex, primus inter auctores meminit. (*De Sacro Altaris Mysterio,* Lib. I, Cap. LI.) In extrema Alba, ab anteriori ac posteriori parte, et in extremitate manicarum assutæ fuerunt fasciæ quadratæ oblongæ, panni serici colorati, auro ornatæ ; in extrema Alba erant istæ fasciæ latitudinis circiter 40 centimetrorum, longitudinis circiter 15 centimetrorum ; vocabantur *grammatæ, aurifrisiæ, paruræ, plagulæ.* His respondebat ornatus Amictus, de quo dictum fuit in Quæstione præcedenti.

Hic ornatus, non raro valde pretiosus, in usu fuit usque ad sæculum XVI ; illum adhuc describit S. Carolus Borromæus : « In ima parte Albæ a fronte et a tergo, et itidem in extremis ejus manicis, quadræ particulæ (quas grammatas seu auriphrygium appellant) panni serici, qui coloris et panni ejusdem ut Casula sit, recte assuantur. Quæ grammatæ circumquaque fimbriis densis exornatæ sint. » (*Instructiones supellectilis ecclesiasticæ*, Pars II, De Alba.) — In Anglia quidam tentarunt de novo illum ornatum introducere ; et nostri hodierni pictores, in vitris coloratis præsertim, amant figuras Sanctorum Episcoporum eo cum ornatu in Alba proponere ; sed præsens Ecclesiæ disciplina, a sæculo XVI, extra usum posuit illum ornatum.

III. Medio ævo videtur etiam fimbriæ Albæ circumcirca, et extremis manicis impositum fuisse ornatum in ipsa tela Albæ, opere phrygio acu pictum serico coloris rubri, vel viridis, vel cærulei ; ad quem referri possunt sequentia quæ de Albæ ornatu præscribit Gavantus : « In summa veste, et in extremis manicis, aliquid dumtaxat sit acu paululum, ac tenuiter elaboratum ; nimius enim labor in his ornandis vanitatem sapit, et levitatem. » (*Thesaurus Sacrorum Rituum*, Romæ, 1630, Tom. II, Pars V, *De mensuris*.) Hæc verba tamen referri etiam possunt ad ornatum texti denticulati, de quo infra. — Hujusmodi ornatus abhinc quinquaginta circiter annis iterum Albis imponi cœpit in Anglia præsertim, et in Germania, et etiam in nostra patria.

IV. Sæculo XVI introductus fuit ornatus texti denticulati, appositus circumcirca fimbriæ, et etiam sed rarius extremis manicis Albæ. Ad hoc genus ornatus, potius quam ad opus phrygium, referri verba Gavanti superius citata putant plures auctores. Hujusmodi ornatus conveniens, aptus et decorus dicendus est, modo intra debitos limites retineatur, et debita in ejus confectione materia, linum scilicet, ea quantitate adhibeatur, ut Alba semper linea saltem principaliter remaneat.

Textum denticulatum (dentelle, kant) est opus manu subtiliter e tenuissimis filis lineis confectum, pellucidum, et in cujus reticulo figurantur communiter fo-

lia, flores, fructus quidam, rarius aliæ res. — Quamdiu hujusmodi ornatus manu confectus fuit, pretiosus erat ; unde præscriptum Gavanti de tenuiter elaborato opere plerumque servabatur, et rarius est reperire Albas quarum ornatus manufactus in fimbria longitudinem 50 centimetrorum attingit. — Sed inde a medio sæculo XIX, mechanica industria producere incepit texta denticulata, quorum materia plerumque est, non linum, sed gossypium ; et hodie minimo pretio emi possunt texta denticulata, quæ ficto suo apparatu quidem emicant, sed in se nullius valoris sunt, et e materia non debita, imo prohibita. Quid jam clamaret bonus noster Gavantus de vanitate et levitate, si videret quasdam ex nostris Albis, in quibus appositum videtur « aliquid dumtaxat » longitudinis unius circiter metri ! Et quid jam dicendum de liceitate usus hujusmodi vestis, cujus major fere pars confecta est ex materia prohibita gossypii ? Flandri hujusmodi textum vocant judaïcum (jodenkant) ; quali nomine appellanda est levitas illorum qui hujusmodi res ad Sanctissimum Missæ Sacrificium celebrandum adhibent ?

Texta denticulata in nostra patria confecta, ex artificii subtilitate et præstantia, a sæculo jam XVII, summa in æstimatione ubique gentium habita fuerunt, et etiam hodie habentur. Floruit hæc industria maxime primum Brugis Flandrorum, deinde Bruxellis, et Mechliniæ. Plura de his notata vide apud Reusens : *Eléments d'archéologie chrétienne*, Tom. II, 1886, pag. 590.

In multis nostrarum Ecclesiarum reperiuntur præteritorum sæculorum texta denticulata pretiosissima, Albis aliisque supellectilibus ad ornatum apposita ; quæ omnino oportet ut summa cura conserventur, sedula prudentia tractentur, et nonnisi peritis manibus reconcinnanda tradentur, ac non Judæis, aut aliis qui vocantur antiquarii venumdentur.

V. Quia texta denticulata præ operis subtilitate pellucida sunt, apparet color vestis suppositæ ; unde incepit, ad faciliorem usum, in extremis manicis Albæ sub textu denticulato, seu reticulo supponi pannus sericeus, qui vocatur « paramanus », coloris ornatus vestis talaris relativæ dignitatis ; pro Cardinalibus suppositus fuit fundus coloris rubri (écarlate), pro Episcopis rubini (cramoisi, amarante), pro quibusdam Prælatis

violacei, pro Sacerdotibus nigri. Rarius nostri Sacerdotes hunc paramanus ornatum admiserunt.

Q. 112. *Quænam est hodierna disciplina pro ornatu Albæ?*

R. I. Ad grammatas seu paruras (cfr. Q. 111, II) referri profecto debent ea quæ de Planetarum forma dicta fuerunt (cfr. Q. 109, II), scilicet, Ecclesiam Romanam, aliasque Latini Ritus Ecclesias, a sæculo XVI usque ad nostra tempora illarum reliquisse usum ; proindeque, eadem perdurante disciplina, necnon Sancta Sede inconsulta, nihil innovari posse ; cum earum usus, utpote probato Ecclesiæ mori contrarius, fidelium animos in admirationem inducere posset.

II. Opus phrygium acu pictum in ipsa Albæ tela, serico coloris rubri, vel viridis, vel cærulei (cfr. Q. 111, III), hucusque quidam, et plurimi quidem auctores non admiserant in fimbriis et manicis Albarum ; sed ex Decreto S. Rituum Congregationis, 12 Julii 1892, quod infra (III, C) describitur, videtur dicendum hujusmodi ornatum posse tolerari. Etenim si fundus coloratus supponi potest operi phrygio, non perperam in casu æstimabitur tolerari colorem etiam in ipso opere phrygio ; subtilissima distinctio vix posset unum tolerare, alterum reprobare.

III. Pro ornatu texti denticulati vix dici potest disciplinam aliquam amplius existere. Sequentia ea super re decrevit S. Rituum Congregatio :

A) Quoad longitudinem texti denticulati in fimbria Albæ, proposito dubio : « Num Canonicis Missam celebrantibus, solemnioribus diebus, cum vel sine assistentia Episcopi, liceat uti Alba ornata fimbriis seu reticulo a cingulo deorsum ? » S. Congregatio respondendum censuit, et declaravit : « Tolerari posse. » (Decret. 16 Junii 1893, n. 3804, ad 12.)

Verba « a cingulo deorsum » credimus intelligenda, quod reticulum sit ejus longitudinis, ut incipiat a cingulo et dependeat usque ad terram, ideoque sit longitudinis circiter 75 centimetrorum : « aliquid dumtaxat », diceret Gavantus ! Remanet pro parte Albæ ex tela confecta longitudo 80 centimetrorum.

Qui opibus gaudent possunt acquirere hujus longitudinis reticula quæ decent et congruunt, et alicujus pretii seu valoris sunt ; sed valde timendum est, ne nimius labor, qui « vanitatem

sapit et levitatem », alios incitet ad acquirenda ejusdem longitudinis reticula, mechanici operis, quæ nullius sunt valoris ; et ne via lata jam sit aperta abusui materiæ prohibitæ : constat enim pleraque hujusmodi reticula esse ex gossypio confecta.

Dici quidem potest a Sacra Congregatione sine dubio præsupponi materiam debitam lini ; sed sapienter ad cautelam potuisset expresse adjungi hoc suppositum declarationi tolerantiæ.

B) Quoad ornatum texti denticulati, seu ea quæ in ipso figurantur, sequenti dubio : « An in Tobaleis Altarium, in Albis, et in superpelliceis tolerari possint vela transparentia, quæ repræsentent Cruces, Ostensoria, Calices cum Hostia, figuras Angelorum, et alia similia sacra objecta ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Posse permitti. » (Decret. 5 Decembris 1868, n. 3191, ad 5, antiq. 5419, ad 6.)

Utinam nullus ex nostris Sacerdotibus hac tolerantia utatur ! Minus convenire enim videtur, si Sacerdos tali cum ornatu genuflectens, genu premat figuratum Ostensorium, aut Calicem cum Hostia ; quod dictum fuit pro tapetis (cfr. Q. 67, Nota 1°), ad præsentem casum etiam referri potest, nempe dedecere omnino ut rerum sacrarum figuræ conculcentur ; ideo rite æstimabitur hic non esse locum talia sacra figurandi, et talem ornatum non esse apud nos introducendum.

C) Quoad fundum coloratum texto denticulato suppositum, notatum fuit (cfr. Q. 111, V) quod a quibusdam adhibetur in extremis manicis Albæ sub reticulo fundus coloris vestis talaris relativæ dignitatis ; videtur vero quod in quibusdam regionibus, ex. gr., in Italia et in Hispania, fundus coloratus non solum supponitur in extremis manicis, sed quod etiam in fimbriis Albæ sub velo transparenti fundus coloratus, et quidem præsertim rubeus apponitur, et quod simplices Sacerdotes hujusmodi Albas pro Missæ celebratione induunt. Vix credibilis nobis videtur talis simulatio vestis Cardinalitiæ dignitatis. Non semel S. Rituum Congregatio responderat hoc non licere. (Decreta 17 Augusti 1833, n. antiq. 4718, ad 5 ; et 5 Decembris 1868, n. antiq. 5419, ad 6.) Sed ecce e nova Decretorum editione hæc duo Decreta expuncta fuerunt, et sequentia fuerunt publicata :

Ad dubium : « Num tolerari possit, ut fundus colo-

ratus supponatur textili denticulato vel operi phrygio, in manicis et fimbriis Albarum, necnon in manicis rochetti ? » S. Congregatio respondit : « Quoad manicas et fimbrias Albarum, Affirmative ; quoad manicas autem in rochettis, fundum esse posse coloris vestis talaris relativæ dignitatis. » (Decret. 12 Julii 1892, n. 3780, ad 5.) De rochettis dicetur postea (Q. 142) ; hic tantum de Albis nobis est dicendum.

Ad dubium : « An toleranda consuetudo utendi fundo cærulei coloris sub velo translucenti in fimbriis et manicis Albarum ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative ; et detur Decretum sub n. 3780, diei 12 Julii 1892, ad 5. » (Decret. 24 Novembris 1899, n. 4048, ad 7.)

Forsan non accurate aut recte intelligimus terminos : fimbriæ Albæ tamen sunt fimbriæ, nempe ora inferior quæ circumcirca super terram æqualiter fluit (Ritus, Tit. I, n. 3) ; et agitur non solum de fimbriis manicarum, sed distincte de manicis, et de fimbriis ; toleratur suppositus color quicumque, imo color non liturgicus, nempe cæruleus.

Remanet notandum consuetudinem hujusmodi apud nos non existere, ac fundum coloratum in fimbriis Albæ omnino ignotum esse ; et sperandum quod nullus ex nostris Sacerdotibus umquam audeat ejus usu fidelium animos in admirationem inducere.

Si S. Rituum Congregatio tolerat hanc consuetudinem ubi existit, forsan coacta, et impotens cohibere invadentem usum in quibusdam regionibus, regula sint et maneant pro nobis verba Gavanti, in præcedenti responso citata : « In summa veste, et in extremis manicis aliquid dumtaxat sit acu paululum, ac tenuiter elaboratum ; nimius enim labor in his ornandis vanitatem sapit, et levitatem. »

Q. 113. *Quis est ornatus Cinguli ?*

R. De ornatu Cinguli nihil expresse præscribunt nec Rubricæ nec Decreta.

Antiquitus, cum Cingulum aliquando ad modum fasciæ confectum erat, non raro decorabatur pretioso ornatu ex auro gemmisque ; generatim tamen simplex erat, cum ornatui vix in funiculo detur locus.

Hodie Cinguli extremitates ornantur globulis lineis, cum appensis ejusdem materiæ filamentorum manipulis, quod floccos dicunt. Pro solemnioribus Festis, aliquando Romæ adhibentur Cingula, in quorum floccis aurum intextum est.

Iterum a novitatibus quæ introducuntur cavendum est; in Gallia enim fascia (quam non tolerari dictum fuit Q. 105) cum suo ornatu recenter apparuit; item flocci ibidem a quibusdam monialibus taliter quoad formam mutati fuerunt, ut extremitatibus stolæ similes fiant. (Cfr. Barbier de Montault, *Le Costume et les usages ecclésiastiques*, Tom. II, 1901, pag. 242 et sqq.) Non multum jam abest quin pro floccis nostris simuletur aliquis ornatus in Ritibus Orientalibus quibusdam usitatus (ἐπιγονάτιον), cujus imago forsan bonis monialibus signum dederit perfectioris ornatus nostri Cinguli simplicioris. (Cfr. Battandier, *Annuaire Pontifical Catholique*, 1903, pag. 365.)

Q. 114. *Quis ornatus præscribitur pro Manipulo et Stola?*

R. Pro Manipulo et Stola præscribitur a Rubricis ornatus Crucis, in eorum medio qualicumque modo figuratæ, quam Sacerdos deosculari debet priusquam has sacras vestes assumat. (Ritus, Tit. I, n. 3; et Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. IX, n. 1.)

Hæc Crux communiter fit formæ quadratæ, quam græcam dicunt, cujus quatuor partes omnino similes sunt; annectitur in harum Vestium medio ita ut imposito Manipulo Crux pateat super brachium, et assumpta Stola, sit ad colli medium Crux posita.

Gavantus requirit ut in Manipulo et Stola, præter Crucem in medio, insuper annectantur duæ aliæ Cruces in harum Vestium extremis partibus; quod suo tempore « de more » jam fieri notat. (*Thesaurus sacrorum Rituum*, Romæ, 1630, Tom. II, Pars V, *De mensuris.*)

Forma harum Crucium eadem erit quam ejus quæ in utriusque vestis medio posita est; attamen, si placet, magis ornatæ ipsæ esse possunt.

Romæ apponuntur istæ duæ Cruces, non in utriusque extremitatis parte media quæ aliquanto latior est (cfr. Q. 106), sed paulo altius, ubi extremitas incipit sensim latiuscule patere.

Insuper ornantur ambæ extremitates Manipuli et Stolæ laciniis, seu frangiis, ex auro vel ex serico.

Illæ Stolæ quæ non transversantur ante pectus in modum Crucis, sed æqualiter ante pectus usque ad genua pendent, ornantur generatim ante pectus cordula, seu funiculo cum floccis, vel etiam aliqua fascia ; ut ita quodammodo Stola firmari possit, ne huc et illuc vagetur, aut non æqualiter pendeat. De his nihil speciale præscriptum reperitur.

Q. 115. *Paucis describe ornatum Planetæ appositum.*

R. Planetæ ornatus diversus diversis temporibus et locis fuit, et hodiedum adhuc est.

I. Antiquitus fascia tenuis, operis diversi et plerumque pretiosioris, in medio utriusque partis, anterioris et posterioris Casulæ a summo usque ad extremum ad modum columnæ assuta fuit, et aliquando etiam ducta circumcirca aperturam ad collum. (Cfr. Fig. I.)

I. CASULA ANTIQUA.



II. Tempore medii ævi addita fuit et altera fascia, ejusdem quam præcedentis columnæ operis, ab utroque humero defluens, sed ante pectus et in dorso ducta, fasciæque rectæ quam intersecat conjuncta ; ita ut

totus Casulæ ornatus, anterior simul et posterior, Crucis patibulatæ speciem præ se ferat. (Cfr. Fig. II.)

II. SÆCULIS 13° AD 15^{um}.



Hunc sui ævi Casulæ ornatum, in anteriori et posteriori parte quasi Crucem figurantem, sequenti modo explicat Thomas a Kempis, in libro *De Imitatione Christi* (Lib. IV. Cap. V, n. 3) : « Sacerdos sacris vestibus indutus, Christi vices gerit, ut Deum pro se et pro omni populo suppliciter et humiliter roget. Habet ante se et retro Dominicæ Crucis signum, ad memorandam jugiter Christi passionem. Ante se Crucem in Casula portat, ut Christi vestigia diligenter inspiciat, et sequi ferventer studeat. Post se Cruce signatus est, ut adversa quælibet ab aliis illata, clementer pro Deo toleret. Ante se Crucem gerit, ut propria peccata lugeat : post se, ut aliorum etiam commissa per compassionem defleat, et se medium inter Deum et peccatorem constitutum esse sciat, nec ab oratione et oblatione sancta torpescat donec gratiam et misericordiam impetrare mereatur. »

III. Sanctus Carolus Borromæus, sæculo XVI, Casulæ ornatum describens, primum indicat fasciam rectam, ad modum columnæ ab utraque parte ductam : et addit : « cui altera fascia transversalis in summa prope parte, et a fronte et a tergo adjuncta, Crucem utrimque

exprimat. » (*Instructiones Fabricæ Ecclesiasticæ*, Lib. II, P. II, Tit. *De Planeta.*) Itaque eo tempore altera fascia jam non amplius ab humeris defluxit, sed transversalis adjungitur separatim et in fronte et a tergo, eo modo ut Crucis immissæ figura duplex habeatur, una a parte anteriori, altera a posteriori parte. Latitudinem fasciæ præscribit S. Carolus unciarum octo, seu 15 centimetrorum. (Cfr. Fig. III.)

III. S. CAROLI BORROMÆI.

Hujusmodi Casula juxta S. Carolum descripta, necnon ornatus utriusque Crucis immissæ in anteriori et posteriori parte, proponitur in figuris Pontificalis Romani, Venetiis apud Juntas anno 1572 impressi, et S. Pio V. Romano Pontifici, qui Missale Romanum restituit, dicati.

IV. Sæculo XVII, Gavantus in Planeta, more Romano, requirit ut fascia « columnæ speciem a tergo, et Crucis ante pectus effingat. » (*Thesaurus sacrorum Rituum*, Pars V, *De mensuris propriis sacræ supellectilis.*) Erant Planetæ, ait idem alio loco (Pars II, Tit. I, n. 5), « olim cum Cruce etiam in parte posteriori ; nunc cum columnæ potius specie, recentiori usu, quæ et ad Pas-

sionem Domini spectat, quasi Sacerdos sit inter columnam et Crucem Christi. » (Cfr. Fig. IV et V.)

GAVANTI

IV. a tergo. V. ante pectus. VI. ante pectus.



Inspicienti æneas figuras Pontificalis Romani, anno 1595 Romæ impressi, et a Clemente VIII anno 1596 recogniti (quas figuras Summus Pontifex speciatim in approbatione citat), necnon Cæremonialis Episcoporum, ab eodem Summo Pontifice anno 1600 editi et Romæ impressi, patet Crucem in anteriori Planetæ parte tunc temporis fuisse etiam immissam. (Cfr. Fig. V.) Attamen ab eodem tempore, vel non longe post, Crucis commissæ assumpta etiam fuit forma, ex quo sensim apertura per quam caput immittitur, infra collum usque ad summum pectus deduci cœpit. (Cfr. Fig. VI.)

V. Hodiedum Romæ, et per Italiam generatim, et per alia loca minus frequenter, effingitur columnæ figura a tergo (cfr. Fig. VII), et Crucis commissæ ante pectus. (Cfr. Fig. VIII, IX.)

In Hispania quidem in Planeta hodie apponitur tantum columna, ante et retro, nulla autem Crucis figura.

Apud nos, in majori parte Galliæ, in Germania, et alibi, si quædam apud nonnullas Ecclesias a Roma asportatæ Planetæ excipiantur, generatim, inverso a

ROMANA

VII. a tergo. VIII. ante pectus. IX. ante pectus.



NOSTRA

X. ante pectus. XI. a tergo.



Romano modo et qui a sæculo XVII certe in constanti usu est, Planetæ fasciæ ita sunt dispositæ, ut columna sit ante pectus, Crux immissa a tergo. (Cfr. Fig. X, XI.)

Nota. Mirum videri potest, quod tanta varietas adhuc hodie toleretur in ornatu Planetæ, vel potius quod nulla præter locorum consuetudinem specialis disciplinæ regula hac de re existat.

Major quoque incedit forsan admiratio, quod de hac ornatus, qui fidelium oculos præcipue captat, varietate

nihil jam statuatur, dum e contra de forma ipsius Planetæ S. Rituum Congregatio tantam curam habeat, quemadmodum præcedenti Quæstione 109 expositum fuit. Hujus ratio forte est, quod hic fasciæ ornatus, qualiscumque sit, in Planeta accessorium tantum quid est, etiamsi in fidelium æstimatione, et habita ratione pretiositatis, majoris momenti sæpe videatur; dum e contra ipsa Vestis sacra, quæ Planeta est, in qua fascia tamquam accessorius ornatus admittitur, res præcipua æstimari debet, et revera est, de cujus forma cæterisque conditionibus magis sollicitam quam de accidentali ornatu esse oportet Ecclesiæ disciplinam.

Quoad ipsius fasciæ ornatum, sive columnæ, sive Crucis immissæ, aut commissæ, aut patibulatæ formam habeat, notare juvat, pulcherrima, sed eheu! rarissima remanere exemplaria ex antiquis et mediævis temporibus, quæ tamquam testimonia supersunt summæ æstimationis quæ tunc exstabat sacrorum Paramentorum; opere enim acu picto mirabili repræsentantur in antiquioribus Planetis Cruces, aliave motiva decorativa, et etiam, licet rarius, imagines; medio ævo autem apparent effigies Christi Domini, vel imagines Mysteriorum quæ ad Sacrificium referuntur, quibus sæpe adjunguntur effigies Sanctorum, sive quatuor Evangelistarum, sive Angelorum, sive Sanctorum Patronorum. Quæ in quibusdam Ecclesiis remanent hujusmodi reliquiæ, etiamsi longo usu laceræ et obsoletæ, summa cura sunt conservandæ, et, si restaurari adhuc valent, artificis nonnisi peritissimi solertiæ sunt committendæ.

Sæculo XVII cœpit fasciis apponi ornatus minus commendandus, qui præfert flores, et frondes, et circulos, aliaque motiva, exterius quidem ex auro obducto, sed interius ex materia semper viliori et indecenti; quo fit ut hujusmodi ornatus crassitiem unius centimetri et amplius, imo sæpe duorum centimetrorum acquirat, et proinde usus Planetæ, aut Paramentorum difficilior ex pondere et rigiditate fiat.

Supradicta referuntur ad Planetas pretiosiores, aliaque Paramenta ornata, quæ in solemnitatibus adhibentur.

Pro Planetis quotidiani usus vero, ornatus fasciarum generatim panno intextus reperitur, et in eis conficiendis et acquirendis etiam bonæ artis judicium rectum prævaleat oportet. Minus pretiosæ jam sint; præstat enim simplicioris ornatus Paramenta habere, quæ nitoris gratia debito tempore renovari queant, quam pretiosiora et magis ornata, quæ munda non forent, et ob fabricæ paupertatem renovari, ubi necesse est aut convenit, non possent.

Aliquando, cum materia ipsius Planetæ est tela pretiosissima, vel etiam cum adhibetur communis pro quotidiano usu, fasciæ speciales, seu specialiter ornatæ non usuveniunt, sed earum li-

mites indicantur appositis tantum limbis (galon), ex auro vel serico. Hujusmodi limbi etiam communiter apponuntur, seu assuuntur in extremitate Planetæ circumcirca, et ad colli aperturam.

Q. 116. *Quid de sacrarum Vestium ornatu notant Rubricæ et Decreta?*

R. I. Rubricæ Missalis de ornatu sacrarum Vestium nihil speciale præscribunt, sed in genere requirunt in ipsis integritatem, pulchritudinem, et munditiam; quæ munditiæ qualitas in præcedentibus jam non semel pro aliis supellectilibus indicata fuit et commendata tamquam præcipuus, et de quo Sacerdotes sollicitiores sint oportet, ornatus. De sacris Paramentis dicit Rubrica quod « non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, et decenter munda, ac pulchra. » (Ritus, Tit. I, n. 2.)

II. Pro Missis Defunctorum, seu de *Requiem*, speciatim præcipit Cæremoniale Episcoporum, quod in Paramentis nigris Celebrantis et ministrorum « nullæ imagines mortuorum, vel cruces albæ ponantur. » (Lib. II, Cap. XI, n. 1.) Animadvertendum etiam est, ne motiva ornatus in Paramentis nigris intexta, aut acu picta, sint pagana potius quam Christiana.

III. Aliquando familiæ nobiles in sacris Vestibus a se donatis ornatui apponunt stemmata gentilitia familiæ. Ex responso S. Rituum Congregationis patet, non obstare Decreta huic stemmatum appositioni. (Cfr. Decret. 7 Decembris 1844, n. 2875, antiq. 4989.)

In Planetis stemma congruentius acu vel alio modo pingetur in infima parte fasciæ posterioris, seu, more Romano, columnæ, more nostro, Crucis.

In Stolis sæculo XVI apposita reperiuntur stemmata in utraque extremitate latiori, sub Cruce. Sed hodie videtur esse solius Summi Pontificis habere stemmata in Stola; repræsentantur in hac Stola in utraque parte ad altitudinem pectoris. (Cfr. Barbier de Montault, *Le Costume et les usages ecclésiastiques*, Tom. II, 1901, pag. 81 pro Planeta, pag. 96 pro Stola.)

IV. Effigies duorum Cordium, vel solius SS. Cordis Jesu figura, vel solius Cordis B. Mariæ Virginis, non raro in Planetarum fasciis acu pictæ vel intextæ proponuntur. In præcedentibus jam allatum fuit S. Ri-

tuum Congregationis Decretum, quo rescripsit « ejusmodi emblemata, privata ex devotione, permitti posse ; dummodo Altaribus non apponantur. » (Decret. 5 Aprilis 1879, n. 3492, antiq. 5780 ; cfr. Q. 43, III.) Ergo non apponantur hujusmodi effigies Planetis, aliisve sacris Vestibus.

V. Nonnumquam hodie in fasciis Planetæ, vel aliarum sacrarum Vestium, ornatus pingitur, non acu, sed penicilli ope, quo picturæ modo præsertim delectantur piæ feminæ. De hoc ornatu S. Rituum sequentia declaravit :

Ad dubium : « Num tolerari possint Planetæ ex panno serico, frondibus floribusque, uti assolet, ornatæ, partim acu pictis, partim vero coloribus penicilli ope ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Tolerari posse. » (Decret. 2 Junii 1883, n. 3576, antiq. 5874, ad 15.)

Episcopus exposuit a fidelibus suæ Diœceseos Planetas dono offerri Ecclesiis, exhibentes a tergo imagines non acu in tela serica, sed oleo super tela linea vel gossypio pictas, alterique ejusmodi telæ agglutinatas, et quæsivit : « An sacra Paramenta cum ejusmodi imaginibus legitime adhiberi possint ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Pictas imagines uti exponitur permitti posse, dummodo agatur de Paramentis sericis, vel auro argentoque contextis, ac de cetero ad normam legum liturgicarum confectis. » (Decret. 30 Martii 1885, n. 3628, antiq. 5933.)

§ 4. De sacrarum Vestium Benedictione

Q. 117. *Sub qua obligatione benedictæ esse debent Vestes sacræ ?*

R. Prænotatur hic agi tantum de sacris Vestibus quas Sacerdos pro celebratione SS. Missæ Sacrificii induere debet, nempe de amictu, alba, cingulo, Manipulo, Stola et Planeta.

In præcedentibus jam dictum fuit de Benedictione Mapparum Altaris (Q. 46, IV), Crucis Altaris (Q. 50, II), Paramentorum Calicis (Q. 85) ; in sequentibus dicetur de Benedictione aliorum Paramentorum tum Celebrantis, tum Ministrorum (Q. 140). Ad propositam Quæstionem pro sacris Vestibus Celebrantis respondetur :

Indumenta omnia Celebrantis benedicta esse debent sub gravi præcepto ; et mortale censetur Indumentis non benedictis uti, nisi excuset materiæ parvitas, puta si solum cingulum, aut solus Manipulus Benedictione careret. De hac obligatione ulterius et fusius agitur in Theologiæ Tractatu de Sacrificio Missæ, n. 17.

Q. 118. *A quo benedici debent istæ Vestes sacræ ? Quid a benedicente est animadvertendum ?*

R. I. Vestes sacræ Celebrantis benedici debent ab Episcopo, aut a Sacerdote habente facultatem ab Episcopo delegatam, specialibus Benedictionis formulis quæ assignantur, tum in Pontificali Romano, si ab Episcopo, tum in Rituali sive Missali Romano, si a Sacerdote Benedictio fit.

In nostra Diœcesi Archiepiscopus Decanis facultatem concedit « benedicendi, in territorio districtus sui, linteamina, ornamenta, et vasa cultus divini, quæ Consecratione non indigent. » (Stat. diœc. n. 67.)

Abbates idem jure ordinario possunt, sed pro servitio dumtaxat suarum Ecclesiarum vel Monasteriorum.

Nota. Sacerdotes habentes facultatem ab Episcopo delegatam benedicendi sacra Paramenta, debent semper uti formula quæ in Missali et Rituali reperitur, Titulo Benedictionis Sacrorum Indumentorum in genere ; et cum benedicere debent unum tantum Indumentum, ex. gr., unum cingulum, uti debent eadem supradicta formula generali, mutando numerum pluralem in numerum singularem ; non possunt ipsi uti formula Benedictionis pro singulis sacris Indumentis, quæ habetur in Pontificali Romano, pro Episcopis præscripta. (Decreta S. Rituum Congregationis, 4 Septembris 1880, n. 3524, antiq. 5818, ad 2 ; et 2 Decembris 1881, n. 3533, antiq. 5828, ad 1.)

Declaravit S. Rituum Congregatio, non licere tuto sequi in praxi assertionem sequentem alicujus auctoris : « Si Sacerdos bona fide celebraverit cum vestimentis nondum benedictis, poterunt alii Sacerdotes cum iisdem rite celebrare, quia per primam celebrationem bona fide factam consecrata, seu benedicta remanserunt. » (Decret. 31 Augusti 1867, n. 3162, ad 7, antiq. 5386, ad 8.)

Reliqua notanda pro sacrarum Vestium Benedictione exponuntur latius in Tractatu de administratione

Sacramentorum. (Q. 338, et in aliis Quæstionibus Tituli VIII.)

II. Liceat hic pro Benedictione sacrarum Vestium speciatim notare, quod antequam Sacerdos ad earum Benedictionem procedat, debet omnino certiorem se reddere de debitis qualitatibus, quod materiam et formam ; ex. gr., an quod ex lino aut serico confectum esse debet, revera ex requisita materia sit confectum, et sub debita et congrua forma. Quod si in aliqua re aliquid deficiat, ad ejus Benedictionem Sacerdos procedere non potest : esset enim illicita, imo quandoque invalida Benedictio.

Q. 119. *Quomodo Vestes sacræ amittunt Benedictionem, et quid faciendum est de iis quæ Benedictionem amiserunt ?*

R. I. Benedictionem amittunt Vestes sacræ :

1° Quando ita lacerantur, aut ex longo usu seu vetustate detritæ evadunt, ut pro hominum æstimatione, minime idoneæ recte censeantur.

2° Quando separatione partis privantur ea forma sub qua sunt benedictæ ; seu quando, sive per accidens, sive de industria ad reparationem, pars notabilis a toto separatur, ita ut stante hac separatione, licet per brevissimum tempus, Vestis sacra usui suo proprio inservire nequeat. — Sic Alba amittit Benedictionem, si ab ea manica abscinditur, licet mox iterum consuatur ; Planeta, si pars anterior disjungitur a posteriori, etiamsi mox iterum adjungatur ; Cingulum, si ita rumpitur ut neutra pars cingendo sufficiat.

3° Si ita mutantur, ut jam morali æstimatione non eædem remaneant, ut si ex benedicta Veste fit alia nova, ex. gr., humerale seu amictus ex alba, Stola et Manipulus ex Planeta, etc.

4° Si in refectione sacrarum Vestium partes novæ quantitate reliquas benedictas superant. — Quod si paulatim Vestes reficiantur, Benedictio non amittitur, quia pars addita tamquam accessoria sequitur naturam sui principalis ; modo tamen Vestes remanserint integræ et usui idoneæ.

Non amittitur Benedictio, si dissuatur pannus interior, seu subsutus, et alius de novo apponatur, modo Vestis ipsa remanserit integra.

II. Paramenta sacra quæ vel amiserunt Benedictionem, vel Ecclesiæ usibus amplius inservire nequeunt, ex præscripto juris destruenda, scilicet comburenda sunt, et cineres in Sacrarium projici debent, vel ubi nullus transitum habeat : ne transientium pedibus inquinentur. (*De Consecratione*, Cap. 39, Dist. 1.)

Nullatenus hujusmodi Paramenta licet ad usus profanos convertere. (Cfr. S. Alphonsus de Liguori, *Theologia moralis*, Lib. VI, n. 370.)

Nec licet, juxta sacros Canones, sacra Paramenta alienare, nisi in servitium alterius Ecclesiæ, et ad usus sacros et pios. « Vestimenta sacerdotalia nolite negotiatori aut tabernario in pignus dare ». ait Pontificale Romanum. (*Ordo ad Synodum ; Admonitio Episcopi*, in fine.) Cfr. Allocutio habita in Synodo Diœcesana Mechliniensi, anni 1892.

ARTICULUS III

De sacrorum Paramentorum colore

Q. 120. *Quis est color Amictus, Albæ, et Cinguli ?*

R. I. Amictus, qui ex lino vel cannabe confectus esse debet (cfr. Q. 101), ex natura sua necessario candidum lini, vel cannabis, album nempe colorem habet, et habere debet.

Ornatus ejus autem, scilicet Crux quæ in ejus medio designari debet, et opus acu pictum quod in ejus fimbriis admittitur (cfr. Q. 110), ex aliis coloribus, prout placet, adjungi potest.

Item lintea, seu chordulæ, quibus Amictus ligatur, possunt esse cujuscumque coloris.

II. Alba, vi nominis, et ex natura materiæ ex qua confici debet, lini nempe, vel cannabis, candidum seu album colorem habeat oportet.

Quoad ornatum Albæ, scilicet opus acu pictum in fimbriis et extremis manicis, et fundum qui sub texto denticulato hodie toleratur ex consuetudine, satis de ejus colore supra (cfr. Q. 112) dictum fuit, hunc tolerari cujuscumque coloris.

III. Cingulum, cum congruentius ex lino conficiatur (cfr. Q. 101), coloris albi ex natura sua erit. Ubi tamen sericum Cingulum admittitur, poterit esse alterius coloris.

Decet tamen in omni casu, ut nonnisi ex aliquo sit de quinque coloribus probatis quibus Ecclesia Romana uti consuevit.

Ad dubium : « An Cingulum, tertium indumentum sacerdotale, possit esse coloris paramentorum, vel necessario debeat esse album ? » S. Rituum Congregatio censuit respondendum : « Posse uti Cingulo coloris paramentorum. » (Decret. 8 Junii 1709, n. 2194, ad 4, antiq. 3809, ad 5.)

Q. 121. *Quid præscribit Rubrica Missalis de coloribus sacrorum Paramentorum ? Quinam sunt colores probati a Rubricis ? Ad quænam sacra Paramenta referri debet præscriptum Rubricarum ? Quæ Paramentorum pars præscripto respicitur ?*

R. I. De colore sacrorum Paramentorum sequentia præscribit Rubrica Missalis Romani : « Paramenta Altaris, Celebrantis, et Ministrorum debent esse coloris convenientis Officio, et Missæ diei, secundum usum Romanæ Ecclesiæ, quæ quinque coloribus uti consuevit, Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo, et Nigro. » (Rubricæ generales Missalis, Tit. XVIII, n. 1.)

II. Colores a Rubrica Missalis probati sunt quinque numero, albus, rubeus, viridis, violaceus, et niger; quorum unus vel alter assumendus est, prout Officio, et Missæ diei convenit.

Datur tamen, præter quinque enumeratos, alius insuper color Paramentorum inter Liturgicos colores connumerandus, nempe rosaceus, qui est violaceo clarior, et quodammodo tendit in rubrum ; hic rosaceus color censetur aliquid solemnioris secum ferre quam violaceus, et permittitur in duabus Dominicis, nempe tertia Adventus, et quarta Quadragesimæ, quibus luctus pœnitentiæ horum temporum aliquatenus in mente Ecclesiæ relaxatur. De colore rosaceo silet Missale Romanum ; ipsum vero indicat Cæremoniale Episcoporum. (Lib. II, Cap. XIII, n. 11 ; et Cap. XX, n. 2.)

Distinctio colorem violaceum inter et rosaceum in nostris regionibus ignota est; et, cum violacei coloris jam plures sint gradus prout plus vel minus sit satus aut dilutus, et dilutus tendat ad rosaceum, forsan in nonnullis Ecclesiis reperire est Paramenta rosacea, de quibus nemo umquam dubitaverit ipsa non esse absolute violacea. Nemo tamen eapropter inquietandus videtur, et in casu potest tuto adhiberi talis color rosaceus pro violaceo, et violaceus pro rosaceo; nisi forte rosaceus adeo vividus esset, ut vere in rubrum converteretur, et nimia jam appareret difformitas, quæ vitanda est. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 98.)

Res controversa diu fuit inter liturgicos scriptores, in quibus Ecclesiis, et pro quibus Missis et Officiis color iste rosaceus præfatis Dominicis adhibendus sit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 98.) Ad dubium : « Utrum Dominica III Adventus, et Dominica IV Quadragesimæ paramenta coloris rosacei adhiberi possint non tantum in Missa solemni, sed etiam in Missis privatis, et in Officio de Dominica? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 29 Novembris 1901, *Vallis Vidonis*, ad 3; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 698.) Hoc Decreto definitum habetur colorem rosaceum his Dominicis in omnibus Ecclesiis et Oratoriis, et pro omnibus Missis et Officiis de Dominicis posse adhiberi.

III. Præscriptum Rubricarum de colore sacrorum Paramentorum refertur ad sequentia Paramenta :

a) pro Altari, ad Antipendium (cfr. Q. 43, II); et ad alios qui possent insuper ad Altare apponi ornatus, ex. gr., ad predellam (cfr. Q. 54);

b) pro Calice, ad Velum, et Bursam (cfr. Q. 84);

c) pro Celebrante, ad Manipulum, Stolam, et Planetam; et etiam quando eis utitur, ad Pluviale, et ad Velum humerale;

d) pro Ministris, ad Manipulum, Stolam, Tunicellam, Dalmaticam, et Velum humerale; et, quando eis utuntur, ad Planetam plicatam, et ad Stolam latiorem.

Hæc omnia sacra Paramenta in uno eodemque Officio, in una Missa, debent omnino esse ejusdem coloris qui Officio vel Missæ convenit; numquam liceret, ex. gr., Celebranti assumere pro Missa Planetam albi, Stolam alterius coloris.

Quidam tamen ab hac regula casus excipiendi sunt, ex. gr., in Expositione, et Benedictione SS. Sacramenti, pro Antipendio, et pro Velo humerali ; ut in sequentibus notabitur.

IV. Præscriptum Rubricarum de colore refertur ad illam cujusque Paramenti partem, quæ proprie et stricte Paramentum constituit.

In Paramento autem considerari potest ipsa sacra Vestis, dein ejusdem Vestis ornatus, necnon ejus subsutura.

Color cujusque Paramenti proprie et stricte dicendus est ille quem habet sacra Vestis quæ proprie dictum Paramentum est ; non vero ille quem habet accessorium ornatus seu fasciæ, neque ille quem habet subsutura ; ex. gr., color Planetæ proprius dicetur ille, non quem habet Crux aut columna quæ tantum ornatus Planetæ sunt, sed quem habet ipsa Vestis super quam Crux aut columna ad ornatum assuta fuit.

Nisi fasciæ, ex. gr., quæ in Planeta ornatum Crucis et columnæ constituunt, sint ex auro, debet regulariter earum saltem fundus ejusdem coloris esse quam ipsa Vestis cujus ornatus sunt, ut infra dicetur (Q. 125).

Subsutura, de cujus materia jam fuit dictum (Q. 103, VI), a lege coloris pro sacris Paramentis non respicitur, et diversi a Paramento coloris esse potest. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 161.) Romæ communiter ejusdem coloris sumitur subsutura quam Paramenti ; ibi etiam tamen Paramentis albi coloris frequentius adjungitur, ratione munditiæ, subsutura flavi coloris.

Q. 122. *Quænam est obligatio hujus Rubricæ de colore Paramentorum ?*

R. Color Paramentorum est de præcepto, quia omnes Rubricæ, quæ præscribunt ritum in actu celebrationis servandum, sunt præceptivæ ; et insuper S. Rituum Congregatio pluribus Decretis mandavit, ut « servetur strictim Rubrica quoad colorem Paramentorum. » (Decreta 19 Decembris 1829, n. 2675, antiq. 4655 ; et 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 50, antiq. 4669, ad 54.)

Itaque quidquid dixerint aliqui antiqui auctores mo-

ralistæ de hac obligatione, quam negabant, eorum sententia citra dubium tamquam nihil roboris habere judicanda est, postquam Missalis Romani præceptum strictum esse servandum S. Rituum Congregatio declaravit. — Attamen non videtur sub gravi hæc Rubrica obligare, secluso scandalo gravi; quapropter causa necessitatis ab hoc præcepto excusare potest, ex. gr., paupertas Ecclesiæ, concursus Sacerdotum, quibus Vestes sacræ debiti coloris non sufficiunt; etenim in hujusmodi morali impossibilitate præceptum adimplendum non adeo urget, ut potius Sacrum debeat omitti quam alio cum colore valeat celebrari. (Cfr. S. Alphonsus de Liguori, *Theologia moralis*, Lib. VI, n. 378; et Ephemerides Liturgicæ, I, 1887, pag. 276; XIV, 1900, pag. 352; et XVI, 1902, pag. 148.)

Q. 123. *An adhiberi possunt Paramenta sacra coloris a) flavi; b) cærulei?*

R. A) Paramenta sacra coloris flavi, quem nonnulli perperam putant pro quocumque colore valere, non possunt adhiberi. Pluries id declaravit pro diversis casibus S. Rituum Congregatio, per sequentia Decreta:

1. Dubium: « An Paramenta coloris flavi adhiberi possint pro quocumque colore, nigro excepto? » S. Congregatio rescripsit: « Negative. » (Decret. 23 Septembris 1837, n. 2769, ad V, 1, antiq. 4815, ad VIII, 1.)

2. Dubium: « An sacra Paramenta serica coloris flavi adhiberi adhuc valeant loco coloris albi, atque eadem renovari liceat? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Juxta alias decreta, Negative in omnibus. » (Decret. 26 Martii 1859, n. 3082, antiq. 5279.)

3. Dubium: « Paramenta coloris flavi, tum serica tum ex auro contexta, possuntne adhiberi pro albo, viridi, rubro ac violaceo, præsertim in Ecclesiis pauperioribus, facere non valentibus Paramenta singulorum colorum a Rubrica præscriptorum? » S. Congregatio rescripsit: « Quoad Paramenta coloris flavi, Negative; quoad Paramenta ex auro contexta, Affirmative; excluso tamen colore violaceo. » (Decret. 5 Decembris 1868, n. 3191, ad 5, antiq. 5419, ad 6.)

4. Dubium: « Num in Oratoriis ruralibus atque Ec-

clesiis, quæ parvum habent censum, Planetæ sericæ flavi coloris, ut antea adhiberi possint ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative ; juxta Decretum in una Mulinen., diei 23 Septembris 1837. » (Decret. 23 Junii 1892, n. 3779, ad 3.)

Nota. Color flavus si repudiatur, minitatur jam subreptitio modo redintegrari ; abhinc quibusdam annis, prætextu œconomiæ, et quod frequentior usus ocius maculat Vestes sacras coloris albi, venumdatur pro Paramentis pannus, quoad colorem partim albus, partim flavus, ast pro majori sæpius parte flavus, hic enim prædominatur ; necnon prædominatur in hujusmodi panno plerumque gossypium, loco serici. Invigilent Sacerdotes.

Flavus color tolerari potest auro immixtus, ut dicetur infra (Q. 124), ita ut telam auream efformet ; sed venumdatur sæpius hujusmodi tela, in qua auri nihil inest, et solum remanet sericum quod colorem aureum præsefert, aut quidem pro majori parte gossypium ; quæ tela igitur flavi coloris tantum censeri debet. Caveamus a Planetis falso dictis aureis. (Cfr. Q. 103.)

B) Paramenta sacra coloris cærulei non possunt adhiberi. Ad dubium : « An usus coloris cærulei in sacris Paramentis permitti possit pro colore albo, uti fieri assolet in Missis Beatæ Mariæ Virginis ; vel potius pro violaceo ? » S. Rituum Congregatio respondere rata est : « Negative, in omnibus ; et usum cærulei coloris, veluti abusum, eliminandum. » (Decret. 23 Februarii 1839, n. 2788, antiq. 4847, ad 2.)

Color cæruleus itaque pro nullo ex liturgicis coloribus inservire potest ; non est enim neque vere albus, neque vere rubeus, neque vere violaceus.

Nota. Hæc sacrorum Paramentorum cærulei coloris prohibitio existit pro Ecclesia universali ; attamen ex variis S. Rituum Congregationis Decretis, et Sanctæ Sedis Indultis constat, præter universalem legem, quibusdam particularibus locis et regionibus, expresso privilegio Summi Pontificis, concessum fuisse usum coloris cærulei ; etenim Regni Hispaniæ Diœcesibus speciali Indulto datum fuit uti paramentis coloris cærulei in Festo et per Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis, necnon in cunctis Sabbatis quibus dicitur ejusdem Officium votivum, et quoties quidem dicitur ejusdem Missa votiva ; et in his Missis hic color ibi unice adhiberi debet, nec licet ad libitum adhibere colorem album aut cæruleum. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 12 Februarii 1884, n. antiq. 5906, ad 1.) Quod privilegium strictæ interpretationi subjicitur,

et restringitur quidem in Hispania ad solam Missam Immaculatæ Deiparæ Conceptionis, sive festivam sive votivam, nec ad alias Missas extenditur, etiamsi istæ Mysterium Conceptionis respiciant. Etenim ad postulatum utrum Indultum Apostolicum cærulei coloris « comprehendat etiam Missas Apparitionis B. Mariæ V. Immaculatæ, vulgo *de Lourdes,* et Manifestationis Immaculatæ Virginis a sacro Numismate, vulgo *della Medaglia miracolosa* ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 15 Februarii 1902, *Dubium* ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 210.)

Nemo tamen ex hoc privilegio Hispaniæ concesso concludere præsumat, eumdem cæruleum colorem alibi, quam ubi expresse peculiari Indulto fuit concessus, licite posse usurpari ; nam Decretum supra citatum, 12 Februarii 1884, omnino particulare est, et e nova editione Decretorum fuit quidem expunctum, non ideo quod privilegium concessum revocetur, sed ne aliis Ecclesiis ansa præberetur idem privilegium petendi ; S. Congregatio enim legis observantiam peroptat.

Hæc animadvertere liceat, quia, cum in nostris Ecclesiis non raro jam videre est, in parietibus et circumcirca Imagines B. Mariæ Virginis, ornatus cærulei coloris, mense Mariano, et in diversis solemnitatibus Deiparæ appensos, forsan alicubi occasio poterit aliquando dari, inconsultam quorumdam pietatem et generositatem monere omnino ab extensione cærulei coloris ad sacra Paramenta abstinendum esse.

Q. 124. *Pro quibus ex coloribus liturgicis adhiberi possunt Paramenta sacra confecta ex tela aurea, aut argentea ?*

R. I. Paramenta sacra quæ contexta sunt, maxima saltem ex parte, revera ex auro (cfr. Q. 103, ad IV), — non autem quæ coloris aurei tantum sunt, — adhibere licet, ratione pretiositatis, pro colore albo, pro rubeo et pro viridi, juxta locorum consuetudinem, quæ tolerari potest ; numquam vero inservire possunt pro colore violaceo, neque pro nigro.

Hæc disciplina constat ex sequentibus S. Rituum Congregationis Decretis :

1. Dubium : « An revera sacra Paramenta, auro maxima saltem ex parte contexta, pro quocumque colore, exceptis violaceo et nigro, inservire possunt ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Tolerandam esse locorum consuetudinem, relate tantum ad Paramenta ex auro contexta. » (Decret. 28 Aprilis 1866, n. 3145, antiq. 5363.)

2. Dubium : An in « paramentis tela aurea admitti potest pro coloribus tum albi, tum rubri, tum viridis ? » S. Congregatio rescripsit : « In casu potest adhiberi

tela aurea, ratione pretiositatis. » (Decret. 20 Novembris 1885, n. 3646, antiq. 5953, ad 2.)

3. Ad præsentem rem etiam valet Dubium descriptum in responso ad præcedentem Q. 123, sub A, 3.

Ut ex citatis Decretis patet, S. Rituum Congregatio tolerat, permittit adhiberi pro colore albo, rubeo, et viridi, non autem pro violaceo, multo minus consequenter pro nigro, telam auream, intellige revera auream ; nam tolerantia hæc extendi nullimode potest ad telam aurei tantum coloris, quæ tamen forsan multo frequentius ab officinis venumdatur quam vera aurea tela ; etenim ad dubium : « An sacra Paramenta coloris aurei inservire possint pro coloribus albo, viridi, rubro ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Negative. » (Decret. 29 Martii 1851, n. 2986, antiq. 5152, ad 5.)

Hujusmodi tela vere aurea, quæ in Gallia præsertim usuvenit (supposito quod omne quod micat aurum est), Romæ, intellige in Basilicis et præcipuis ac observantioribus Ecclesiis, ut fertur, non adhibetur ; sed Romani pro pretiosis suis Paramentis utuntur tela, multo pulchriori, ac digniori, in qua simul cum splendore auri, aut argenti, apparet color liturgicus, cum auro commixtus seu contextus (étoffe lamée d'or). Hujusmodi pretiosæ telæ Paramenta servantur in nostra Ecclesia Metropolitana Mechliniensi, et in majoribus solemnitatibus adhibentur pro Officiis Pontificalibus, albi coloris unum (étoffe lamée d'argent), rubri coloris alterum (étoffe lamée d'or) ; hæc Roma Mechliniam attulit Emus Dñus Thomas Philippus, Cardinalis de Alsatia de Boussu, Archiepiscopus Mechliniensis ab anno 1716 ad annum 1759 ; de quorum Paramentorum telæ splendore ac dignitate omnes unanimi ore consentiunt.

II. Per Decretum 20 Novembris 1885 (n. 3646, antiq. 5953, ad 3), rescripsit S. Rituum Congregatio, permitti etiam telam argenteam pro Paramentis albi coloris. (Cfr. Q. 103, IV.)

Q. 125. *Quid dicendum est de usu Paramentorum quæ sunt mixti coloris ?*

R. I. Reperiuntur quandoque, rarius tamen, Paramenta sacra confecta ex tela sericea, intextos habente flores et ornatus mixti coloris, adeo ut vix determinare liceat cujus proprie coloris sunt. Etiamsi quidam putaverint hujusmodi Paramenta posse adhiberi quo-

cumque Festo pro quocumque liturgico colore, dicendum tamen est talia Paramenta prohibita esse, ut constat ex sequentibus S. Rituum Congregationis Decretis.

1. Alicui Episcopo conquerenti de confusione colorum in Paramentis sacris in sua Diœcesi adhibitis, S. Congregatio respondendum censuit : « Serventur omnino Rubricæ generales; facta tamen potestate Episcopo indulgendi, ut in Ecclesiis pauperibus permittat illis uti, donec consumentur. » (Decret. 19 Decembris 1829, n. 2675, antiq. 4655.)

2. Dubium : « Potestne continuari usus illarum Ecclesiarum, quæ pro colore albo, rubeo, viridi et violaceo utuntur Paramentis, vel flavi coloris, vel mixtis diversi coloris floribus ? præsertim si colores a Rubrica præscripti in floribus reperiantur ? » S. Congregatio decrevit : « Servetur strictim Rubrica, quoad colorem Paramentorum. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 50, antiq. 4669, ad 54.)

3. Dubium : « Num Paramenta confecta ex serico, variis coloribus et floribus intexta, ita ut vix dignoscatur color primarius et prædominans, usurpari valeant mixtim, saltem pro albo, rubro et viridi ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 23 Septembris 1837, n. 2769, Dub. V, ad 2, antiq. 4815, Dub. VIII, ad 2.)

Igitur hujusmodi Paramenta in eo casu tantum adhibere liceret, si in ipsis unus color ita prædominetur, ut dici possint talis potius quam alterius coloris, et tunc illum colorem solum exclusive repræsentare possent, qui primarius est et prædominans. Et hæc intelligenda sunt de ipsa sacra Veste, non autem de fasciis quibus ornatur. (Cfr. Q. 121, IV.)

II. Reperiuntur etiam aliquando Paramenta mixti coloris, scilicet, in quibus ipsa Vestis sacra suum habet liturgicum colorem determinatum, sed simul etiam ornatus fasciarum alterius est determinati liturgici coloris ; ex. gr., Planeta est coloris albi, Crux vero et columna sunt coloris rubri. De hujusmodi Paramentis jam dictum fuit supra. (Cfr. Q. 121, IV.) Nisi ad talia Paramenta referatur jure merito S. Rituum Congregationis Decretum supra primo loco descriptum quoad

confusionem colorum in Paramentis, alia authentica declaratio super his non datur ; sed auctores omnes consentiunt quod contra Rubricas est talia Paramenta adhibere ; quod si adhibeantur usque dum consumentur, usuvenire possunt tantum pro uno colore, nempe illo quem habet ipsa sacra Vestis, non pro illo quem habet ornatus accessorius Crucis et columnæ. Hunc usum « donec consumentur » in pauperioribus Ecclesiis ab Episcopo indulgeri posse in casu declaravit S. Congregatio citato Decreto.

Q. 126. *Indica symbolicas diversorum colorum significationes.*

R. Dicit Psalmista (Ps. XLIV, ℣. 15) quod « omnis gloria ejus filiæ regis ab intus » est, scilicet, quod Ecclesia internis quidem fulget virtutibus ; adjungitque mox quod ipsa etiam est « in fimbriis aureis circumamicta varietatibus », quo intelligi potest internas Ecclesiæ virtutes exterius per varietates sacrarum Vestium queis utitur, manifestari ; virtutis enim symbolum vestis est.

Hinc, sicut semper et ubique terrarum homines usi sunt vestibus varietate distinctis, sive ad scientiam honorandum, sive ad justitiam administrandum, sive etiam ad lætitiam vel mœrorem significandum ; — sicut etiam in antiqua lege diversos colores, hyacinthum, et purpuram, et byssum, aliosque legimus in sacris Vestimentis adhibitos ; — ita etiam in nova lege Ecclesia varietates colorum decenti pompa in sacris Vestibus destinavit, ad manifestandum exterius miram virtutum quibus interius fulget diversitatem.

Principium dirigens colorum diversitatem aliud non est nisi quædam convenientia, quæ æstimatur intercedere inter illos colores et Sanctum vel Mysterium celebratum, et in qua fundatur significatio moralis cujusque coloris.

Itaque ab auctoribus sequens tribuitur symbolica significatio diversis coloribus qui pro Paramentis sacris adhibentur :

Color albus significat, tum vitæ innocentiam et puritatem ; tum gloriam et gaudium.

Color rubeus designat, tum fervorem spiritus et charitatem, quia Spiritus sanctus linguis igneis super Apostolos descendit ; tum sanguinem ex charitate effusum.

Color viridis repræsentat spem ; quatenus peregrinantes et militantes in terra intuitu Christi qui nobis apparuit, et suffulti gratia Spiritus sancti qui datus est nobis, fiducialiter appetimus seu appetere debemus patriam et requiem cœlestem, per christianos mores in justitia quasi virens folium germinantes et crescentes. (Prov., Cap. XI, ℣. 28.) Medium tenens vividos inter et nubilos colores, seu inter albedinem et nigredinem et ruborem, adhibetur quando neque specialis gaudiosus festi, neque pœnitentialis temporis, neque luctuosus mortis character prævalet.

Color violaceus cum sit pallidus et lividus, denotat carnis macerationem et afflictionem ; quare hoc colore utitur Ecclesia diebus pœnitentiæ et jejunii, ad mœrorem significandum, et veniam a Deo impetrandam.

Color niger est proprius mortis, quæ nos privat lumine vitæ et ad tenebras sepulchri nos detrudit ; illumque colorem adhibet Ecclesia ad exprimendum luctum pro morte Sponsi sui in Feria VI Parasceves, necnon luctum pro suis filiis vita functis, usque dum timet ne expiatorio detineantur carcere. (Cfr. Müller, *Theologia moralis*, Lib. III, Tract. I, § 32.)

Q. 127. *Pauca refer de usu diversorum colorum pro sacris Paramentis antequam determinata fuit hodierna disciplina.*

R. Vix possibile est præcise determinare, quo tempore colorum varietas in sacris Vestibus primum fuerit observanda. Notat Benedictus XIV (*De Sacrosancto Sacrificio Missæ*, Lib. I, Cap. VIII, n. 16), quarti sæculi initio, Vestes sacras non alterius quam albi coloris fuisse adhibitas ; eodem quarto sæculo tamen et sequentibus sæculis, paulatim deventum fuit ad diversitatem colorum, ita ut plurium colorum qui hodie præscripti sunt, in monumentis sæculo septimo antiquioribus passim jam mentio reperiatur.

Primus qui de distinctis tamquam lege determinatis coloribus verba facit est Innocentius III († 1216), in

opere *De Sacro Altaris Mysterio* (Lib. I, Cap. LXIV), ubi dicit : « Quatuor autem sunt principales colores, quibus secundum proprietates dierum sacras Vestes Ecclesia Romana distinguit, albus, rubeus, niger et viridis. » Violaceus color hic non citatur, et Innocentius III dicit nigris Indumentis utendum esse « in die afflictionis et abstinentiæ pro peccatis, et pro defunctis. Ab Adventu scilicet usque ad Natalis Vigiliam, et a Septuagesima usque ad Sabbatum Paschæ. » Attamen postea notat violaceum colorem suo tempore adhiberi in Festo Sanctorum Innocentium, et in Dominica IV Quadragesimæ quæ dicitur « Lætare » ; et in fine adjungit : « Ad hos quatuor cæteri referuntur : ad rubeum colorem coccineus, ad nigrum violaceus, ad viridem croceus ; quamvis nonnulli rosas ad Martyres, crocum ad Confessores, lilium ad Virgines referant. »

Sæculo XIII exeunte constat distinctio colorum ad exprimendum tum mœrorem pœnitentiæ, tum luctum mortis, ita ut violaceus color adhibendus fuerit ad pœnitentiam ostendendam tempore Adventus et Quadragesimæ, dum niger proprius evasit pro luctu mortis Domini in Parasceven, et pro luctu defunctorum fidelium.

In Officiis funebribus quondam fuisse adhibitum colorem rubeum, potissimum in Oriente, constat ; cujus rei manet et in Liturgia Romana usque hodie singulare vestigium ; etenim Papæ defuncti cadaver induitur paramentis rubei coloris ; et Summus Pontifex in Defunctorum Officiis utitur Pluviali similiter rubei coloris, unde effatum : « Papa luget in rubro. » (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 147.)

Cæterum non una semper et ubique observata fuit praxis, etiam post tempora Innocentii III, pro usu diversorum colorum in diversis Festivitatibus et Officiis, et pauca numero sunt Festa aut Tempora anni, in quibus Diœceses ubique consentiebant quoad Paramentorum colorem. (Cfr. Wickham Legg, *Notes on the History of the Liturgical Colours*, London, 1882.) Sufficiat pro exemplo notare Festum SS. Corporis Christi, in quo Romanus Ritus semper præscripsit et tenuit colorem album, ex consideratione celebrati per hoc Festum

triumphi Christi in SS. Eucharistia ; dum in non paucis Diœcesibus Galliæ, Germaniæ, Angliæ, etiam Italiæ, olim usuvenit color rubeus, quia nobis sub Sacramento mirabili Passionis Domini memoria relinquitur. Etiam hodie Ritus Ambrosianus in Diœcesi Mediolanensi præscribit colorem rubrum.

Usque ad medium sæculi XVI nostra hodierna Archidiœcesis Mechliniensis partim erat antiquæ Diœcesis Cameracensis, partim Leodiensis ; in Cameracensi color Festi SS. Sacramenti erat rubeus ; inde forsan repetenda est ista inconsulta quæ in antiquæ Cameracensis Diœcesis parte remansit inclinatio ad colorem rubrum pro SS. Sacramento, non utique pro Paramentis ad celebrationem Missæ præscriptis, sed pro aliis supellectilibus, ex. gr., pro baldachinis, pro vexillis, pro thronis Expositionis ; non raro in quibusdam nostris Ecclesiis videre est horum exempla antiqua et sæpius valde pretiosa ; et quidem usque ad sæculi XIX medium, nondum restituta per totum Liturgiæ Romanæ exacta observatione, antiqua exempla pro novis supellectilibus inserviebant, non ex mala voluntate, sed.. .. quia talis semper fuerat praxis. Hodie color rubeus, etiam pro citatis supellectilibus, omnino jam cessit albo præscripto, et si alicubi adhuc rubeus color animadverti potest, non adhibetur nisi quia suppellex existens, sæpius pretiosa, nondum usu consumpta est.

Lex determinata pro coloribus sacrorum Paramentorum adhibendis in Missis et Officiis, quam hodie servare debemus, lata fuit a S. Pio V Summo Pontifice, occasione restitutionis Missalis Romani, ab ipso editi anno 1570, et describitur in Rubricis Generalibus Missalis, Titulo XVIII, « De Coloribus Paramentorum ».

Q. 128. *Indica generatim quinam adhiberi debent sacrorum Paramentorum colores in diversis anni ecclesiastici temporibus.*

R. Per annum ecclesiasticum, qui incipit a Dominica prima Adventus, et terminatur per ultimam, scilicet circiter XXIV Hebdomadam post Pentecosten, sequentes colores præscribuntur adhibendi pro Missis et Officiis de Tempore, id est, celebratis de Dominica aliqua aut de Feria :

A prima Dominica Adventus usque ad Nativitatem Domini, color violaceus; — a Nativitate Domini usque ad Octavam Epiphaniæ inclusive, color albus ; — ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, color vi-

ridis ; — a Dominica in Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum ante Missam, color violaceus ; — a Sabbato sancto in Officio Missæ, et ab illo die usque ad Vigiliam Pentecostes ante Missam, color albus ; — a Vigilia Pentecostes in Missa usque ad Sabbatum sequens, finita Nona et Missa, color rubeus ; — ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, color viridis.

Rationes ob quas Ecclesia hos colores præscripsit, satis patent ex eis quæ dicta fuerunt Q. 126.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 430 et sqq.)

Nota. I. Quæ hic summatim indicantur, fusius exponuntur in Rubricis Missalis ; ne quid desideretur, juvat describere textum Rubricarum, in quo simul enumerata habentur Festa Domini, et notatur color præscriptus in his, et in aliis quibusdam diebus et functionibus.

« Albo colore utitur a Vesperis Vigiliæ Nativitatis Domini, usque ad Octavam Epiphaniæ inclusive, exceptis Festis Martyrum, quæ infra eam veniunt. In Festo Ss. Nominis Jesu, Feria quinta in Cœna Domini, et Sabbato sancto in Officio Missæ, et ab illo die usque ad Sabbatum in Vigilia Pentecostes ad Nonam in Officio de Tempore, præterquam in Missa Litaniarum, et Rogationum. In Festo Ss. Trinitatis. In Festo Corporis Christi. In Festo Cordis Jesu. In Festo Transfigurationis Domini..... In Dedicatione et Consecratione Ecclesiæ, vel Altaris, ac in Consecratione Summi Pontificis, et in Anniversario Creationis, et Coronationis ejusdem,et Electionis,et Consecrationis Episcopi... In Missis Votivis supradictorum Festorum quocumque tempore dicantur : et in Missa pro Sponso et Sponsa. »

« Rubeo colore utitur a Vigilia Pentecostes in Missa usque ad Sabbatum sequens finita Nona et Missa. In Festis S. Crucis et Pretiosissimi Sanguinis Domini..... Item in Missis votivis supradictorum Festorum, et in Missa pro eligendo Summo Pontifice. »

« Viridi colore utitur ab Octava Epiphaniæ usque ad Septuagesimam, et ab Octava Pentecostes usque ad Adventum exclusive, in Officio de Tempore, excepta Dominica Trinitatis, ut supra, ac exceptis Dominicis infra Octavas occurrentibus, in quibus color Octavarum servatur : exceptis etiam Vigiliis, et Quatuor Temporibus, ut infra. »

« Violaceo colore utitur a prima Dominica Adventus in primis Vesperis usque ad Missam Vigiliæ Nativitatis Domini inclusive : et a Septuagesima usque ad Sabbatum sanctum ante Missam inclusive, in Officio de Tempore, excepta Feria quinta in Cœna Domini, in qua utitur albo : et Feria sexta in Parasceve, in qua utitur nigro, ut infra : et benedictione Cerei in Sabbato sancto, in qua Diaconus, illius Præfationem dicens, solus

utitur albo : ea autem finita, violaceo, ut prius. Item in Vigilia Pentecostes ante Missam a prima Prophetia usque ad benedictionem Fontis inclusive. In Quatuor Temporibus, et Vigiliis, quæ jejunantur, exceptis Vigilia, et Quatuor Temporibus Pentecostes. In Missis Litaniarum in die S. Marci Evangelistæ, et Rogationum, et in Processionibus, quæ his diebus fiunt..... In benedictione Candelarum, in die Purificationis beatæ Mariæ, et in benedictione Cinerum, ac Palmarum, et in ipsa Dominica in Palmis, et in earumdem, ac generaliter in omnibus Processionibus : exceptis Processionibus sanctissimi Sacramenti, et quæ fiunt in diebus solemnibus, vel pro gratiarum actione. In Missis de Passione Domini, pro quacumque necessitate, pro peccatis, ad postulandam gratiam bene moriendi, ad tollendum schisma, contra paganos, tempore belli, pro pace, pro vitanda mortalitate, pro iter agentibus, et pro infirmis. »

« Nigro colore utitur Feria sexta in Parasceve, et in omnibus Officiis et in Missis Defunctorum. » (Rubricæ Generales Missalis, Tit. XVIII, nn. 2 ad 6.)

Nota. II. Insuper hic adnotare juvat quædam ex S. Rituum Congregationis Decretis super Paramentorum colore.

A) In Consecratione Episcopi, juxta Pontificale Romanum, Electus induit Paramenta omnia pontificalia albi coloris ; Consecrator vero ejusque Assistentes induunt Paramenta coloris tempori et Officio Missæ convenientis ; quam Rubricam observandam esse declaravit S. Rituum Congregatio. (Decret. 16 Junii 1663, n. 1265, antiq. 2223, ad 2.)

B) In sacris Ordinationibus ad Subdiaconatum, Diaconatum et Presbyteratum, Pontifex induit Paramenta sacra coloris qui convenit Missæ Ordinationis ; quoad colorem Paramentorum pro Ordinandis, Pontificale Romanum nihil decernit ; quod procul dubio hac de causa omissum fuit, quia non facile uniformitas colorum haberi posse supponitur in Ecclesiis pro Ordinationibus generalibus. — Romæ quidem in Archibasilica Lateranensi, in qua Ordinationes generales fiunt, color respectivi Officii retinetur etiam in Ordinandorum Paramentis, quæ abunde ex munificentia Summi Pontificis Benedicti XIII ibi provisa sunt ; ast ejusmodi munificentia non ad cunctas extenditur Ecclesias. — In Appendice Pontificalis Romani, Romæ anno 1848 excusa, et editioni typicæ Pontificalis Romani anno 1888 a Sacra Rituum Congregatione addita, pro Ordinatione unius assignatur color Paramentorum Ordinandi albus, quisquis etiam sit color Paramentorum Pontificis ordinantis ; forsan ita fuit dispositum ex applicatione Rubricæ præcipientis colorem album pro Paramentis Electi in Consecratione Episcopi. (Cfr. supra A.) Quidquid censeatur de auctoritate Appendicis Pontificalis Romani, quæ non est pars ipsius textus sed simpliciter additamentum, ipsa S. Rituum Congregatio aliter hac super re decrevit post Appendicis editionem ; etenim ad dubium : « Quinam esse debeat color Paramentorum pro Ordinandis in Sacris ? » S. Congregatio rescribere rata est, et servari manda-

vit : « Color ipsius Celebrantis in Missa, nisi aliud postulat necessitas. » (Decret. 17 Julii 1894, n. 3832, ad 6.) Quamquam hinc colorum uniformitas in Paramentis Pontificis et Ordinandorum ex natura rei requiratur, non adeo tamen urgere censenda est, ut constituat præceptum tale quo potius Ordinandi dimittantur quam alterius coloris Paramentis indui possint. Ideo anxii non sint oportet Ordinandi, si alterius coloris Paramenta imponantur in sua Ordinatione in Sacris; Pontificis ordinantis, non ipsorum est judicare de necessitate quæ potest intercedere. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 149.)

C) Vigiliam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ V., a Pio IX institutam et nonnullis Diœcesibus concessam, Leo XIII, per Decretum *Urbis et Orbis*, 30 Novembris 1879, ad universalem Ecclesiam extendit. Variæ erant auctorum sententiæ circa colorem Paramentorum pro hujus Vigiliæ Missa : alii album, alii violaceum volebant; color violaceus fuit præscriptus. Ad dubium : « An in Missa de Vigilia Immaculatæ Mariæ Virginis Conceptione adhibendus est color albus, vel violaceus? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam. » (Decret. 12 Septembris 1901, *Dubium*; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 635.)

D) « In Missis de Passione Domini » Rubrica præscribit colorem violaceum; observanda est pro Missis votivis; in Officio votivo vero de Passione Domini, assignato pro Feriis sextis per annum liberis, et in ejusdem Missa « adhibeatur color rubeus toto anni tempore. » (Decret. 24 Novembris 1883, n. 3597, antiq. 5896, ad 2.) Idem rubeus color Paramentorum præscribitur in Officiis et Missis de Passione et de Instrumentis Passionis, quæ ex speciali concessione dicuntur in aliquibus locis, a Septuagesima et per Quadragesimam, aliisve anni temporibus. (Decret. 23 Aprilis 1875, n. 3352, antiq. 5607, ad 2.)

E) In fine Appendicis Missarum describitur Missa votiva pro Fidei propagatione, concessa omnibus Missionariis, necnon Diœcesibus in quibus instituta est Societas Propagationis, sub conditionibus in Nota ante Missam appositis. Ad dubium : « Quisnam sit color Paramentorum in prædicta Missa votiva adhibendus? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Adhibendum esse colorem violaceum. » (Decret. 14 Decembris 1904, *Societatis Parisiensis Missionum ad exteros*; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIX, 1905, pag. 67.)

F) « Si in solemni Defunctorum Commemoratione (die 2 Novembris) Expositio SS. Sacramenti habenda sit pro Oratione 40 Horarum, Missa unica de eo non omittatur; sed reliquæ sint pro Defunctis, ad Altare Expositionis non dicantur, et celebrentur in colore violaceo. » (Decret. 9 Julii 1895, n. 3864, ad 4.)

G) Ad Hymnum *Te Deum*, si immediate post Missam solemniter cantatur, retineri possunt Paramenta Missæ celebratæ; ergo Celebrans retinebit Casulam, cujuscumque coloris sit, albi nempe, aut rubri, aut viridis, aut violacei. Ad dubium : « An pro Hymno *Te Deum* (qui v. g. ob primam Missam Neo-presby-

teri, vel ob aliam causam solemniter canitur immediate post Missam, quæ juxta Rubricas celebrari debeat colore violaceo, ut in Festo Ss. Innocentium et Dominicis Adventus, etc.) retineri possunt Paramenta coloris violacei; vel in casu cum aliis coloris albi permutanda sint? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Affirmative, quoad primam partem; Negative ad secundam. » (Decret. 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 7.) — Si vero immediate post Missam pro cantu Hymni *Te Deum,* exponatur SS. Sacramentum, et post Hymnum Benedictio impertiatur, tunc Celebrans, deposita Casula, debet assumere Pluviale ejusdem coloris. Ad dubium: « An quando immediate post Missam solemnem exponitur SS. Sacramentum pro cantu Hymni *Te Deum,* vel pro aliis precibus (aut etiam simpliciter pro Adoratione ejusdem ad plures horas duratura), liceat Celebranti Benedictionem quoque cum eodem SSmo Sacramento in fine daturo, retinere Casulam cum Manipulo; vel debeat potius assumere Pluviale? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Negative, ad primam partem; Affirmative, ad secundam. » (Decret. idem, ad 8.) — Addere juvat quod, si Hymnus *Te Deum* cantatur tamquam functio a Missa aut ab omni alio Officio separata, pro eo color albus videtur adhibendus. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 182, B, Nota IV.)

Q. 129. *Quinam colores sacrorum Paramentorum præscribuntur pro Festis Sanctorum?*

R. Generatim loquendo duo tantum colores ex quinque usuveniunt in Festis Sanctorum, albus scilicet, si Sancti qui recoluntur non sunt Martyres, et rubeus, si Martyres sunt.

1° Albus color præscribitur in Festis:

a) B. Mariæ Virginis, cum nequeat illa gloriosior post Deum, neque purior creatura inveniri;

b) Sanctorum Angelorum, qui purissimi sunt spiritus;

c) Sanctorum Pontificum, et Confessorum, et Doctorum; ob eorum vitæ integritatem, et doctrinæ puritatem;

d) Sanctarum Virginum quæ non sunt Martyres, utpote sponsæ Agni immaculati;

e) Sanctarum quæ nec Virgines sunt nec Martyres; eo quod sive morum honestate in matrimonio aut viduitate fulserunt, sive quondam amissam innocentiam sui victrices recuperarunt;

f) Sanctorum Omnium, 1 Novembris, quia tunc celebratur eorum, et in primis Beatæ Mariæ Virginis, Sanctorum Reginæ, gloria æterna.

2° Rubeus color præscribitur in Festis Sanctorum Apostolorum ; — Sanctorum Martyrum ; — Sanctarum Virginum Martyrum ; — Sanctarum Martyrum quæ Virgines non sunt. Pro his omnibus eadem ratio militat, nempe ob sanguinem effusum, aut cruciatus sustentos, quibus tamquam charitatis victimæ occubuerunt.

Exceptiones ad præfatam regulam notantur sequentes :

a) In Festo Nativitatis S. Joannis Baptistæ, 24 Junii, adhibetur color albus, quia jam in utero materno fuerat sanctificatus ; color rubeus vero adhibetur in Festo ejus Decollationis, 29 Augusti, ob martyrium.

b) In sequentibus Festis secundariis SS. Apostolorum Petri et Pauli utitur albo colore : Cathedræ S. Petri Romæ, 18 Januarii ; Cathedræ S. Petri Antiochiæ, 22 Januarii ; S. Petri ad Vincula, 1 Augusti ; Conversionis S. Pauli, 25 Januarii ; quia hæc Festa ejusmodi sunt, in quibus Martyrii eorum memoria non principaliter recolitur, sicut in eorum natali Festo, quod celebratur 29 Junii, et in Commemoratione S. Pauli quæ fit 30 Junii. — Item in Festo Divisionis Sanctorum Apostolorum, quod in aliquibus locis et in nostra Diœcesi Mechliniensi celebratur 15 Julii, adhibendus est color albus. (Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Maji 1876, n. 3400, antiq. 5664, ad II, Q. 2.)

c) In Festo S. Joannis, Apostoli et Evangelistæ, 27 Decembris, adhibetur color albus, quia virginitatis candore inter Apostolos nituit, et quia martyrio non fuit consumptus ; hac tamen martyrii gloria non omnino caruit, et ideo color rubeus præscribitur in Festo S. Joannis ante portam Latinam, 6 Maji.

d) In Festo SS. Innocentium Martyrum, 28 Decembris, præscribitur color violaceus, quo significatur mœstitia pro puerulo Jesu ad mortem quæsito et peregrinante in exilio ad Ægyptum. Sed quando Festum venerit in Dominica, lividus color violaceus ratione diei Domini cedit locum rubeo ; qui rubeus color etiam semper adhibetur in die Octava Festi SS. Innocentium, ob eorum martyrium.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 430 et sqq.)

Nota. I. Iterum, ne quid desideretur, juvat describere textum ipsius Rubricæ.

« Albo colore utitur.... In Festis beatæ Mariæ Virginis, præterquam in benedictione Candelarum, et Processione, quæ fit in Festo Purificationis ejusdem. In Festis Angelorum. In Nativitate S. Joannis Baptistæ. In principali Festo S. Joannis Evangelistæ, quod celebratur infra Octavam Nativitatis Domini. In utraque Cathedra S. Petri. In Festo S. Petri ad Vincula. In Conversione S. Pauli. In Festo Omnium Sanctorum. In Festis Confessorum Pontificum, et non Pontificum, et Doctorum. In Festis Ss. Virginum non Martyrum, et nec Virginum nec Martyrum..... In Missis Votivis supradictorum Festorum quocumque tempore dicantur. »

« Rubeo colore utitur.... In Decollatione S. Joannis Baptistæ. In natali Ss. Apostolorum Petri et Pauli, et in Festis aliorum Apostolorum (exceptis Festo principali S. Joannis Evangelistæ, post Nativitatem Domini, et Festis Conversionis S. Pauli, et Cathedræ S. Petri, et ejus Vinculorum). In Festo S. Joannis ante portam Latinam. In Commemoratione S. Pauli Apostoli. In Festis Martyrum, excepto Festo Ss. Innocentium, quando non venerit in Dominica ; si autem in Dominica venerit, utitur rubeo ; in ejus vero die Octava semper utitur rubeo, quocumque die occurrat. In Festis Ss. Virginum Martyrum, et Martyrum non Virginum..... Item in Missis votivis supradictorum Festorum. »

« Violaceo colore utitur.... In Festo Ss. Innocentium, quando non venerit in Dominica. » (Rubricæ Generales Missalis, Tit. XVIII, nn. 2 ad 6.)

Nota. II. In Festo particulari Sacrarum Reliquiarum, sive Sanctorum quorum Reliquiæ in Ecclesiis Diœcesis asservantur et coluntur, quod aliquibus locis concessum fuit, et in nostra Diœcesi Mechliniensi celebratur Dominica ultima mensis Octobris, adhibendus est color rubeus. (Decret. S. Rituum Congregationis, 17 Augusti 1771, n. 2492, antiq. 4357.) Insuper S. Congregatio declaravit sufficere quod in Ecclesia adsint aliquot Sanctorum Reliquiæ, etiam parvo numero ; quod si non adsit Reliquia SSmæ Crucis, aut alicujus Sancti Martyris, tunc Paramentorum colorem esse album. (Decret. 18 Maji 1883, n. 3574, antiq. 5871, ad IV, Q. 1.)

Q. 130. *Quis color sacrorum Paramentorum adhibetur per Octavas Festorum ?*

R. I. Per Octavas Festorum, quæ Octavas habent, idem adhibetur pro sacris Paramentis color qui adhibitus fuit in ipsa die Festi, modo Officium et Missa dicantur de die infra Octavam. (Rubricæ Generales Missalis, Tit. XVIII, nn. 2 et 3.)

Exempla : 1. Die 27 Junii, quarta die infra Octavam Nativita-

tis S. Joannis Baptistæ, in quo Festo requiritur color albus, fit Officium de hac quarta die ; color Paramentorum erit ut in ipso Festo, nempe albus.

2. Die 4 Julii, sexta die infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli, fit Officium de hac sexta die ; color Paramentorum erit ut in ipso SS. Apostolorum Festo, nempe rubeus.

II. Si autem infra aliquam Octavam fiat de alio Festo duplici, vel semiduplici, tunc etiamsi Commemoratio fieret de currente Octava, adhibetur color occurrentis Festi.

Exempla : 1. Die 26 Junii, tertia die infra Octavam Nativitatis S. Joannis Baptistæ, per quam requiritur color albus, occurrit Festum duplex Sanctorum Martyrum Joannis et Pauli, et de Octava S. Joannis Baptistæ fit tantum Commemoratio ; color Paramentorum erit ille qui requiritur pro Festo SS. Martyrum quod celebratur, nempe rubeus.

2. Die 11 Augusti, secunda die infra Octavam S. Laurentii, Martyris, per quam requiritur color rubeus, occurrit in nostra Diœcesi Mechliniensi Festum semiduplex S. Gaugerici, Episcopi et Confessoris, et fit de eo cum Commemoratione tantum Octavæ S. Laurentii ; color Paramentorum erit ille qui requiritur pro Festo S. Gaugerici quod celebratur, nempe albus.

III. Attamen, si per aliquam Octavam fit Officium et celebratur Missa de Dominica infra eam occurrente, tunc etiam adhibetur color, non Dominicæ cujus fit Officium et Missa celebratur, sed Octavæ ; præterquam in illis Dominicis, quibus tributus est color violaceus.

Exempla : 1. Anno 1909, et quoties littera Dominicalis est C, dies 27 Junii est dies Dominica, occurrens infra Octavam Nativitatis S. Joannis Baptistæ ; anno 1909 fit Officium et celebratur Missa de Dominica, quæ est IV post Pentecosten, pro qua requiritur color viridis (cfr. Q. 128), et diei infra Octavam fit tantum Commemoratio ; attamen, quia occurrit hæc Dominica infra Octavam S. Joannis Baptistæ, cujus color est albus, ratione hujus Octavæ adhiberi debet pro sacris Paramentis color albus.

2. Anno 1907, et quoties Littera Dominicalis est F, dies 11 Augusti est dies Dominica, occurrens infra Octavam S. Laurentii, Martyris, quæ Octava requirit colorem rubeum. In Diœcesi Mechliniensi celebratur hac die 11 Augusti Festum semiduplex S. Gaugerici, Episcopi et Confessoris, et communiter de hoc Festo fit Officium, et color Paramentorum est albus. (Vide supra II, Exemplum 2.) Anno 1907 occurrit Dominica XII post Pentecosten, quæ requirit suum colorem viridem. — Dominica hæc prævalet tum diei infra Octavam S. Laurentii, tum Festo

semiduplici S. Gaugerici, et de ipsa fit Officium et celebratur Missa, cum Commemoratione S. Gaugerici et Octavæ; sed ipsa cedet colorem suum viridem colori rubro Octavæ.

3° In Directorio, seu Ordine Officiorum pro Diœcesi Mechliniensi, sæpius videre est, post Festum S. Mariæ Magdalenæ, quod celebratur 22 Julii, quando dies Dominica post hoc Festum occurrit vel die 24, vel die 27, vel die 28 Julii, et in ea Officium et Missa fiunt de Dominica, indicatos duos diversos colores pro eadem Dominica occurrente post hoc Festum, colorem viridem nempe et album, viridem scilicet per Diœcesim, album pro Civitate Mechliniensi in qua hujus Sanctæ Festum cum Octava celebratur. Cfr. Directorium anni 1904, 24 Julii; et anni 1907, 28 Julii.

4. Exemplum pro colore violaceo retento : Anno 1906, et quoties Littera Dominicalis est G, dies 9 Decembris est dies Dominica, occurrens infra Octavam Immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis; anno 1906 fit Officium et celebratur Missa de Dominica II Adventus, et diei infra Octavam fit tantum Commemoratio; sed hæc Dominica est de illis quibus tributus est color violaceus proprius tempori Adventus (cfr. Q. 128); et non cedet suum colorem violaceum colori albo Octavæ Immaculatæ Conceptionis.

Q. 131. *A qua parte Officii incipit, et quousque se extendit obligatio utendi præscripto colore pro sacris Paramentis?*

R. Obligatio utendi præscripto colore pro sacris Paramentis incipit a primis Vesperis alicujus Officii, si ipsas habeat, alias a Matutino, et se extendit quousque Officium ipsum extenditur.

Unde in Festis duplicibus, et semiduplicibus, ac Dominicis, obligatio coloris pro ipsis præscripti incipit a primis Vesperis, quibus incipit eorum Officium, perdurat per totam diem Festi, aut Dominicam, et se extendit usque ad secundas Vesperas et Completorium inclusive, quia Festa et Dominicæ eousque suum Officium extendunt.

Exemplum : Die 25 Julii celebratur Festum S. Jacobi, Apostoli, pro quo requiritur color Paramentorum rubeus (cfr. Q. 129); ejusdem Festi Vesperæ primæ jam integræ dici debent die 24 præcedente, et in ipso Festo etiam præscribuntur Vesperæ ejus secundæ integræ. Ergo a tempore Vesperarum primarum S. Jacobi, jam die 24 Julii post meridiem, usque ad finem diei 25 Julii, Paramenta Altaris, Celebrantis et Ministrorum debent esse rubei coloris.

Non raro autem duo Officia hujusmodi concurrunt,

et ex eis unum prævalet ; Officium prævalens aut præcedit, aut sequitur ; unde Officium alicujus Festi duplicis aut semiduplicis, vel Dominicæ, non jam habebit vel integras Vesperas primas, quia præcedentis prævalentis Vesperæ secundæ integræ dici debent, vel non habebit integras Vesperas secundas, quia sequentis prævalentis Vesperæ primæ integræ dici debent. In tali casu obligatio coloris præscripti existit in favorem illius Officii, sive Festi, sive Dominicæ, quod Vesperas integras habet. Hæc non possunt referri nisi ad Vesperas ; et quodcumque Festum, quæcumque Dominica, quando de eis fit Officium, semper in die propria suum colorem habebunt saltem a Matutino usque ad Nonam inclusive, consequenter semper in Missa.

Exempla : 1. Die 26 Julii celebratur Festum S. Annæ, duplex 2 classis, pro quo requiritur color Paramentorum albus ; sed præcedit, die 25 Julii, Festum S. Jacobi Apostoli ; hoc prævalet ratione dignitatis, et Festi S. Annæ non poterunt dici integræ Vesperæ primæ, sed fiet tantum Commemoratio in secundis Vesperis integris S. Jacobi : color Paramentorum in Vesperis non erit albus, sed rubeus.

2. Die 24 Januarii celebratur Festum duplex S. Timothei, Episcopi et Martyris, habens colorem rubeum ; sequitur die 25 Januarii, Festum duplex majus Conversionis S. Pauli Apostoli ; hoc prævalet, quia majus, et Festi S. Timothei non poterunt dici integræ Vesperæ secundæ, sed fiet tantum Commemoratio in primis Vesperis integris S. Pauli : color Paramentorum in Vesperis non erit rubeus, sed albus.

3. Die 1 Decembris celebratur in nostra Diœcesi Festum particulare duplex S. Eligii, Episcopi et Confessoris, coloris albi ; die 2 Decembris celebratur Festum semiduplex S. Bibianæ, Virginis et Martyris, coloris rubri ; die 3 Decembris celebratur Festum duplex majus S. Francisci Xaverii, Confessoris, coloris albi : color rubeus inter album præcedentem et album sequentem ; semiduplex inter duplex præcedens et duplex majus sequens : Festum S. Eligii duplex habebit Vesperas secundas integras, Festum S. Francisci Xaverii duplex majus habebit Vesperas primas integras, et Festo S. Bibianæ sola superest Commemoratio pro suis primis et secundis Vesperis ; color Vesperarum erit albus, et obligatio coloris rubri pro Festo S. Bibianæ incipiet a Matutino tantum, et non se extendet ultra Nonam ejus Officii.

Non raro etiam celebratur una die aliquod Festum duplex vel semiduplex, et die præcedente celebratur aliud Festum ejusdem ritus, classis, qualitatis, dignita-

tis, verbo omnino ejusdem conditionis : idem jam se offert die sequente. In hujusmodi concurrentia dimidiantur Vesperæ inter diversos concurrentes æquales, scilicet, prior Vesperarum pars (Psalmi quinque cum suis Antiphonis) dicetur de uno, altera pars (Capitulum, Hymnus, etc.) dicetur de sequenti, et hac terminata per Orationem, fit prioris præcedentis adhuc Commemoratio.

Sed possunt duo concurrentes esse coloris diversi; in tali casu diversi coloris sequens observatur regula : Si Vesperæ dimidiantur, seu dicuntur a Capitulo de sequenti, tunc ab initio Vesperarum jam adhibetur pro sacris Paramentis ille color, qui congruit Officio de quo Capitulum dicitur ; ex. gr., si hodie celebratur Festum duplex minus primarium de Sancto Martyre, exigens colorem rubrum, et cras Festum duplex minus primarium de Sancto Confessore, exigens colorem album, quia tunc dicuntur Vesperæ a Capitulo de sequenti Festo Sancti Confessoris, jam ab initio Vesperarum, etiamsi prior pars et Commemoratio dicantur de Sancto Martyre, adhibentur Paramenta albi coloris, convenientis Festo sancti Confessoris, cujus a Capitulo dicuntur Vesperæ.

Exemplum : Die 18 Maji celebratur Festum S. Venantii, Martyris, coloris rubri; die sequenti, 19 Maji, celebratur Festum S. Petri Cœlestini, Papæ et Confessoris, coloris albi ; utrumque Festum est ritus duplicis, et primarium ; ergo dimidiantur Vesperæ ; dicuntur quinque Psalmi cum suis Antiphonis ex secundis Vesperis S. Venantii ; a Capitulo fit de primis Vesperis Festi sequentis S. Petri Cœlestini, usque ad finem, deinde dicitur Commemoratio præcedentis S. Venantii : Capitulum dicitur de S. Petro Cœlestino ; ergo pro totis Vesperis istis, etiamsi pro parte dicantur de S. Venantio Martyre, adhibetur color albus.

Nota. Ad plures alios casus Concurrentiæ diversorum Officiorum posset extendi expositio quæstionis ad quas Officii partes respicit obligatio utendi præscripto colore ; cum tamen hic præsertim agendum sit de colore sacrorum Paramentorum in celebratione Missarum, quæ in præsenti Quæstione exposita fuerunt pro clariori rei notitia sufficiant, reliquis remissis ad Tractatum de Officio Divino, ubi speciatim agitur de regulis in Concurrentia Officiorum servandis.

Q. 132. *Quid notandum est pro colore Paramentorum Altaris et Celebrantis, casu quo Missa discordat ab Officio ?*

R. In præcedentibus semper suppositum fuit quod Missa concordat cum Officio, id est, quod Missa dicitur de eodem objecto, nempe de Festo, de Dominica, etc., de quo dictum fuit Officium, seu de quo recitatæ fuerunt Horæ Canonicæ.

Attamen non ita raræ sunt dies, in quibus hæc concordantia non debet observari, et de facto non observatur. Ex. gr., die 13 Julii celebratur Festum semiduplex S. Anacleti, Papæ et Martyris, pro quo color rubeus præscribitur ; sed Festum semiduplex hujusmodi de iis est, in quibus licet Missam celebrare de alio objecto, de alio Sancto, Missam dictam Votivam, ex. gr., de B. Maria Virgine, pro qua præscribitur color albus. — Aliquando quidem, rarius tamen, ita fit ex dispositione Rubricarum Missalis.

In hujusmodi casibus Missa discordat ab Officio, et discordat sæpius insuper color Missæ a colore Officii ; observantur tunc regulæ sequentes :

1° Si Missa est lecta, seu privatim celebrata, Paramenta Altaris sunt ejus coloris quem exigit Officium dictum hac die, Paramenta autem Celebrantis sunt convenientia Missæ quæ celebratur. — Frequens casus est, ut supra notatum jam fuit, in celebratione Missarum Votivarum. — Idem accidit ex dispositione Rubricarum, in Vigiliis, Feriis Quatuor Temporum, et Feria II Rogationum, quando istæ occurrunt infra aliquam Octavam ; tunc Officium quidem dicitur de die infra Octavam, sed Missa est de Vigilia, aut de Feria ; ex. gr., die 14 Augusti occurrit Vigilia Assumptionis, infra Octavam S. Laurentii : Officium dicitur de die infra Octavam et exigit colorem rubeum ; Missa dicitur de Vigilia ; — Rubrica præscribit colorem violaceum pro Paramentis Celebrantis, Paramenta vero Altaris erunt rubei coloris.

2° Si Missa solemniter celebratur, distinguendum est : Si Missa Votiva privata celebratur cum exteriori solemnitate Ministrorum et cantus, tunc saltem convenit ut tempore Missæ Paramenta Altaris sint ejusdem coloris cum Paramentis Celebrantis et Ministrorum ;

si celebratur Missa Votiva solemnis, tunc omnino requiritur ut Paramenta Altaris et Celebrantis ac Ministrorum concordent, etiamsi alius sit color Officii ejusdem diei. (Cfr. Decreta S. Rituum Congregationis, 13 Augusti 1667, n. 1357, antiq. 2417, ad3; et 30 Junii 1896, n. 3922.)

Q. 133. *Quis color adhibendus est in Missis celebratis coram SS. Sacramento in throno exposito ?*

R. I. Color albus omnino requiritur in Ritu Romano pro Missis de SS. Eucharistiæ Sacramento. (Cfr. Q. 127.) Declaravit enim S. Rituum Congregatio, « in Festis principalioribus, et aliis SSmi Eucharistiæ Sacramenti, nullo modo posse celebrari cum Paramentis rubeis, sed tantum in Paramentis albis, juxta Ritum Romanum. Et ita jussit, et servari mandavit, quibuscumque in contrarium non obstantibus. » (Decret. 23 Januarii 1683, n. 1703, antiq. 3012.)

II. Attamen fieri potest quod coram SS. Sacramento celebranda sit Missa quæ non est, neque esse potest de eodem SS. Sacramento, et quæ alium colorem ipsa requirit; ex. gr., si in Festo Pentecostes, in quo requiritur color Paramentorum rubeus, Missa celebratur ad Altare in quo SS. Sacramentum publice in throno expositum est.

In hoc casu sequentia observari debent :

1° Quamquam Officium diei requirat colorem ab albo diversum, pallium tamen seu antipendium, et reliqua Paramenta Altaris in quo expositum est SS. Sacramentum, semper esse debent coloris albi. Ita præscribitur per varia S. Rituum Congregationis Decreta, et in Instructione Clementina, pro solemni Expositione in Oratione XL Horarum, seu Adoratione perpetua ; quod ex æquitate et identitate rationis ad Expositiones quascumque, etsi minus solemnes, extendi debet. — Paramenta vero Celebrantis et Ministrorum erunt coloris qui Missæ convenit, quicumque sit, excepto nigro. (Cfr. Decretum 19 Decembris 1829, n. 2673, antiq. 4652, citatum Q. 43, in Nota ad II, pro antipendio in Festo Pentecostes.)

2° Quod si immediate post Missam, in qua, prout Officii qualitas exigit, adhibitus fuit color vel rubeus,

vel viridis, vel violaceus, instituenda sit Processio aut danda sit Benedictio, Paramenta Celebrantis et Ministrorum non sunt varianda, sed Pluviale ejusdem coloris a Celebrante erit assumendum. Color tamen Veli humeralis indiscriminatim erit albus, quia Velum nihil habet commune cum Missa et unice Sacramento inservit. (Decret. 26 Martii 1859, n. 3086, antiq. 5285, ad 5.) — Si vero Celebrans post Missam ab Altari discedat, ex. gr., ad sacristiam, etsi mox reverteretur ad Altare, Processio aut Benedictio censenda est actio separata, actus liturgicus alius, et varianda sunt Indumenta, ac adhibenda albi coloris, quæ sacræ illi actioni separatæ conveniunt. (Cfr. Gardellini : *Commentaria ad Instructionem Clementinam pro Oratione XL Horarum*, § XVIII ; et Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 177.)

Idem declaravit et servari mandavit S. Rituum Congregatio, ad dubium super simili casu respondens : « Quatenus Sacerdos, qui Vesperas paratus celebravit, non recedat ab Altari, et assistat tum concioni, tum precibus, Repositionem faciendam esse cum Paramentis coloris respondentis Officio diei, et velo humerali coloris albi ; quatenus vero recedat, et Repositio habeatur tamquam functio omnino separata et distincta ab Officio Vesperarum, utendum esse Paramentis coloris albi. » (Decret. 20 Septembris 1806, n. 2562, antiq. 4503.) Eadem dicenda esse pro Missa, quæ in Decreto dicuntur pro Vesperis, nemo non videt.

Et ad aliud dubium super colore Paramentorum in Missa Votiva « pro quacumque tribulatione » et Litaniis et Precibus ante SS. Sacramentum expositum, declaravit : « Exposito SSmo Sacramento, si canitur Missa pro quacumque tribulatione, et statim sequuntur Litaniæ, Benedictio et Repositio SSmi Sacramenti, omnia in Paramentis violaceis sunt peragenda : si vero Missa non habeatur, sed tantum Preces, tunc in Expositione et Repositione SSmi Sacramenti color albus est adhibendus. » (Decret. 27 Junii 1868, n. 3175, ad 3, antiq. 5401, ad 4.)

3° Si autem ipsa Missa non celebraretur coram SS. Sacramento exposito, sed Expositio et Repositio SS. Sacramenti fierent tantum immediate post Missam seu

Officium, ita ut Celebrans ejusque Ministri ab Altari non recedant, licebit etiam Altaris Paramenta retinere ejus coloris quem exigit Officium diei, præsertim cum non ita facile sit ea tunc temporis immutare. (Decret. 1 Decembris 1882, n. 3559, antiq. 5855, ad 1.) Hoc Decretum intelligendum esse videtur pro casu, quo Missa ipsa non celebretur coram SS. Sacramento exposito, et Expositio ac Repositio fiant vel ante Missam, vel post Missam ; non autem Expositio ante, et Repositio post Missam, manente SS. Sacramento exposito tempore Missæ. (Cfr. dicta Q. 43, ad II in Nota ; et Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 512.)

APPENDIX

Dicere quædam hic loci juvat de aliis Paramentis sacris, quæ in Sacrificii Missæ solemni celebratione, aliisque ecclesiasticis functionibus usuveniunt, scilicet : de Dalmatica, de Tunicella, de Planetis plicatis, de Velo humerali, de Pluviali, de Stola extra Missam, de Superpelliceo ; necnon de bireto, et de toga talari.

Q. 134. *Expone originem et formam Dalmaticæ, et Tunicellæ ; et indica quæ distinctio detur Dalmaticam inter et Tunicellam.*

R. I. Dalmatica, vestis sacra propria Diaconi, est tunica talaris larga, coloris primitus albi, cum amplis manicis, et ornata fasciis duabus purpureis, quæ valde tenues, seu ad formam limbi, clavi vocabantur, et a collo ad imum ab utraque parte descendebant.

Tamquam vestis viris præstantioribus communis, e Dalmatia, a qua nomen accepit, Romam inducta videtur sæculo II.

A principio in Dalmatica recognita fuit figura Crucis commissæ, et tamquam conveniens æstimata fuit Christianis in oratione positis, qui brachiorum extensione Crucis figuram innuebant.

Jam sæculo IV cessavit Dalmaticæ usus communis apud laicos, et ubi facta fuit vestis specialius ecclesiastica, ejus manicæ ampliorem formam acceperunt, ita ut aliquando totius vestimenti medietatem earum lati-

tudo attingeret ; insuper manicæ ornari cœperunt eodem ornatu quo ipsa vestis, clavis scilicet ad earum extremitates appositis. (Cfr. Fig. I.)

I. DALMATICA ANTIQUA



Sæculo XII, in utroque vestis latere scissura admissa fuit, ita tamen ut infra brachia sub manicis utraque Dalmaticæ pars anterior et posterior, semper remaneret conjuncta ; et mox inferior vestis pars amplior facta fuit, quo magis libere functiones suas exerceret Diaco-

II. DALMATICA MEDII ÆVI



nus. Insuper clavi locum cesserunt amplioribus fasciis, et sæculo XIII apparent fasciæ horizontales, appositæ inter verticales a parte superiori, et aliquando etiam inferiori. (Cfr. Fig. II.)

Medio ævo clavi ornati sæpius erant filamentorum manipulis ; et in figuris Pontificalis Romani anni 1595, et Cæremonialis Episcoporum anni 1600, proponuntur Dalmaticæ, cum chordulis ab utroque humero supra dorsum dependentibus, appensis globulis laciniatis pluribus, quos floccos dicunt. (Cfr. Fig. III.)

III. DALMATICA CUM FLOCCIS



IV. DALMATICA GALLICA



Hodierna Dalmatica Romana primitivam formam aliquo modo retinet, et habet adhuc manicas; sed scissuras laterales in ipsa veste admittit sub manicis infra brachia.

Ad nos vero e Gallia pervenit forma Dalmaticæ omnino reformatæ; non enim ipsa solum vestis ab utroque latere totaliter scissa fuit, sed et ipsæ manicæ de subtus descissæ fuerunt; ita ut manicæ nequidem forma remaneat, sed appendicis ad instar panni ab utroque humero dependentis forma habeatur; insuper ab anteriori parte ad altitudinem pectoris inter brachia admissa fuit excisio, quæ primitivam Dalmaticæ decoram formam totaliter defiguravit. (Cfr. Fig. IV.)

Tunicella, qua utitur Subdiaconus in sacris functionibus, etiam dicta Tunica stricta, quia minor erat Tunica diaconali, a principio in omnibus fere similis Dalmaticæ, sed hac strictior erat et brevior, et non æque pretiosa.

II. Labentibus sæculis, Tunicella quoad formam et materiam Dalmaticæ similis facta fuit; retenta tamen, quæ et hodiedum Romæ retinetur, differentia in manicis, quæ in Dalmatica largiores sed breviores, in Tunicella vero strictiores sed longiores sunt. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. X, n. 1.)

Hæc Dalmaticam inter et Tunicellam distinctio optime animadvertitur in Missa Pontificali ab Episcopo celebrata; Episcopus enim, ad indicandum quod eminenter et in plenitudine acceperit omnes sacros Ordines, assumit præter Planetam etiam Tunicellam et Dalmaticam; Tunicellæ manicæ strictiores et longiores aliquantum conspiciuntur sub manicis largioribus sed brevioribus Dalmaticæ.

In nostris regionibus nulla jam datur distinctio Dalmaticam inter et Tunicellam, et utraque sacra Vestis eamdem miseram deformationem sortita est.

Q. 135. *Quæ est mystica significatio Dalmaticæ et Tunicellæ; et a quo tempore earum usus introductus fuit?*

R. I. Dalmatica et Tunicella sunt vestes quæ solemnitatem et lætitiam significant, ut patet ex precibus quæ dicuntur ab Episcopo in earum impositione; ad

Subdiaconum enim dicit : « Tunica jucunditatis, et indumento lætitiæ induat te Dominus » ; et ad Diaconum : « Induat te Dominus indumento salutis, et vestimento lætitiæ, et dalmatica justitiæ circumdet te semper. » (Cfr. Pontificale Romanum.)

II. Dalmaticam, Romam e Dalmatia inductam, a viris præstantioribus mox assumptam fuisse sæculo II, dictum fuit in responso ad præcedentem Quæstionem. Successive ipsi Imperatores eam tamquam cæremonialem apparatus vestem adhibuerunt ; et in Pontificali Romano sub Sancto Pio V Venetiis edito anno 1572, Titulo *De Coronatione Romani Imperatoris* (qui Titulus omissus fuit in editione Clementis VIII, anni 1595), adhuc legitur Imperatorem, incepta cæremonia, induere sandalia, Tunicellam (seu Dalmaticam) et imperiale paludamentum (chlamydem seu cappam) ; imo Dalmatica usque hodiedum computatur inter insignia, quæ in cæremonia coronationis assumunt reges Angliæ, ex antiquissima traditione usus Catholici, quem et in hæresi retinuerunt.

Dalmaticam in Ecclesia Romana antiquitus, scilicet sæculo circiter IV, solus induebat Summus Pontifex in Missa Pontificali. Ex documentis historicis sæculi VIII constat, Summos Pontifices aliquando quibusdam Episcopis, quos honorare volebant, concessisse Dalmaticam tamquam honoris meritique insigne ; paulatim tamen omnes Episcopi ipsam assumere in Missa Pontificali potuerunt, ad significandum, uti jam dictum fuit, ipsos in plenitudine accepisse omnes sacros Ordines.

Sanctum Silvestrem Papam († 337), sæculo IV Dalmaticæ usum concessisse Diaconis Romanæ Ecclesiæ legitur (cfr. Breviarium Romanum, in Festo S. Silvestri, 31 Decembris, Lectione VI) ; quod privilegium ad aliarum Ecclesiarum Diaconos paulatim extenderunt Summi Pontifices ; constat enim, sæculo VI ineunte, a Summo Pontifice S. Symmacho († 514) ipsam fuisse concessam Diaconis Ecclesiæ Arelatensis ; ejus usus sæculo IX generalis fuit. Antea Diaconi alba tantum cum planeta, aut, ut quidam putant, tunica quadam minus splendida, colobium nuncupata, induti erant ; attamen de usu colobii non ita certo constat.

Tunicella videtur post sæculum undecimum concessa Subdiaconis, qui hucusque alba tantum induti, vel cum planeta ministraverant.

Q. 136. *In quibus Officiis utuntur Dalmatica et Tunicella Diaconus et Subdiaconus ? In quibus non ?*

R. I. « Dalmatica et Tunicella utuntur Diaconus et Subdiaconus in Missa solemni, et Processionibus, et Benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant. » (Rubricæ generales, Tit. XIX, n. 5.) Hæc Missalis Rubrica generatim tantum indicat Missas et Officia, in quibus Ministri sacri utuntur Dalmatica et Tunicella ; exceptiones non paucæ sunt, ut patebit ex altera parte responsi.

Nota. I. Dalmatica et Tunicella debent esse conformes Planetæ Celebrantis, vel etiam Pluviali, quoad materiam et ornatum ; et Sacerdoti celebranti, etiamsi sit in aliqua dignitate constitutus, non competit Planeta ornatus pretiosioris. Ad sequens super hac re dubium : « In Cathedrali, quando celebrat Canonicus, Diaconus et Subdiaconus aliquando sunt inferioris ordinis ; quæritur : An deceat Canonicum celebrantem esse in Paramento pretioso, Diaconum et Subdiaconum paratos esse inferiori Dalmatica et Tunicella ? » S. Rituum Congregatio declaravit : « Congruere quod Dalmaticæ et Tunicellæ, si fieri potest, conformes sint Planetæ Celebrantis, quia sacra hæc Indumenta non Ministrorum ornatui sed ecclesiasticæ functionis decori inserviunt. » (Decret. 31 Maji-4 Junii 1817, n. 2578, antiq. 4536, ad 4 ; cfr. Adnotatio super hoc Decreto, in Vol. IV Collectionis, pag. 161.)

Nota. II. Quando Diaconus Sacerdoti assistit, in quacumque functione, Missa, Benedictione, Processione, SS. Sacramenti expositione et repositione, semper induit Stolam, etiamsi in quibusdam functionibus, ut infra dicetur, Dalmaticam non induat, aut ejus loco Planetam plicatam accipiat.

Quoad usum Manipuli, notandum est quod Diaconus et Subdiaconus Manipulum accipiunt tantum pro Missæ celebratione ; sed in aliis functionibus, nempe Benedictionibus, Processionibus, etc., numquam Manipulum brachio imponunt ; et ita, ex. gr., Dominicis diebus Manipulum accipiunt tantum post Aspersionem aquæ benedictæ ; item si immediate post Missam instituitur Processio, aut datur Benedictio cum SS. Sacramento, post ultimum Evangelium Missæ statim Manipulum deponunt. — Excipiuntur tantum quædam functiones, aut potius partes functionum, in quibus ad aliquos earum ritus Manipulum accipiunt, ex. gr., in Benedictione Palmarum, in quibusdam partibus Officii Sabbati sancti, etc. ; ut assignatur in Rubricis harum functionum.

II. Diebus sequentibus Diaconus et Subdiaconus non possunt, juxta Rubricam Missalis, uti Dalmatica et Tunicella : « In diebus jejuniorum (præterquam in Vigiliis Sanctorum), et in Dominicis et Feriis Adventus, et Quadragesimæ, ac in Vigilia Pentecostes ante Missam (excepta Dominica *Gaudete*, etiam si ejus Missa infra Hebdomadam repetatur, et Dominica *Lætare*, Vigilia Nativitatis Domini, Sabbato sancto in Benedictione Cerei et in Missa, ac in Quatuor Temporibus Pentecostes), item in benedictione Candelarum, et Processione in die Purificationis beatæ Mariæ, et in benedictione Cinerum, ac benedictione Palmarum, et Processione. » (Rubricæ generales, Tit. XIX, n. 6.)

His diebus et in his Officiis Diaconus et Subdiaconus, « in Cathedralibus, et præcipuis Ecclesiis utuntur Planetis plicatis ante pectus », de quibus dicitur in Quæstione sequenti ; « in minoribus autem Ecclesiis, prædictis diebus jejuniorum Alba tantum amicti ministrant : Subdiaconus cum Manipulo, Diaconus etiam cum Stola ab humero sinistro pendente sub dexterum. » (Rubricæ, loco citato, nn. 6 et 7.)

Ex hac Rubrica et ex aliis diversis patet quod usus Dalmaticæ et Tunicellæ prohibetur :

A) In Missis : A Dominica I Adventus inclusive usque ad Vigiliam Nativitatis Domini exclusive ; excepta Dominica III Adventus, quæ dicitur *Gaudete*, necnon infra tertiam Adventus hebdomadam, quando Dominicæ Missa *Gaudete* repeteretur ; — a Feria IV Cinerum inclusive usque ad Missam Sabbati sancti exclusive ; exceptis Dominica IV Quadragesimæ, quæ dicitur *Lætare*, et Feria V in Cœna Domini ; excepta etiam in Sabbato sancto Benedictione Cerei Paschalis, pro qua Diaconus assumit Dalmaticam ; — in Quatuor Temporibus quæ occurrunt in Adventu et mense Septembris ; exceptio enim a Rubrica fit pro Quatuor Temporibus infra Octavam Pentecostes; et alia occurrunt in Quadragesima, quod anni tempus jam supra indicatum habetur.

Nota. I. Prohibitio Dalmaticæ et Tunicellæ exstat tantum pro Missis de Tempore, id est, pro Missis quæ celebrantur de Dominicis, aut de Feriis, tempore Ad-

ventus aut Quadragesimæ, aut in Quatuor Temporibus supra assignatis ; nam si his temporibus aut diebus celebrantur aliæ Missæ quæ non sunt de Tempore, scilicet Missæ Festivæ aut Votivæ, in his Diaconus et Subdiaconus debent assumere Dalmaticam et Tunicellam.

Nota. II. Prohibetur usus Dalmaticæ et Tunicellæ in his Missis, etiamsi celebrentur coram SS. Sacramento solemniter exposito ; etenim, ad dubium : « Utrum Ministri sacri uti possint Dalmaticis in Dominicis Adventus et Quadragesimæ in Ecclesiis, ubi exponitur Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad fidelium venerationem, ut lucrentur Jubilæum, qui dicitur Quadraginta Horarum ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 31 Augusti 1867, n. 3161, antiq, 5385, ad 2.)

B) In Processionibus : Scilicet, in duabus Processionibus quæ instituuntur post Benedictionem Candelarum, 2 Februarii, et post Benedictionem Palmarum, in Dominica Palmarum. — In aliis autem Processionibus quibuscumque, sive SS. Sacramenti, sive Litaniarum majorum et minorum, sive pro diversis necessitatibus, Ministri sacri si adsunt semper utuntur Dalmatica et Tunicella.

C) In Benedictionibus : Scilicet, in Benedictionibus Candelarum, 2 Februarii, Cinerum, in Feria IV Cinerum, et Palmarum, in Dominica Palmarum ; in Benedictionibus ignis, incensi, et Fontis baptismalis Sabbato sancto, et in Benedictione Fontis in Vigilia Pentecostes, (seu in Sabbato sancto et in Vigilia Pentecostes, per totum Officium quod fit ante Missam) ; — item in sequentibus functionibus quæ ab Episcopo peraguntur : Benedictio primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda, Dedicatio Ecclesiæ, Consecratio Altaris ; non obstat quidem defectus in solemnitate harum functionum, sed ita præscribitur in Pontificali Romano, forsan ut expeditiores esse valeant Ministri sacri in hisce functionibus. — Ad dubium propositum pro Dedicatione Ecclesiæ, S. Rituum Congregatio declaravit utrumque Diaconum et Subdiaconum non sumere Dalmaticam et Tunicellam, « juxta Rubricam Pontificalis, in quo clare disponitur quænam sacra Indumenta sumere debeat

uterque Diaconus et Subdiaconus. » (Decret. 17 Maji 1890, n. 3729, ad 3.)

Nota. In Benedictionibus SS. Sacramenti quibuscumque, etiam iis diebus quibus Dalmatica et Tunicella prohibentur in Missis, debent assumi Dalmatica et Tunicella a Diacono et Subdiacono ; modo Benedictio SS. Sacramenti sit functio omnino a Missa separata ; nam si Benedictio daretur immediate post Missam, ita ut Celebrans ejusque Ministri ab Altari non recedant, Diaconus et Subdiaconus remanerent cum suis quæ per Missam habuerunt Indumentis, nempe cum Planetis plicatis, aut sine illis ; sed non cum Dalmatica aut Tunicella. Eodem modo agitur in hoc casu, sicut propositum fuit Q. 133, ubi dicitur de colore sacrorum Paramentorum in Missis coram SS. Sacramento celebratis.

Nota. I. Nihil dicitur in præcedentibus de usu Dalmaticæ et Tunicellæ in sequentibus functionibus : in delatione corporis Defuncti ad Ecclesiam pro Exsequiis ; — in Absolutione, aut functione quacumque in Exsequiis Defunctorum in quibus Missa exsequialis solemnis non celebratur ; — in Benedictionibus tum primarii lapidis pro Ecclesia ædificanda, tum Ecclesiæ vel Oratorii publici, quando fiant a Sacerdote facultatem habente ab Episcopo. Ratio est, quia pro hujusmodi functionibus ministerium Diaconi et Subdiaconi in Libris liturgicis non indicatur, aut quidem pro quibusdam prohibetur ; Celebranti has functiones peragenti assistunt Sacerdotes, aut Clerici, sed omnes sunt superpelliceo tantum induti.

Neque de Dalmatica aut Tunicella in Vesperis dicitur, quia assistentes in Vesperis induunt superpelliceum, et si placet, Pluviale, sed non alia Paramenta.

Fusius de his functionibus agitur in Tractatu de administratione Sacramentorum, et in Tractatu de Officio Divino.

Nota. II. Quantum recta liturgica ratio nonnumquam offendi potest, docent sequentia S. Rituum Congregationis hac super re Decreta :

1. Dubium : « An loco Missæ solemnis cum cantu, ad evitandam diuturniorem moram, celebrari possit Missa lecta, eidem inservientibus Diacono et Subdiacono, Dalmatica et Tunica indutis ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Negative. » (Decret. 21 Julii 1855, n. 3931, antiq. 5211, ad 1.)

2. Dubia : « Anne in Missa pro Defuncto, corpore præsente, quando non cantatur, adhiberi valeant Diaconus et Subdiaconus sacris Paramentis induti ? et quatenus affirmative, — An in ipsis Exsequiis Defunctorum extra Missam peractis, adhiberi possint Diaconus et Subdiaconus sacris Indumentis parati ? »

S. Congregatio rescribendum censuit: « Negative ad utrumque.» (Decret. 6 Februarii 1858, n. 3066, antiq. 5258.)

3. Dubium: Episcopus exponit quod in sua Diœcesi, sicut in quibusdam aliis Galliarum Diœcesibus, « consuetudo invaluit sicubi desunt Diaconi et Subdiaconi pro cæremoniis Missarum solemnium, duos laicos sive juvenes sive uxoratos induendi Vestibus sacris, nimirum Amictu, Alba, Cingulo, Tunica vel Dalmatica, numquam tamen Stola ac Manipulo, pro Missa majore, quorum alter Diaconi munere fungi, alter Subdiaconi ministerium adimplere censetur, quin tamen aliquam functionem ad hos sacros Ordines pertinentem obeant; nam Celebranti tantum assistunt, ut inde major sit Missæ majoris solemnitas; nunc proinde idem Episcopus Sacram ipsam Congregationem requisivit: An invectam hanc consuetudinem conservare; vel potius de medio tollere debeat? » S. Congregatio rescribendum censuit: « Consuetudo tamquam abusum omnino est eliminanda; et in casu Missa cantetur per solum Presbyterum. » (Decret. 11 Septembris 1847, n. 2952, antiq. 5103.)

4. Dubium: In quadam Ecclesia Cathedrali « Ceroferarii, qui nec tonsura initiati sunt, Albam et Dalmaticam etsi non benedictas induunt. Quum hic usus jam in aliquibus Diœcesibus vigeat Ditionis Boliviæ, quæritur an sit permittendus? » S. Congregatio rescripsit et servari mandavit: « Negative. » (Decret. 24 Januarii 1890, n. 3722, ad 2.)

Q. 137. *Quid sunt Planetæ plicatæ, quibus diebus, et in quibus Ecclesiis adhibentur, et quis est earum usus?*

R. I. Planetæ ante pectus plicatæ sunt Planetæ ejusdem formæ et coloris ac illa Celebrantis, sed ante pectus sunt intrinsecus plicatæ vel revolutæ pro tertia circiter earum longitudinis parte, ob commoditatem usus in sacro ministerio; quod ut intelligatur, in memoriam revocanda est antiqua Planetæ forma, quæ totum corpus tegebat. (Cfr. Q. 108, I.)

Nota. Antiquitus Planeta, seu Casula erat vestis communis, tam Presbyteris quam aliis Ministris (cfr. Q. 96, 6°); quia vero Casula antiqua totum involvebat hominem, sicuti ex necessitate Sacerdos celebrans eam revolvebat et complicabat, ita, quia Ministris etiam magno erat impedimento in functione, factum est ut Ministrorum Planetæ etiam complicarentur, quo ad ministerium essent expeditiores: ipsi autem Planetam revolvebant seu complicabant, non sicut Sacerdos ab utroque latere, sed a parte anteriori.

Labentibus sæculis, cessavit usus Planetarum pro Ministris, qui earum loco adhibuerunt Dalmaticam et Tunicellam; nihilominus remansit Planetarum usus pro Diaconis et Subdiaconis in quibusdam pœnitentialibus diebus; quæ Planetæ quidem ad-

huc complicantur in anteriori parte, quamvis non amplius videatur necessaria talis complicatio, ob decurtationem et scissionem Planetarum apud Latinos introductam ; sed ita fieri æstimatur, ut remaneat vestigium antiquæ disciplinæ. (Cfr. Fig. V. VI.)

PLANETA PLICATA

V. Ante



VI. Retro



Hujusmodi Planetas debere esse complicatas nomen earum et finis probant ; in quibusdam Ecclesiis tamen adhibentur Planetæ decurtatæ sine complicatione in anteriori parte, descissa enim fuit circiter tertia longitudinis pars. Cum finis, nempe major commoditas, obtineatur per Planetas ita decurtatas æque ac per complicatas, censent auctores Planetas decurtatas adhiberi posse ; et quidam affirmant tales adhiberi Romæ, etiam in insignioribus Ecclesiis. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 622.)

Notatum jam fuit (cfr. Q. 116, V) in nostris Planetis plicatis admissum et retentum fuisse ornatum, more Romano, columnæ a tergo, et Crucis commissæ ante pectus ; in quibusdam etiam sola columna apposita habetur ab ante et a retro, absque Crucis figura, more Hispanico.

II. Planetæ plicatæ adhibentur tantum pro Paramentis coloris violacei et nigri, et usuveniunt generatim in illis Missis et Officiis pro quibus prohibetur usus Dalmaticæ et Tunicellæ. (Omnium dierum numerum, et exceptiones vide Tit. XIX Rubricarum generalium Missalis, n. 6 ; cfr. Q. 136, II.)

Si quis petat, quare Dalmatica et Tunicella adhibeantur in Missis de *Requiem* solemnibus, quæ luctum quoque important,

respondent auctores animadvertendum esse, pro fidelibus Christianis diem obitus esse diem liberationis, quæ ipsis gloriam et felicitatem in cœlo procurabit ; quia tamen consanguineorum luctus habenda est ratio, ideo nigri coloris adhibentur in his Missis indumenta.

III. Rubrica Missalis notat quod Planetæ plicatæ adhibentur tantum « in Cathedralibus et præcipuis Ecclesiis » (loco supra citato, n. 6) ; « in minoribus autem Ecclesiis » Diaconus et Subdiaconus « Alba tantum amicti ministrant : Subdiaconus cum Manipulo, Diaconus etiam cum Stola ab humero sinistro pendente sub dexterum. » (Ibid. n. 7.)

Quænam sunt præcipuæ Ecclesiæ ? Præter Cathedrales eo nomine intelliguntur Ecclesiæ Collegiales, Abbatiales, insignioresque Regularium Ordinum. Quoad Parochiales Ecclesias, ad dubium : « An pro Ecclesiis majoribus, in quibus, diebus jejunii, Diaconus et Subdiaconus servire debent in Missa cum Planetis ante pectus plicatis, veniant etiam Ecclesiæ Parochiales ? » S. Rituum Congregatio rescripsit : « Affirmative ; ad effectum de quo in casu. » (Decret. 23 Aprilis 1875, n. 3352, antiq. 5607, ad 7.)

An in Cathedralibus et præcipuis Ecclesiis debent, an in minoribus Ecclesiis non possunt adhiberi Planetæ plicatæ ? Rubrica eo sensu intelligitur quod datur obligatio utendi Planetis plicatis in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Abbatialibus, insignioribusque Regularium. — Quoad Ecclesias Parochiales, certo affirmari potest numquam præteritis sæculis adhibitas fuisse Planetas plicatas in nostris Parochialibus ; quæ enim Ecclesiæ Parochiales hodie eas habent, sunt illæ quæ fuerunt Collegiatæ ante perturbationem Gallicam exeunte sæculo XVIII, et ab inde uti meræ Parochiales restitutæ fuerunt ; posse in Parochialibus adhiberi Planetas plicatas adeo certum est, quod quidam auctores post Decretum supra citatum, eas inter præcipuas computent pro quibus exstat obligatio. – « In minoribus vero Ecclesiis non sunt necessariæ, sed possunt adhiberi, et Decretum quod illas prohibebat, e nova Collectione expunctum fuit ; ideoque in iis Ecclesiis Diaconus et Subdiaconus ministrare possunt vel in Albis, vel

cum Planetis plicatis, uti magis libet. » (Ita Ephemerides Liturgicæ, XII, 1898, pag. 312.)

IV. Quoad usum Planetæ plicatæ a Subdiacono et Diacono in celebratione Missæ solemnis, prænotare juvat, quod nulla ratio habenda est majoris minorisve dignitatis Ministrorum ; sed quicumque ministrat in Missa in diebus quibus Planetæ plicatæ præscribuntur, sive Canonicus sit sive inferioris ordinis, eis uti debet, et non licet eas mutare cum Dalmatica aut Tunicella. (Decret. S. Rituum Congregationis, 10 Maji 1826, n. 2646, antiq. 4620, ad 4 ; cfr. Adnotatio super hoc Decreto, in Vol. IV Collectionis, pag. 273.)

Pro usu Planetæ sequentia observanda sunt. (Cfr. Rubricæ generales, Tit. XIX, n. 6.)

Subdiaconus cum Planeta plicata ministrans in Missa solemni, ipsam deponit cum lecturus est Epistolam, antequam accipiat librum. Accepta post cantum Epistolæ benedictione Celebrantis, priusquam deferat Missale ad cornu Evangelii, resumit suam Planetam plicatam. — Ipsam deponit Subdiaconus, ad significandum eamdem sibi stricte non esse tribuendam, neque per se, neque in ordine ad proprium ministerium. (Cfr. Tomus V, Cæremoniale, Q. 53.)

Diaconus, antequam accipiat librum Evangeliorum, similiter eam dimittit, ipsaque tunc super sinistrum humerum super Stolam complicatur ; aut ponitur aliud genus Stolæ latioris in modum Planetæ plicatæ ; quæ Stola ligatur cordulis sub brachio dextro ; et ita indutus Diaconus ministrat Celebranti usque ad factam Communionem ; hac peracta, repositoque Missali in cornu Epistolæ, Diaconus, deposita Stola latiori, resumit Planetam plicatam. (Cfr. Tomus V, Cæremoniale, Q. 86.)

Complicatio Planetæ, olim necessaria, ut supra ad I dictum fuit, remoto per hodiernam formam impedimento, omitti quidem jam posset ; attamen eam Rubricæ præscribunt. Sed quia non sine aliqua difficultate et temporis spatio notabili, Planeta ipsa complicari posset, congruum existimatum fuit, quod Diaconus eam exueret, et quoddam indumenti genus, ejusdem materiæ et coloris, quod nunc Stolam latiorem appellant, originis quidem recentis, indueret. Hæc Stola latior habet eamdem longitudinem quam Stola, sed latitudo ejus est 25 circiter centi-

metrorum ; vocatur Stola quia eodem jam modo quam ipsa Diaconalis Stola imponitur.

Ex dictis satis patet, hoc indumentum non esse, sed tantum appellari Stolam, et non posse Diaconalis Stolæ locum tenere ; ideo præscribitur ut Diaconus illud super Stolam suam Diaconalem, hac nullomodo deposita, induat.

De hac Stola latiori sequentia decrevit S. Rituum Congregatio :

Quoad ejus ornatum ; ad dubium : « Utrum Stola latior, qua utitur Diaconus, dum tempore Adventus et Quadragesimæ deponit Planetam plicatam, debeat habere intextas tres Cruces, sicuti habentur in Stola communi ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 25 Septembris 1852, n. 3006, antiq. 5180, ad 7.)

Quoad ejus usum : ad dubium : « An tolerari possit usus canendi Passionem in Majori Hebdomada, adhibita Stola latiori, vulgo *Stolone*, super Stola ? » S. Congregatio rescripsit : « Negative. » (Decret. 11 Martii 1897, n. 3949, ad 6.)

Q. 138. *Quid notandum est de Velo humerali, quod in quibusdam ecclesiasticis functionibus adhibetur ?*

R. I. Velum humerale, quo utitur Subdiaconus, ad deferendum Calicem ad Altare ad Offertorium, vel ad tenendam Patenam, adhibetur in Missis quæ celebrantur cum Paramentis coloris albi, aut rubei, aut viridis, aut violacei, numquam vero in Missis de *Requiem* ; quoad colorem conforme esse debet reliquis Paramentis ; sed quoad materiam notandum est, quod, quæcumque sit materia Paramentorum, Velum ipsum sericum esse debet, sicut Velum Calicis. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. X, n. 5 ; cfr. QQ. 83, et 103, VIII.)

Velata manu aliquid accipere aut offerre, jam apud antiquos venerationis erat signum. A quarto jam sæculo præscriptum reperitur, Vasa sacra manu nonnisi velata tangere ; oblationes panis et vini in Sacrificio cum fanonibus candidis præsentatas legimus. (Cfr. Bona, *Rerum liturgicarum*, Lib. I, Cap. 24, n. 12.)

Ideo Subdiaconus, cujus est « Diacono ministrare... Calicem et Patenam in usum Sacrificii eidem offerre » (Pontificale Romanum, *De Ordinatione Subdiaconi*), Vasa sacra ad Altare deferebat candidis fanonibus velata ; et post Offertorium, eodem modo velatas tenebat Patenas, usque dum super istas pro fidelium Communione fractio sacrarum Hostiarum fieri debebat.

Fanon primitus erat candida mappula quæ solas manus operiebat ; postea reperitur longior, adeo ut ab utroque humero super brachia et manus penderet ; successu temporis ampliorem et pretiosiorem formam hodierni Veli humeralis accepit.

Velum humerale Subdiaconi ita confectum esse debet, ut longius pendeat a parte dextera, quo melius pars hæc longior

valeat extendi super Calicem quem portat Subdiaconus. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. II, Cap. VIII, n. 60.)

II. Velum humerale, quo utitur Sacerdos, pro deferendo SS. Sacramento, aut pro danda Benedictione, quicumque sit color cæterorum Paramentorum, album semper esse debere, et sericum, præscribit Rubrica. (Cæremoniale Episcoporum Lib. II, Cap. XXVIII, n. 14.) Idem quoad colorem declaravit S. Rituum Congregatio ; ad dubium : « An Velum, quod imponitur humeris Sacerdotis ad deferendum Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, debeat esse coloris diei ? » S. Congregatio rescripsit : « Velum humerale semper debere esse coloris albi. » (Decret. 26 Martii 1859, n. 3086, antiq. 5285, ad 5.)

Semel in anno, nempe Feria VI in Parasceve, Celebrans accipit Velum humerale albi coloris super Planetam nigri coloris, ad deferendum SS. Sacramentum e loco Repositionis ad Altare in quo peragitur functio hujus diei. Alias vero numquam licet cum Paramentis nigri coloris SS. Sacramentum deferre, aut cum Eo populum benedicere, etiamsi assumeretur Velum humerale albi coloris ; etenim ad dubium : « Sacerdos post Missam de Requie potestne aperire Tabernaculum et, dicto *Tantum ergo*, populum cum SSmo Sacramento benedicere, adhibito super Planeta coloris nigri Velo humerali albo ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 12 Martii 1897, n. 3949, ad 8.)

III. Quoad formam Veli humeralis notandum est, ejus longitudinem communiter esse circiter 250 centimetrorum ; latitudinem in nostris regionibus esse circiter 60 centimetrorum, sed more Romano ampliorem sumi, scilicet unius metri ; hæc majori decoro præstat, magnum enim et amplum esse debere Velum humerale notat Cæremoniale Episcoporum. (Lib. II, Cap. XXIII, n. 3.) Super humeros positum Velum ante pectus firmatur, ligatum duobus linteis sericeis, vel etiam uncinis aureis aut argenteis.

Q. 139. *Pauca refer de origine et forma Pluvialis. In quibus functionibus sacris usuvenit Pluviale ?*

R. I. Pluviale, seu pallium cum caputio, opportunum contra pluviam, unde nomen quidem habet, primitus in usu venit, quando data Ecclesiæ libertate, institui cœperunt Processiones. Successu temporis caputium mutatum fuit in ornamentum ; et splendida forma accepta, Pluviale inter sacras Vestes retentum fuit.

A caputio, seu cucullo primitus vocabatur hoc indumentum Cappa, quo nomine sæculo VII jam commemoratur in ecclesiasticis monumentis ; nomen Pluvialis postea, sæculo nempe X, datum fuit ; hodie solum Pluvialis nomen usuvenit, ex quo Cappa nunc designat vestem choralem ad usum Episcoporum.

Pro Pluviali, quoad materiam ex qua conficitur, et quoad colorem eadem observanda sunt quam pro reliquis sacris Paramentis.

Forma hujus Vestis sacræ est semicirculus perfectus qui habet longitudinem, a summo usque ad imum, 155 centimetrorum, et latitudinem 310 centimetrorum.

In tota sua latitudine Pluviale decoratur fascia, quæ ipsa habet latitudinem 25 centimetrorum, et ornatur opere acu picto, vel auriphrygio ; a media fasciæ parte super ipsam Vestem dependet caputium, latitudinis 50 centimetrorum, longitudinis 60 centimetrorum, in infe-

VII. PLUVIALE ROMANUM



riori parte rotundum, decoratum eodem quo fascia auriphrygio, vel etiam splendidiori, additis in ora circum laniciis seu frangiis.

Ita conficitur Pluviale more Romano, et forma hujusmodi gravitatem præsefert et majestatem. (Cfr. Fig. VII.)

In aliis regionibus, et speciatim in nostra patria jam a sæculo XV, caputium Pluvialis dependet non a medio fasciæ, sed a medio oræ ipsius Vestis, ita ut caputium videatur superimpositum fasciæ ; quod revera tamen non est, nam fascia aut ejus ornatus incipit tantum ab utraque caputii parte laterali. Hæc forma non ita majestuosa est ac Romana. (Cfr. Fig. VIII.)

VIII. PLUVIALE NOSTRUM



Pluviale humeris impositum, ante pectus connecti debet fibula, vel vitta panni serici. Sed quando Pluviale portatur ab Episcopo, tunc connecti debet ante pectus ornamento quod vocatur Formale, seu Pectorale, formæ rotundæ plerumque, vel ovalis, confecto ex auro argentove cælato, adjunctis pretiosis gemmis. Hoc Formale a solo Episcopo et privative adhiberi potest, et non ab aliis quibuscumque dignitatibus. (S. Rituum Congregatio, Decret. 15 Septembris 1753, n. 2425, ad 9, antiq.

4235, ad 10. — Cfr. etiam Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. VII, n. 1.)

II. Pluviale in usu est : 1° in Processionibus ; 2° in Benedictionibus quæ fiunt in Altari, ex. gr., cinerum, palmarum, etc. ; 3° in aspersione aquæ benedictæ, ante Missam, die Dominica ; 4° ad Absolutionem post Missam Defunctorum ; 5° in Officio Laudum et Vesperarum, quando solemniter dicuntur. (Cfr. Rubricæ generales Missalis, Tit. XIX, n. 3.)

Notandum est quod, « cum Celebrans utitur Pluviali, semper deponit Manipulum ; et ubi Pluviale haberi non potest, in Benedictionibus quæ fiunt in Altari, Celebrans stat sine Planeta, cum Alba et Stola. » (Rubricæ generales, loco citato, n. 4.)

Nota. Ex Rubricis Missalis describitur supradicta regula, quod Celebrans, cum utitur Pluviali, semper deponit Manipulum. Extraordinaria tamen animadvertenda est exceptio ad hanc regulam Missalis, desumpta ex Memoriali Rituum pro minoribus Ecclesiis parochialibus, jussu Summi Pontificis Benedicti XIII edito : etenim in Titulo III, de Dominica Palmarum (Cap. II, § 1), Celebrans pro Officio induitur amictu, alba, cingulo, stola et Pluviali, et more solito facit Aspersionem aquæ benedictæ Deinde dicitur (n. 6) quod « Clericus accipit e credentia Manipulum, et illum aptat in brachio sinistro Celebrantis », qui tamen remanet Pluviali indutus. Dictis Orationibus, etc., et lecto Evangelio (n. 10), Celebrans « postmodum deponit Manipulum. » Sequuntur reliqua pro Benedictione Palmarum, et distributione ac Processione. — Singulare profecto exemplum Celebrantis induti Pluviali, et simul Manipulo.

Q. 140. *Indica functiones in quibus usus Stolæ, extra Missæ Sacrificium, est præscriptus, — permissus, — prohibitus.*

R. In præcedentibus dictum fuit (Q. 96) Stolam esse unam de sacris Vestibus, quam Sacerdos pro celebratione SS. Missæ Sacrificii assumere debet. Præter Missæ Sacrificium, non paucæ sunt ecclesiasticæ functiones in quibus Stola usuvenit ; quare opportunum erit hic determinare in quibus ex diversis functionibus ei qui ipsas peragit Stolæ usus aut præscribitur, aut permittitur, aut prohibetur.

A) Stolæ usus est præscriptus : 1° in collatione et confectione Sacramentorum ; — 2° in Sacramentalibus,

uti sunt Benedictiones, Aspersio aquæ benedictæ quæ fit Dominicis diebus ante Missam, Processiones ; — 3° in expositione, repositione, delatione SS. Sacramenti, aut quoties tangitur Vas sacrum continens SS. Eucharistiam ; — 4° in Communione Sacerdotis qui non celebrat Missam ; — 5° in Exsequiis, seu funeribus ; — 6° generatim in omnibus functionibus pro quibus Rubricæ Stolam a Celebrante adhibendam præscribunt. (Decret. S. Rituum Congregationis, 26 Decembris 1868, n. 3185, antiq. 5412.) — (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum ad diversas supradictas functiones.)

B) **Stolæ usus est permissus**, plerumque ex consuetudine existente, quam S. Rituum Congregatio vel servari posse, vel quidem servari debere, pro diversis casibus per plura Decreta declaravit : 1° Parochis, quando collegialiter incedunt in Processionibus, ut eorum collegium a cæteris de Clero distinguatur (cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, QQ. 355, 357) ; — 2° Capellanis, quando cum suis Confraternitatibus incedunt in Processionibus (ibidem) ; — 3° Sacerdotibus adorantibus SS. Sacramentum, quia decet, in actione quæ Deum immediate respicit, ut Sacerdos coram Eo assistat ea veste indutus, quæ est veluti forma totius ornatus sacerdotalis (Decret. 17 Augusti 1833, n. 2709, antiq. 4714, ad 2 ; cfr. etiam Gardellini, *Commentarius ad Instructionem Clementinam*, § IX, nn. 8 et 11) ; — 4° in concionibus, si adsit consuetudo (Decreta 31 Augusti 1867, n. 3157, ad 6, antiq. 5381, ad 7 ; et 26 Septembris 1868, n. 3185, antiq. 5412) ; hæc autem consuetudo in Diœcesi Mechliniensi ab immemoriali existit. Color Stolæ in concionibus debet esse Officii diei.

C) **Stolæ usus est prohibitus** : 1° in Laudibus et Vesperis solemnibus, aliisque Horis Canonicis ; — 2° Presbytero assistenti in Missa solemni ; — 3° in oratione funebri (cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 263) ; — et 4° generatim in omnibus functionibus, pro quibus Rubricæ Stolam expresse non requirunt.

Nota. I. Dicitur supra Stolæ usum esse prohibitum Presbytero assistenti in Missa solemni. Cuinam Sacerdoti Missam solemnem celebranti competit Presbyteri assistentia exponitur in Tractatu qui inscribitur « Cæ-

remoniale ». (Cfr. ibi Q. 111.) Notandum hic tamen est sequens S. Rituum Congregationis Decretum pro prima Missa neo-Sacerdotis : Ad dubium : « An Presbyter, assistens primæ Missæ neo-Sacerdotis, uti debeat Stola a principio Missæ usque ad finem, uti assolent nonnulli ; vel eam assumere debeat a principio Canonis usque ad consummationem tantum ? « S. Congregatio rescribendum censuit : « Servetur consuetudo. » (Decret. 11 Junii 1880, n. 3515, ad 7, antiq. 5809, ad 12.) Consuetudo assumendi in casu Stolam a principio Missæ usque ad finem apud nos existit.

Nota. II. Ex præcedentibus deduci potest, Stolam in quibusdam functionibus esse Vestem sacram Sacerdotalem cujus usus est in actuali exercitio quod juxta Rubricas Stolam requirit ; ipsam quoque in aliis functionibus esse insigne, tum ordinis, tum ecclesiasticæ auctoritatis, seu dignitatis et officii ; ipsam autem non esse insigne jurisdictionis, vel præeminentiæ (Decret. 11 Septembris 1847, n. 2956, antiq. 5111, ad 5), cum in ejus diverso usu neque regimen, neque gubernatio umquam designetur. (Cfr. Gardellini, *Commentarius ad Instructionem Clementinam*, § IX, nn. 9 et 10 ; et Ephemerides Liturgicæ, I, 1887, pag. 478.)

Q. 141. *Quomodo Stolam gestant Episcopus, Sacerdos, et Diaconus, extra Missæ Sacrificium ?*

R. Episcopus Stolam semper et in omni casu gestat pendentem ab utroque humero, non ligatam cingulo ante pectus in modum Crucis (Ritus celebrandi Missam, Tit. I, n. 4) ; — ob rationem Crucis pectoralis quam super Albam defert.

Sacerdos Stolam super Albam semper in modum Crucis deferre debet, quemadmodum ipsi in sacerdotali Ordinatione ab Episcopo fuit imposita, scilicet, parte quæ a dextro humero pendet posita in modum Crucis super partem quæ ab humero pendet sinistro. (Cfr. Q. 96, 5°.) — Dicitur : super Albam ; quia si Sacerdos tantum superpelliceo induitur, Stola, deficiente cingulo, religari ante pectus non potest, et tunc soluta a collo hinc inde dependet ; attamen, ne Stola huc et illuc vagetur, et longius ab una parte quam ab altera depen-

deat, solet ad altitudinem pectoris inter utramque partem admitti vel fascia, vel chordula cum floccis. (Cfr. Q. 114.)

Diaconus Stolam semper gestat ab humero sinistro pendentem, et infra brachium dextrum ligatam. (Cfr. Q. 96, 5°.)

Hujus pro Diacono differentiæ ratio datur apud S. Thomam (Supplementum, III, Q. 40, art. 7) : « Diaconus habet Stolam in sinistro humero, in signum quod applicatur in ministerium » (scilicet quia est minoris et subjecti ordinis, ad ministrandum tantum et serviendum institutus) ; « sed Sacerdoti in utroque humero ponitur Stola, ut ostendatur, quod ei plena potestas dispensandi Sacramenta datur, non ut ministro alterius » (donatus enim est Sacerdos et ministrandi, et sacrificandi potestate).

Q. 142. *Superpelliceum in quo differt a Rochetto ? Unde habetur utriusque origo ? Quæ est hodierna disciplina pro eorum usu ? Quid notandum est de eorum materia et ornatu?*

R. I. Quoad formam, Superpelliceum inter et Rochettum præcipue in eo differentia exstat, quod Superpelliceum amplas largasque manicas habet, Rochettum autem strictas, seu angustas, et quæ brachia usque ad manus vestiunt.

Utriusque vestis longitudo eadem communiter est, talisque ordinario adhibetur, ut ora sit ad altitudinem manuum si pendulæ tenentur.

II. Antiquitus Clerici omnes adstabant Missæ Sacrificio induti Alba, et usque ad sæculum XII, talaris adhuc erat hæc ipsorum vestis (Cfr. Q. 96, 2°) ; paulatim vero ab hoc tempore cœpit pro minoribus Clericis decurtari, ad commodiorem usum, ita ut formam haberet Albæ dimidiatæ seu contractæ ; manicæ tamen hujus contractæ tunicæ retentæ generatim fuerunt strictæ sicuti in talari Alba, unde primum in usu fuit Rochettum. Nomen Rochetti quidem usitatum non reperitur ante sæculum XIV, et juxta quosdam auctores derivat a germanica voce « rok », quæ vestem significat ; huic voci Itali more suo suffecerunt formam diminutivi « rochetto », eamque Liturgici auctores latinam reddiderunt, vocantes vestem « rochettum ».

Superpelliceum vocatum fuit hoc indumentum ex eo quod Ecclesiastici, divinæ Psalmodiæ incubantes, in

regionibus Aquilonaribus, frigoris arcendi causa, pellibus corpus integebant, supra quas lineam tunicam imponebant, cujus manicæ necessario ampliores factæ fuerunt. Nomen Superpellicei jam reperitur in documentis Anglicis sæculi XI usurpatum, sed hic significat Albam, seu tunicam talarem eo tempore nondum decurtatam, sed Superpelliceum vocatam ob rationem supra allatam.

Cotta fuit etiam vocata hæc vestis a sæculo XII, et hodiedum communiter vocatur apud Italos; quod nomen proprie designat Superpelliceum valde decurtatum, quale ibi portatur.

Nota. Rochettum et Superpelliceum seu Cotta symbolice significant innocentiam, puritatem, et sanctitatem, sicut Alba unde derivant. In Ordinatione Superpelliceum vocatur habitus sacræ religionis, quo qui ipso induitur quasi novus homo secundum Deum creatur in justitia, et sanctitate veritatis; ut devotus in Ecclesiis persistens vitam percipere mereatur æternam. (Cfr. Pontificale Romanum, *De Clerico faciendo.*)

III. Quoad usum, notandum est Superpelliceum esse vestem sacram, Clericis omnibus communem, et qua omnes Sacerdotes uti debent in administratione Sacramentorum, et aliis functionibus; Rochettum vero esse vestem dignitatis significativam, quæ defertur de jure a Summo Pontifice, a Cardinalibus et Episcopis sæcularibus, item a Prælatis Romanæ Curiæ, et ex privilegio Apostolico a pluribus Capitulis Canonicorum, præsertim Cathedralium.

Etiamsi Episcopi sæculares pro administratione Sacramentorum, ex. gr., Confirmationis, utantur ex præscripto Pontificalis Romani Rochetto tamquam veste propria, dicendum tamen est Rochettum non esse vestem stricte sacram, et proinde non esse adhibendum in administratione Sacramentorum, et exercitio Sacramentalium, ab iis qui ex privilegio illud assumere possunt; quare ab his, in omnibus quibuscumque functionibus quæ usum Superpellicei requirunt, necessario Superpelliceum aut solum adhibendum est, aut Rochetto, si retinetur, est superimponendum. Excipiuntur illæ functiones in quibus Pluviale assumitur, ex. gr., Vesperæ solemnes, Benedictio SS. Sacramenti, etc.

(Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, QQ. 15 et 196.)

Hæc disciplina constat ex variis et pluribus S. Rituum Congregationis Decretis, quorum sequentia citare sufficiet.

1. Anno 1634, per Decretum ab Urbano VIII approbatum, quod in initio Romani Missalis descriptum est, « prohibetur usus Rochetti, exceptis tamen quibus de jure competit, et præter hoc statuitur, nemini licere inservire, aut assistere, in celebratione Missarum aut divinorum Officiorum, cum Rochetto, neque cum cotta habente manicas angustas ad instar Rochetti : et idem servandum est in Concionibus. »

2. Ad dubium circa usum Rochetti in aliqua Diœcesi generalem, S. Congregatio declaravit : « Rochettum non esse vestem sacram adhibendam in administratione Sacramentorum ; ac proinde tum ad ea administranda, tum ad suscipiendam primam Tonsuram et Minores Ordines necessario Superpelliceo utendum. » (Decret. 10 Januarii 1852, n. 2993, antiq. 5165, ad 5.)

3. Dubium : « Ab immemorabili Parochi et Ecclesiarum Rectores Diœceseos Adjacen. Rochetto, loco Superpellicei, in administratione Sacramentorum utuntur.... Quæritur : An Episcopus possit aut debeat hanc veterem consuetudinem tolerare, quæ quidem commodior est et universaliter viget in Diœcesi ? » S. Congregatio declarare rata est : « Negative. » (Decret. 23 Martii 1882, n. 3542, antiq. 5837, ad 1.)

In nostra Diœcesi usus Rochetti olim quasi generalis erat, omnesque Clerici illud in ecclesiasticis functionibus assumebant ; per Statuta Diœcesana anni 1872 vero, Rochetti usus fuit prohibitus, et Superpelliceum fuit præscriptum. (Stat. diœc. n. 218.) Toleratum tamen fuit, ut Rochetta, si in aliqua Ecclesia præ redituum tenuitate illico removeri non possent, retinerentur, donec fuerint longo usu obsoleta ; addito quod præstaret ad Superpellicei formam statim reducere Rochetta, si modo convenienti, sumptuque leviori fieri queat. (Cfr. Litteræ Pastorales Archidiœcesis Mechliniensis, Tomus VII, Monitum 6 Octobris 1872, pag. 144.)

IV. Quoad materiam unde conficiuntur Superpelliceum et Rochettum, notandum est nullam positivam liturgicam legem hoc super negotio latam haberi. De-

cretum S. Rituum Congregationis jam pluries in præcedentibus citatum (Decret. 15-18 Maji 1819, n. 2600, antiq. 4563), præcipiens pro sacra supellectili usum lini vel cannabis, et prohibens usum gossypii, solummodo refertur ad Altaris Mappas (cfr. Q. 46), ad Corporale, Pallam, et Purificatorium (Q. 83), ad Amictum, et Albam (Q. 101). Imo ex Adnotatione super hoc Decreto patet, in dubio S. Congregationi proposito, quod Decreto ferendo occasionem dedit, etiam haberi recensita Superpelliceum et Rochettum; et adnotator subjungit, quod S. Congregatio in Decreto « de Superpelliceis et Rochettis nihil pro nunc decernendum duxit; quia hujusmodi vestes neque pertinent ad immediatum Sacrificii et Altaris usum, neque supellectilibus Sacerdotalibus ad sacrificandum stricte necessariis adnumerantur, sed haberi possunt potius ut Choralia indumenta. » (Cfr. Vol. IV Collectionis Decretorum, pag. 192.) Aliqui auctores censent, inspecta harum vestium origine, et considerata vetusta traditione, saltem convenire ut conficiantur ex lino vel cannabe, prout Alba quam repræsentant.

Quoad ornatum tandem notatur quod textum denticulatum de jure communi admittitur tam in Superpelliceis quam in Rochettis.

Longitudo ornatus texti denticulati a nulla lege generali determinatur. In quibusdam Capitulis a Statutis aliqua mensura præscripta reperitur; ita Summus Pontifex Pius IX, per Breve 14 Maji 1858, pro Capitulis Provinciæ Westmonasteriensis in Anglia statuit quod Canonici poterunt « amiculum manicatum, vulgo *rochettum*, cum fimbria, vulgo *merletto*, duodecim pollices mensuræ Anglicæ per altitudinem minime excedente, gestare. » (Cfr. Barbier de Montault, *Le Costume et les usages ecclésiastiques*, Tome I, pag. 308, 309.) Duodecim pollices mensuræ Anglicæ æquivalent circiter triginta centimetris.

Cæterum cavendum est, ne Superpelliceum, aut Rochettum nimis texti denticulati ornatu redactum sit ad merum ornamentum: vestis est, ex tela, non ex textu denticulato conficienda; ob nimiam telæ decurtationem ecclesiastica gravitas nonnumquam vilescit.

Opus phrygium acu pictum in ipsa Superpellicei vel Rochetti tela, serico coloris rubri, vel viridis, vel cærulei, si in ipsius Albæ fimbria jam admitti videtur (cfr. Q. 112, II), a fortiori in Superpellicei et Rochetti fimbria et in manicis admitti poterit, nisi particulares Diœcesanæ aut Capitulares leges obstent.

Pro Rochettis tamen animadvertendum est Decretum S. Rituum Congregationis, 12 Julii 1892 (n. 3780, ad 5), descriptum supra (cfr. Q. 112, III, C), quo admittitur fundus suppositus textili denticulato in manicis Albarum, cujuscumque coloris sit, sed quoad manicas in Rochettis determinatur « fundum esse posse coloris vestis talaris relativæ dignitatis. » Ergo fundus in manicis Rochetti erit coloris rubri pro Cardinalibus, rubini pro Episcopis, violacei pro quibusdam Prælatis (cfr. Q. 111, V) ; pro reliquis vero, si admittitur hic ornatus, erit coloris nigri tantum, nisi habeantur specialia Sedis Apostolicæ Indulta.

Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, *Dissertatio de Superpelliceo et Rochetto*, habita in Academia Liturca Romana, pag. 66-83.

Q. 143. *Quid est Birctum ? A quo tempore usuvenit, et qualis est hodie ejus forma ? Cujus coloris esse debet ?*

R. I. Biretum vocatur capitis tegumentum a Clericis in variis sacris functionibus assumendum. Vox hæc diminutivum est a biro ductum ; et sicuti birus humerorum simul et brachiorum tegumentum est, ita biretum capitis tantum.

Biretum non numeratur inter Paramenta quæ sacra dicuntur ; et S. Rituum Congregatio rescripsit etiam quod « Biretum non est Chorale indumentum » (Decret. 7 Decembris 1844, n. 2877, antiq. 4991, ad 2), tale scilicet, quod requiritur sub pœna amissionis distributionum ; unde dicendum Biretum esse quasi appendicem habitus clericalis ; præscribitur quidem eodem titulo sicut vestis talaris, tamquam habitus, non tamquam Paramentum sacrum.

II. Quonam præcise tempore Clerici in sacris functionibus Biretum adhibere inceperint, determinari nequit ; usus cujusdam capitis tegumenti æstimari cer-

to potest antiquus, utpote quod necessitate, aut saltem commoditatis gratia caput tegumento quodam fuerit cooperiendum ; etiamsi a sæculo circiter IX a Clericis speciale tegumentum fuisse assumptum auctores quidam putent, dicendum tamen est nostri hodierni Bireti, tamquam liturgici indumenti, aut etiam dignitatis vel qualitatis indicii, formam non fuisse ante sæculum XV inductam.

Biretum erat primitus pileus rotundus, laneus, ad instar galeri absque gyro ; cumque digitis assidue apprehenderetur Biretum, cornua quasi seu angulos in variis partibus accepit, et processu temporis anguli in modum Crucis quatuor appositi fuerunt, subsuta solida tela, et ita e rotundo in quadratum evasit ; anguli quoque sublevati fuerunt, ita ut supra telam quadratam quatuor apices assurgerent, quos in variis regionibus retinuerunt Clerici in SS. Crucis venerationem.

Itali vero uno submisso angulo seu apice, tres reliquos tantum elevaverunt, ad honorem, ut ipsi dicunt, SS. Trinitatis, servata nihilominus in ipso pileo specie ac figura Crucis.

Biretum quadratum tribus apicibus instructum, ita capiti imponitur, ut pars illa quæ apice caret, a sinistra sit. — Auctores quidam commendant ut qui sibi imponit Biretum aut deponit, illud accipiat, inter indicem et medium digitum dexteræ ad apicem qui est supra aurem dextram ; et non ad apicem anteriorem qui est supra frontem. Animadvertat tamen qui Biretum assumit ad apicem dextrum, ne, præsertim in Bireti depositione, caput moveat seu declinet versus dexteram.

In medio inter apices ex consuetudine generali admittitur parvus flosculus ex serico ; excipitur tamen Biretum Cardinalium, quod sine flosculo gestatur. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 206.)

Ecclesiastici viri qui ob Magisterium et Lauream doctoralem in disciplinis Theologicis, aut sacris Canonibus, in Academia vel Universitate obtentam, facultatem habent deferendi Biretum cum quatuor apicibus, tali non uti possunt in Choro et Processionibus quæ capitulariter aguntur. (Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Decembris 1844, n. 2877, antiq. 4991, ad 1.) Episcopi etiam Biretum doctorale cum quatuor apicibus in

ecclesiasticis functionibus adhibere non possunt. (Decret. 6 Septembris 1895, n. 3873, ad 5.) Biretum doctorale enim non est confundendum cum clericali, sed et nec umquam fuit nec est ecclesiastici habitus pars, traditur enim non tantum ecclesiasticis, sed et laicis pariter doctoribus et cancellariis.

III. Color Bireti antiquitus aliquando violaceus, mox generatim niger fuit, colori habitus vestiumque similis ; exinde nigrum assumendum est ab omnibus Presbyteris, minorisque ordinis Ecclesiasticis.

Occasione quinquagesimi anni redeuntis Sacerdotalis suæ Consecrationis, ne fausti hujus eventus memoria intercidat, et ad publicum benevolentiæ erga Episcopos testimonium exhibendum, Leo XIII, per Litteras Apostolicas 3 Februarii 1888, concessit, ut universi indistincte Episcopi Bireto formæ ordinariæ violacei coloris, cum flosculo et funiculis ejusdem coloris, uti libere et licite possint et valeant ; atque hoc ita illis proprium voluit, ut alius, qui Episcopali dignitate non sit insignitus, ejusmodi ornamento nullatenus potiri queat. (Cfr. etiam Decret. 6 Septembris 1895, n. 3873, ad 5.)

Protonotarii Apostolici de numero Participantium, necnon Supranumerarii, et ad instar, in habitu suo prælatitio gestare valent « nigrum biretum flocculo ornatum coloris rubini » ; sed Titulares seu Honorarii utuntur bireto nigri ex integro coloris, absque ullo ornamento alterius coloris. (Cfr. Motu proprio S. D. Pii X, De Protonotariis Apostolicis, 21 Februarii 1905, nn. 16, 45, 64 ; cfr. Acta Sanctæ Sedis, XXXVII, 1905, pag. 491 et sqq.)

Eminentissimi S. R. E. Cardinales Biretum rubri coloris portant, a Summo Pontifice Pio II anno 1464 concessum, tamquam dignitatis splendidum insigne, insimul et martyrii, quod pro Ecclesiæ defensione subire parati esse debent, symbolum. (Cfr. Haine, *De la Cour Romaine*, Tom. I, Chap. VIII, nn. 57 ad 60.)

Q. 144. *In quibus sacris functionibus adhibetur Biretum ?*

R. 1° Juxta Rubricas Missalis, Sacerdos qui sacris Vestibus paratus ad Altare celebraturus accedit, et celebrata Missa ab Altari recedit, debet caput Bireto

cooperire. (Ritus, Tit. II, nn. 1, 2 ; et Tit. XII, n. 6.) Hæc Rubrica adamussim observari debet, quacumque in contrarium non obstante consuetudine.

Idem observandum est in Missa solemni a Diacono et Subdiacono, itemque, ubi admittitur, a Presbytero assistente Pluviali parato.

Quid de Bireto sit faciendum in casu Expositionis SS. Sacramenti ad Altare, aliis locis exponetur.

2° Infra celebrationem Missæ solemnis, illi qui parati sunt caput Bireto cooperiunt quando sedent ; excepto cum SS. Sacramentum est expositum.

3° In Processionibus in quibus defertur SS. Sacramentum, aut etiam Reliquia S. Crucis, Biretum numquam capiti imponi potest ; in aliis Processionibus vero semper Biretum adhibetur ; et sequens regula servatur, quod Celebrans et Ministri parati, quando extra sanctuarium sunt, jam caput cooperiunt, reliqui vero de Clero non parati sacris Vestibus, tantum extra Ecclesiam Biretum sibi imponunt. Si Processio fit tantum intra Ecclesiam, tunc soli de Clero qui parati sunt, caput cooperiunt, reliqui vero non.

4° In Choro ad Horas Canonicas, omnes in Choro præsentes caput Bireto cooperire possunt quo tempore infra Officium sedetur, numquam vero aliquis stans cooperto capite manere potest.

Cæterum a Statutis particularibus Capitulorum determinari ulterius valet, quinam et quando Biretum sibi imponere possint ; — item alius Bireti usus ex consuetudine in casu servari potest ; ita, ex. gr., in Ecclesia Metropolitana exstat ab immemoriali consuetudo, et a Statutis præscribitur, quod in Choro qui incensatur dextera Biretum ante pectus tenet.

5° In aliis functionibus generatim, qui per Ecclesiam procedit indutus saltem Stola, Biretum capiti imponere potest, et in functione quam peragit, servabit pro capite aperto vel operto Rubricas speciales illius functionis ; ex. gr., pro Concione, pro Confessionibus audiendis, etc.

Nota. Quicumque Bireto utitur, ad sessionem quamcumque sedulo observare debet, quod Biretum capiti imponere non potest antequam sederit ; et cum surgen-

dum postea est, prius caput detegere debet antequam assurgat.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, *Dissertatio de Bireto et Pileolo*, habita in Academia Liturgica Romana, pag. 199-215.)

Q. 145. *Quid est Pileolus ? A quibus potest deferri ?*

R. I. Pileolus est parvus pileus, clericalem tonsuram contegere aptus, habens formam circularem parvi tholi instar, confectus ex panno laneo, vel serico, coloris qui convenit dignitati ejus qui ipsum gestat.

Antiquitus valetudinis servandæ causa introductus, Pileolus postea honoris significationem adeptus est. Vocatur etiam « calota, solideo ».

II. Summus Pontifex Pius II, anno 1464, Pileolum rubri coloris concessit Cardinalibus ; item Pius IX, per Litteras Apostolicas 17 Junii 1867, occasione sæcularis memoriæ martyrii SS. Apostolorum Petri et Pauli, concessit omnibus Episcopis ut Pileolo violacei coloris uti possint et valeant. Abbates cæterique Prælati Episcopo inferiores gerunt Pileolum nigri tantum coloris. (Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Septembris 1659, n. 1131, antiq. 2003, ad 8.) Attamen ex Abbatibus unus vel alter per speciale privilegium a Summo Pontifice obtinuit Pileoli violacei usum.

Reliqui omnes de Clero tam sæculari quam regulari, etiam Prælati quicumque, numquam possunt violacei coloris Pileolum deferre ; et si aliqui Pileolum deferunt valetudinis ergo vel quacumque de causa, debet esse nigri coloris.

Observandum est omnino Decretum S. Rituum Congregationis, ab Urbano VIII approbatum, et in principio Missalis Romani descriptum, quo mandatur ut « nemo audeat uti Pileolo in celebratione Missarum, sine expressa licentia Sedis Apostolicæ, non obstante quacumque contraria consuetudine. » Cardinales vero et Episcopi, qui de jure Pileolum gestant, ipsum deponere debent tantum ad quasdam Missæ partes, ex. gr., infra Canonem, item coram SS. Sacramento, et in quibusdam aliis occasionibus.

Nota. Sacerdos deferens SS. Sacramentum ad ægro-

tos, absque speciali Sanctæ Sedis gratia uti non potest Pileolo parvo, et multo minus Bireto. Attamen dantur exempla, in quibus S. Congregatio Rituum commisit Episcopo, ut pro suo arbitrio et prudentia indulgeat, quod Parochi capite Pileolo cooperto Viaticum deferre valeant, propter viarum asperitatem, ac ventorum, nivium glacierumque incommoda. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum. Q. 205, 1°.)

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, loco supra ad Q. 144 citato.)

146. **De coma fictitia.** — Comam fictitiam, vulgo peruccam, prohibitam in celebratione Missæ sæpius auctores clamant : plures Summi Pontifices, plura Decreta S. Congregationis Concilii, et S. Rituum Congregationis, necnon plures particulares Synodi hujus prohibitionis leges statuerunt. (Cfr. Benedictus XIV, *De Synodo Diœcesana,* Lib. XI, Cap. IX ; et *Institutiones Ecclesiasticæ,* Institutio XCVI.) Item in Statutis Diœcesis Mechliniensis monetur, « usum cæsariei adscititiæ, tempore celebrationis Missæ, non esse licitum sine peculiari Indulto Apostolicæ Sedis. » (Stat. diœc. n. 34.)

Liceat tamen animadvertere : Si consideretur, quo tempore Summi Pontifices et SS. Congregationes hujusmodi prohibitiones tulerint, scilicet sæculis XVII et XVIII, cum magnæ comæ fictitiæ, usque super humeros depensæ, ad ornatum et vanitatem virorum tum laicorum, tum ecclesiasticorum plerumque adhibebantur ; quales ex picturis aliisque horum temporum monumentis novimus, qualesque jure merito in ecclesiasticis functionibus, et maxime in augustissimo Missæ Sacrificio reprobatas, utpote clericalem modestiam dedecentes, unusquisque applaudet ; inquiri forsan poterit : Cujusnam naturæ erant, et cuinam fini inserviebant comæ illæ fictitiæ, tot solemnium prohibitionum objecta ? An in hujusmodi prohibitionibus quæstio est de valde simplici capitis quasi necessario tegumento, ex capillis alienis confecto, visibilem relinquente tonsuram ; quod eo unico et necessario fine adhibetur, ut, quod alii ex natura habent et servare potuerunt, alii a natura orbati ex arte sibi comparent, sola deformitatis abscondendæ causa ? Utilis pluribus et practica hæc animadversio apparebit ; cujus solutio ad disciplinas Canonicas potius quam ad Liturgicas pertinet. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VI, 1892, pag. 313.)

147. **De talari veste.** — Rubrica Missalis præcipit ut Sacerdos Missam celebraturus sit « calceatus pedibus, et indutus vestibus, sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat. » (Ritus, Tit. I, n. 2.) De hac exteriori veste, quæ vocatur vulgo « toga talaris, subtana », et propria est Clericorum, placet quædam notare.

1. Quoad originem, certum est Clericos usque ad sæculum V non habuisse vestes a laicalibus distinctas ; erant istæ, sicut communiter more Romano, longæ usque ad talos ; distingui debebant tamen sua modestia et simplicitate.

A sæculo autem V vel VI, paulatim Clerici in usu vestium recesserunt a more laicorum ; isti enim morem Barbarorum recipientes, cœperunt brevioribus vestibus uti, dum Clerici Romanum morem longioris habitus retinuerunt. Sæpe sæpius S. Gregorius Magnus († 604) in suis epistolis Clericos a laicis ecclesiastico habitu distinctos signat. Ab eo tempore vestis talaris semper remansit propria et præscripta Clericorum vestis.

2. Quoad vestis talaris materiam, præscribit Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. I, n. 1) pro Episcopis : « Vestes autem hujusmodi erunt vel ex lana, vel ex camelotto, nullo autem modo sericæ. » Quæ regula profecto a fortiori a minoris dignitatis Ecclesiasticis est observanda.

3. Quoad colorem, putant quidam auctores antiquitus colorem proprium Clericorum vestis fuisse violaceum, et per Monachos Benedictinos fuisse colorem nigrum introductum apud Clerum sæcularem ; a pluribus sæculis tamen constat colorem nigrum fuisse Clericis præscriptum, qui color luctus significat Clericos mortuos esse debere mundo, et omnibus quæ sunt in mundo et dantur a mundo.

In præsenti disciplina pro Clero sæculari, color albus competit solo Summo Pontifici, color rubeus Cardinalibus, color violaceus Episcopis. Color violaceus etiam permittitur quibusdam Prælatis, et in functionibus Episcopalibus Cæremoniariis Ecclesiarum Cathedralium.

Quibusdam temporibus per annum, ex. gr., per Adventum, et aliis diebus per annum, Cardinalibus præscribitur color vestis talaris violaceus, Episcopis vero niger ; super quo longius dicitur in Cæremoniali Episcoporum.

Nota. Romæ et in aliis regionibus exstat satis mira consuetudo, quod alumni ecclesiastici quorumdam Collegiorum, vel Seminariorum incedant induti vestibus talaribus diversorum colorum, rubei, purpurei, cærulei, etc. Ita fit juxta statuta particularia istorum Collegiorum, quo dignoscantur eorum alumni ab aliis ; res est quæ censetur non stricto liturgico juri subjacere.

4. Syrma, quam vulgo caudam vocant, est insigne Episcoporum, et simplici Clero interdicitur. — Protonotarii Apostolici gestare quidem valent talarem vestem « cum cauda, numquam tamen explicanda, neque in ipsis Pontificalibus celebrandis. » (Cfr. Motu proprio S. D. Pii X, De Protonotariis Apostolicis, 21 Februarii 1905, n. 16 ; cfr. Acta Sanctæ Sedis, XXXVII, 1905, pag. 497.)

5. Deferri semper debet talaris habitus in quibuscumque sacris functionibus ; et tametsi Pontifices et Concilia circa præceptum deferendi subtanam aliquantum indulgentiores in quibusdam circumstantiis fuerint, nullo tamen pacto umquam permiserunt eam non deferre cum de sacris functionibus ageretur, pro quibus celebrandis ubique et semper rigorose volue-

runt Clericos talari veste indutos. (Cfr. Stat. diœc. n. 30.)

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, *Dissertatio de talari Clericorum veste, vulgo Subtana*, habita in Academia Liturgica Romana, pag. 3-15.)

Q. 148. *Quænam ex omnibus Paramentis, de quibus in præcedentibus agitur, benedici debent ? Quid de aliis dicendum est ?*

R. Rubrica Missalis expresse præcipit quod benedicta esse debent Paramenta sacra quæ Sacerdos ad celebrandum Missam induit, nempe Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, et Planeta. (Ritus, Tit. I, n. 2 ; cfr. Q. 117.)

Quæstio de obligatione Benedictionis potest insuper proponi quoad alia Paramenta de quibus in præcedentibus dictum fuit, scilicet : de Stola quæ adhibetur in variis functionibus extra Missam ; — de Pluviali ; — de Dalmatica et Tunicella, necnon de Planetis plicatis, item de Stola et Manipulis, quibus utuntur Diaconus et Subdiaconus ; — de Velo humerali ; — de Superpelliceo et Rochetto ; — quibus addi potest Altaris Antipendium.

1° Stolam quamcumque, quæ usuvenit sive pro Missa, sive pro quacumque Ecclesiastica functione, sive Sacerdotalis sit, sive Diaconalis, benedictam esse debere omnes auctores docent. Manipulos a sacris Ministris gestatos æque ac quem Sacerdos celebrans portat, benedictos esse debere nemo umquam in dubium posuit.

2° Dalmatica, Tunicella, Planetæ plicatæ, Pluviale, item Superpelliceum et Rochettum, an debeant de præcepto esse benedicta, non una est auctorum sententia ; plerique tamen censent Benedictionis præceptum posse affirmari ; reliqui autem omnes dicunt convenientius ista Paramenta benedici sicut cætera Sacerdotalia.

Affirmare licet Dalmaticam et Tunicellam debere benedici, ex eo quod Pontificale Romanum in Oratione Benedictionis specialis cujuslibet Indumenti (quæ Benedictio propria est Episcopis, non vero Sacerdotibus facultatem delegatam habentibus), enumerat hæc sacra Indumenta. (Pontificale Romanum, Pars II.) — De Pluviali notat Benedictus XIV, quod Romæ sacrari

consuevit ; et postea addit : « Nos ut magis probabilem, ideoque tenendam eorum sententiam proponimus, qui pro Pluviali Benedictionem non omittendam fatentur. » (*Institutiones Ecclesiasticæ*, Instit. XXI, n. 12.) — De Superpelliceo dicit Baruffaldus : Cum Cotta « sit vestis atque ornamentum ad usum sacrum comparatum, ex Ecclesiæ instituto benedici debet. » (*Ad Rituale Romanum Commentaria*, Tit. II, n. 46.) Hæc tamen dicta sunt tantum de iis Superpelliceis, quæ a Sacerdotibus pro Sacramentorum aut Sacramentalium administratione adhibentur ; et certo non extendenda sunt ad Superpellicea puerorum qui Missis inserviunt.

3° Velum humerale, sicut et Velum Calicis cujus locum tenet (cfr. Q. 138), et Bursa Corporalis (cfr. Q. 86) ; item Altaris Antipendium, certum est quod de præcepto benedici non debent ; possunt tamen hæc benedici una eademque Benedictione simul cum illis Paramentis pro quibus Benedictio certo præscribitur, aut saltem convenit.

Nota. Generatim servetur praxis omnia sacra Paramenta benedicendi. Quando acquiritur quod vulgo dicimus novum ornamentum, complectens Planetam Stolas, Manipulos, Dalmaticam, Tunicellam, Pluviale, item Velum Calicis, Bursam, Velum humerale, imo et Antipendium Altaris, nemini in mentem veniat sejungere ea pro quibus certum non est Benedictionem de præcepto requiri ; sed omnia simul benedicantur.

Si forte novus Manipulus solus, aut sola nova Stola, aut aliud Paramentum de præcepto certo benedicendum solum acquiritur, aut si renovatum fuerit, etiam solum omnino benedicatur oportet ; idem vero dici non debet de novo Velo humerali ; sed si placet, etiam solum benedici potest, vel, occasione data, cum aliis simul benedicatur.

SECTIO V

De Libris Missalibus

Q. 149. *Quodnam Missale adhibendum est pro Missæ celebratione ? Explica.*

R. Pro Missæ celebratione adhibendum est Missale proprium illius Ecclesiæ, vel Oratorii ubi Missa celebratur, seclusis peculiaribus Ritibus Ordinum propriis.

Explicatur responsum : I. In Tractatu de Rubricis Missalis Romani exponitur Missale Romanum continere Missas de Tempore (Q. 34), et Missas de Sanctis; istæ sunt vel propriæ (Q. 35), vel de Communi (Q. 36) Missæ Sanctorum propriæ recensentur secundum ordinem Kalendarii Ecclesiæ universalis, id est secundum ordinem quem pro Festis illis servandum per Orbem Catholicum Ecclesia statuit.

II. Sed non ubique per Orbem Catholicum, imo forsan nullibi, Kalendarium hoc Festorum Ecclesiæ universalis absque mutationibus observatur ; et exceptis Festis solemnioribus, pluribus diebus per annum occurrunt alicubi per Orbem mutationes in ordine Festorum prædicti Kalendarii ; et ita nonnumquam quidem eodem die quo in hoc Kalendario assignatur Festum alicujus Sancti, eodem quoque die fieri potest quod in una alterave Diœcesi, vel ab una alterave Religiosa Familia celebrabitur Festum alterius Sancti, speciali Indulto concessum ; quod Festum cum in particulari loco tantum, aut a particulari Religiosa Familia celebretur, dicitur particulare, proprium. Quid in casu hujus occurrentiæ fieri oporteat, aliis locis explicabitur : hic sufficit indicasse, alia Festa posse occurrere celebranda præter Festa Kalendarii universalis.

III. Missæ hujusmodi Festorum particularium, seu propriorum non possunt recenseri, aut describi, seu inseri in corpore Missalis Romani, inter Missas Festorum Ecclesiæ universalis ; sed recenseri debent et describi in variis Appendicibus Missali Romano adjun-

ctis. (Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, QQ. 42, 44.)

In Archidiœcesi Mechliniensi occurrunt per annum circiter septuaginta Festa Sanctorum particularia, quæ pleraque (exceptis quibusdam quæ etiam in una alterave vicina Diœcesi coluntur) in hac Diœcesi tantum celebrantur ; hæc Festa particularia suas proprias Missas habent, collectas in Appendice Missali Romano adjuncta, quæ inscribitur : « Missæ propriæ Sanctorum Ecclesiæ Metropolitanæ, Civitatis et Archidiœcesis Mechliniensis. » Aliæ Missæ Festorum quæ Archidiœcesi Mechliniensi concessa fuerunt, reperiuntur in Appendicibus generalibus hodiedum cuicumque Missali Romano adjunctis, quæ continent Missas pluribus locis per Orbem Catholicum concessas, ex. gr., Missæ Instrumentorum Passionis Domini Nostri, quæ celebrandæ occurrunt a Septuagesima ad Hebdomadam Passionis, etc.

Unde aliquo modo dici potest Missale proprium nostrarum Ecclesiarum esse Missale Romanum cum adjunctis Missis particularibus, seu propriis quæ nobis a Sede Apostolica fuerunt concessæ.

Idem jam exstat in omnibus nostri Belgii, et in centenis per Orbem Diœcesibus status particularium, seu propriorum Festorum, quæ omnes et singulæ Diœceses itaque habent suas proprias Missas.

Variæ Religiosæ Familiæ etiam habent suas proprias Missas, præsertim Sanctorum et Beatorum propriæ Familiæ ; quæ Missæ etiam describuntur in propriis ipsarum Appendicibus Missali Romano adjunctis ; hujusmodi sunt, ex. gr., Propria Societatis Jesu ; Congregationis SS. Redemptoris ; etc.

Aliæ Religiosæ Familiæ majori privilegio gaudent ; etenim Missæ propriæ dicendæ in Festis Sanctorum et Beatorum Ordinis, et aliæ Ordini concessæ recenseri possunt et describi in corpore ipsius Missalis Romani, et hæc Festa recenseri etiam possunt in Kalendario Ecclesiæ universalis Missali præposito ; unde Missale quo utitur Familia hujusmodi non est, sicut pro præcedentibus, purum et intactum Missale Romanum, sed Romanum cum insertis in ipso Missali propriis Ordi-

nis Missis. Unde jam habentur Missalia revera propria quorumdam Ordinum ; ex. gr., Missale Romano-Seraphicum pro Ordinibus S. Francisci.

Sed et insuper aliquæ Religiosæ Familiæ Missale proprium habent, peculiares Ordinis Ritus continens. Quando enim, anno 1570, S. Pontifex Pius V edidit Missale Romanum, statuit illud ab omnibus esse accipiendum, rejectis penitus et omnino omnibus aliis existentibus Missalibus ; attamen illa Missalia tunc potuerunt retineri, quæ ab ipsa prima institutione a Sede Apostolica approbata, ducentis annis assidue in usu jam erant. Ex quo maximo privilegio propria sua Missalia, etiamsi Ritus a Romano S. Pii V diversos contineant, retinere potuerunt aliqui Ordines, ex. gr., Fratres Prædicatores seu Dominicani ; eorum Missale proprium a Romano differt non solum in Festorum Sanctorum Kalendario, sed et in Ritu et formula Missam celebrandi. (Cfr. QQ. 27, 28, 29 Tractatus supra citati.)

Ex hisce notatis patet quod Kalendarium Sanctorum Romani Missalis seu universæ Ecclesiæ circumdatur multis varietatibus, nempe millenis Sanctis qui per Orbem Catholicum, non universim quidem, sed quique in suis propriis locis et cœtibus coluntur, et quorum in honorem Missæ propriæ celebrantur.

Apparet inde nostra Sançta Liturgia Catholica tamquam Regina adstans in vestitu suo deaurato in fimbriis aureis circumamicta varietatibus : adducuntur Reginæ filii ejus post eam in templum Regis in lætitia et exsultatione, memores nominis ejus in omni generatione et generationem.

IV. Hæc mira Missarum varietas usque ad annum 1895 regebatur legibus satis severis et incommodis : Missæ etenim propriæ, seu particulares celebrari non poterant, quibusdam casibus exceptis, nisi ab eis quibus fuerant concessæ, non vero a confluentibus Sacerdotibus. Ex crescenti numero Missarum propriarum, simul et ex frequentia extraneorum Sacerdotum, cum tanta sit hodiedum facilitas commeandi et peregrinandi, sæpius factum fuit quod leges, latæ super celebratione Missarum in aliena Ecclesia, aut confusionem,

aut facilem transgressionem paterentur, nisi et forte earumdem observantia fere impossibilis fieret.

Quæ cum pluries perpensa fuissent, S. Rituum Congregatio, ad omnem difficultatem penitus amputandam, certam hac in re et generalem regulam ab omnibus Sacerdotibus servandam constituit, per sequens Decretum Urbis et Orbis, 9 Julii 1895 (n. 3862) : « Omnes et singuli Sacerdotes, tam Sæculares, quam Regulares, ad Ecclesiam confluentes vel ad Oratorium publicum, Missas quum Sanctorum tum Beatorum, etsi Regularium proprias, omnino celebrent Officio ejusdem Ecclesiæ vel Oratorii conformes, sive illæ in Romano, sive in Regularium Missali contineantur ; exclusis tamen pecularibus Ritibus Ordinum propriis. » Summus Pontifex Leo XIII, die 9 Decembris ejusdem anni, sententiam S. Congregationis ratam habuit et confirmavit, Rescripta seu Decreta, tum particularia tum etiam generalia, in contrarium facientia, suprema auctoritate sua penitus abrogando.

Hoc Decretum exponitur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani, ubi agitur de Missa celebranda in Ecclesia aliena (QQ. 383-389) ; hic loci attingenda fuit hæc quæstio ad indicandum qua Missæ formula, seu quo Missali uti debet Sacerdos celebrans Missam, et ad confirmandum responsum supra datum, nempe pro Missæ celebratione adhibendum esse Missale proprium illius Ecclesiæ, vel Oratorii, ubi Missa celebratur, seclusis peculiaribus Ritibus Ordinum propriis.

Placet quibusdam exemplis illustrare responsum.

1. Sacerdos sæcularis Archidiœcesis Mechliniensis, in sua Ecclesia celebraturus Missam in Festo S. Vincentii a Paulo, Confessoris, 19 Julii, reperit in Missali Romano indicatam Missam *Justus ut palma,* de Communi Confessoris non Pontificis, cum Oratione et Evangelio propriis. Sed pervolvens totum suum Missale cum Appendicibus, forte reperit in Appendice Missarum propriarum, ad 19 Julii, aliquam Missam de S. Vincentio a Paulo, quæ incipit *Populus Sion,* in qua omnia sunt propria ; eamque perlegens æstimat perpulchram, quam vellet quidem ipse dicere loco Missæ de Communi in Missali Romano designatam.

Sacerdos noster non potest hanc Missam propriam de S. Vincentio a Paulo dicere ; etenim hæc concessa fuit Congregationi Missionis, et non Archidiœcesi Mechliniensi ; si hoc esset, ad-

notaretur in annuo Officiorum Kalendario seu Directorio ; ergo dicet Missam *Justus*, in Missali Romano pro universali Ecclesia assignatam. — Quod si forte hac die noster Sacerdos celebraret Missam in aliqua Ecclesia, seu Oratorio publico Congregationis Missionis, utique juxta Decretum diceret et ipse Missam hanc propriam S. Vincentii, quia ibi Missa hæc est concessa, propria, et pars quasi Missalis Romani, quam proinde omnes et singuli Sacerdotes ibi ad celebrandum confluentes debent dicere.

2. Idem Sacerdos die 1 Julii, juxta Kalendarium Archidiœcesis Mechliniensis, dixit Officium Festi duplicis 1 classis S. Rumoldi, Episcopi et Martyris, et Archidiœcesis Patroni. Sed accedit pro celebratione Missæ ad Ecclesiam sæcularium vicinæ Diœcesis Leodiensis, ubi eadem die celebratur dies Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ.

Sacerdos dicet Missam de die Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ ; nam S. Rumoldus in Diœcesi Leodiensi non colitur die 1 Julii ; proinde ejus Missa ibi omnino est omittenda et negligenda.

3. Hac eadem die 1 Julii Sacerdos Diœcesis Leodiensis, qui dixit Officium de die Octava Nativitatis S. Joannis Baptistæ, accedit ad Ecclesiam sæcularium Archidiœcesis Mechliniensis pro celebratione Missæ.

Sacerdos Leodiensis dicere debet Missam propriam S. Rumoldi *Gaudeamus*, quæ reperitur in Proprio Mechliniensi Missali Romano annexo ; eamque omnino dicet sicut ibi præscribitur. Debebit ipse dicere Commemorationem diei Octavæ Nativitatis S. Joannis Baptistæ ; ratio hujus est, non quod ipse de hac die Octava dixit Officium, sed quia hujus diei Octavæ Commemoratio juxta Rubricas facienda omnino est, et fit a Sacerdotibus Mechliniensibus æque ac a Sacerdote nostro Leodiensi.

4. Sacerdos Archidiœcesis Mechliniensis, anno 1905, die 14 Januarii, Sabbato, dixit Officium occurrentis Festi duplicis S. Hilarii, Episcopi, Confessoris et Ecclesiæ Doctoris. Pro Missæ celebratione accedit ad Ecclesiam Fratrum Minorum S. Francisci, et reperit ibi celebrari Festum duplex 2 classis SS. Nominis Jesu, huic diei affixum pro Ordine Minorum S. Francisci. Conformans se, juxta Regulas Decreti, Kalendario Ordinis, invenit in Missali proprio Romano-Seraphico Missam propriam SS. Nominis Jesu, et quidem cum Sequentia aliqua quæ incipit *Lauda Sion*.

Sacerdos noster celebrabit hoc Sabbato in Ecclesia Fratrum Minorum Missam de Festo SS. Nominis Jesu propriam, ut exstat in Missali Romano-Seraphico, etiam cum sua Sequentia.

Die sequenti, Dominica II post Epiphaniam, Sacerdos idem dicet Officium præscriptum de SS. Nominis Jesu Festo ; et si celebrat Missam in sua Ecclesia, dicet iterum Missam Festi SS. Nominis Jesu, sed sicut describitur in Missali suo, nempe Romano ; non autem cum Sequentia quam pridie dixit e Missali Romano-Seraphico, quam nequidem in suo Missali reperiet.

5. Sacerdos idem, die 4 Augusti, in Festo S. Dominici, Confessoris, celebrat Missam in Ecclesia Fratrum Prædicatorum. Sed Fratres Prædicatores, seu Dominicani, ex iis privilegiatis sunt qui potuerunt retinere suum Missale antiquum, cum Ritibus particularibus a Ritu Romano diversis.

Sacerdos non potest dicere Missam S. Dominici propriam ex Missali proprio Fratrum Prædicatorum, nemo enim nisi sit ex eo Ordine peculiares hujus Ordinis Ritus servare potest; sed dicet Missam S. Dominici ex Missali Romano; quod si Fratres Prædicatores haberent forsan, ex speciali concessione, aliquam Missam propriam S. Patris Dominici, aliam quam quæ in Missali Romano describitur, et Ritui Romano conformem, debebit noster Sacerdos tunc hanc S. Dominici propriam Missam, Romano Missali annexam, etiam dicere.

Unde pro Fratribus Prædicatoribus, et etiam pro aliis Ordinibus qui peculiares Ritus in Missæ celebratione servant, manet practicum et observandum monitum Benedicti XIV, ut pro extraneis Sacerdotibus ad Ecclesias suas pro Missæ celebratione accedentibus, in sacrario Ecclesiarum semper paratum retineant Missale Romanum, ex quo isti debitam Missam juxta Ritum Romanum dicere possint. (*Institutiones Ecclesiasticæ*, Instit. XXXIV, § 5, n. 2; et *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*, Lib. III, Cap. XXIII, n. 1.)

Sufficiant hæc exempla pro casu proposito de Missali adhibendo in celebratione Missæ; ipsa regula de Missa in Ecclesia aliena exponitur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani. (QQ. 383-389.)

150. **De Librorum Missalium per diversa sæcula confectione.** — Historiam Missalis Romani describere hic locus non est; ipsa exponitur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani. (QQ. 22-30.) Placet hic tantum notare quædam de materiali Missalis confectione, seu de Libro Missali, ut est pars supellectilis ecclesiasticæ.

I. Ante inventam artem typographicam, Missalia describere generatim munus erat eorum qui in Abbatiis et Monasteriis Deo dicati vivebant; erant homines perfectæ ætatis, arte scribendi pollentes, ac diligentia commendabiles. Quæ supersunt horum temporum rariora exemplaria testantur, quanta cum religiosa pietate ac reverentia, quanta cum fidelitate scriptores munus suum sacrum exsequebantur ad majorem Dei gloriam et Sacræ Liturgiæ dignitatem, perfectioni scripturæ et fidelitati textus adjungentes pulchritudinem et splendorem ornatus, additis litteris initialibus ac miniaturis diversi coloris. Dolent adhuc hodiedum artis cultores de deperdita notione inaurationis, qua isti scriptores medii ævi libros suos interius decorabant, cujus splendor post tot sæcula quasi recentis fulgens permanet.

Missalia erant scripta in foliis ex tenuissimis membranis, vel ex pergameno; eorumque ligatura erat ex corio, suppositis plerumque ab utraque parte tenuibus ligneis tabellis; commu-

niter utriusque partis corium decoratum erat impressis figuris, et non raro quidem etiam auro argentoque, imo pretiosis lapidibus.

II. Ars typographica, medio sæculo XV inventa, ab incunabulis inserviit Libris Liturgicis imprimendis. Primum prodiit Psalterium Moguntiæ impressum anno 1457 ; nec dubitandum mox Missalia etiam fuisse typis tradita ; attamen primum Missale notum, typis metallicis impressum, Romæ exaratum anno tantum 1475 reperitur. Sæculo XVI præcipuæ pro Libris Liturgicis officinæ designantur Romanæ. Venetianæ, et in nostra patria Antverpienses (Christophori Plantini, regii prototypographi, architypographi). — Litteræ gothicæ in usu fuerunt usque ad annum 1574, a quo tempore romani characteres generatim fuerunt adhibiti.

Qualitates quibus præstant Missalia ab incunabulis et toto sæculo XVI impressa, sunt : soliditas materiæ, primum enim membranæ et pergamenum pro toto libro, dein pro Canone tantum usuvenerunt ; papyri deinde sæculo XVI usitati soliditas et excellentia singularis erat ; — characterum seu typorum elegantia, nitor et perspicuitas, simul et artis typographicæ perfectio ; — accuratissima redactio et a mendis ac erroribus studiosissima purgatio. Utinam modernæ nostræ Missalis editiones his qualitatibus, tam sancto Libro dignis, etiam præstent ! Quædam nostra Missalia hodierna talia sunt in quibus harum qualitatum nulla reperiri potest.

Plura de his exponit Guéranger in opere : *Institutions Liturgiques* (2e édition, Paris, 1878-1885), Tom. III, Cap. VI, VII, VIII.

Nota. Mirantur et dolent Liturgicæ antiquitatis studiosi quod tanta sit penuria Missalium manuscriptorum ; adeo rara sunt, ut historiam Liturgiæ Sacræ certis documentis innixam scribere quasi impossibile sit ; ex epocha ante Carolum Magnum fere nihil superest, ex medio ævo pauca tantum remanent. Forsan inventio artis typographicæ, hujusque admiratio, ac inde manuscriptorum incuria, deinde Protestantismi ortus, et secuti tumultus, aliæque perturbationes causæ fuere destructionis. — Idem jam fatendum est de Missalibus ab incunabulis typographicæ artis impressis ; ut supra dicitur, primum Missale notum, typis metallicis impressum, est Romanum anni 1475, circiter vigesimi post artem inventam : certo affirmare licet editiones anteriores exstitisse, sed et periisse : præfatæ Romanæ editionis nota hodie sunt exemplaria quatuor, quorum duo manca. Quis non obstupescet discens quod editionis Romanæ Missalis Romani a S. Pio V anno 1570 editi, unum tantum notum restat exemplar, et hoc mancum, in Musæo Plantiniano Antverpiæ ; quod primæ editionis Plantinianæ ejusdem Missalis duo nota sunt exemplaria, Insulis in Gallia unum, Viennæ in Austria alterum ; et Antverpiæ in ipso Plantiniano Musæo nullum reperitur ; quod secundæ editionis anni 1572 quatuor tantum remaneant exemplaria, Londini, Parisiis, Monachii, et Augustæ Vindelicorum (Augsburg) ; tertiæ editionis, ejusdem anni 1572, unicum superest exemplar in Musæo Plantiniano,

quartæ, ejusdem anni, nullum reperitur, neque quintæ et sextæ editionis anni 1573 ; septimæ editionis anni 1574, unicum in Bibliotheca nostri Seminarii Mechliniensis : etc. Sed et quam rara jam fiunt hodiedum in nostris Ecclesiis Missalia sæculi XVII, imo sæculi XVIII ! Frequens usus, et excrescens in dies numerus novarum Missarum de Sanctis causæ sunt quod antiqua locum cedant novis ; sed ubi remanent seposita antiqua ? Qui in locis abditis, in fastigiis nostrarum Ecclesiarum inveniet antiquum Missale ex iis quæ supra notantur, quasi thesaurum se invenisse æstimare poterit. — In nostri Mechliniensis Seminarii Bibliotheca plura reperiuntur antiqua Missalia ; utinam exemplaribus sæculo XVII anterioribus thesaurus iste augeatur !

Catalogum qui omnium Ecclesiarum occidentalium et Ordinum regularium Missalia ab anno 1475 impressa, varias eorum editiones, libri uniuscujusque formam, foliorum numerum, nomen typographi, locum et annum impressionis, Bibliothecas publicas in quibus asservantur exemplaria, et auctores qui de eis aliquid scripserunt, percenset ; operam laboriosam sane, multi temporis dispendio longisque itineribus indigentem, collegit W. H. Jacobus Weale, sub titulo : *Bibliographia Liturgica. Catalogus Missalium Ritus Latini ab anno 1475 impressorum.* Londini, 1886.

Q. 151. *Quis est ornatus Missalis ?*

R. I. Missale debet opere librario bene firmiterque religari in dorso, et ab utraque dorsi parte cooperiri tenuioribus tabulis sectilibus, quæ corio seu pelle teguntur una cum libri dorso. Folia Missalis saltem convenit ut sint exterius inaurata.

Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XII, n. 15) et auctores loquuntur de tegumento serico, ejusdem coloris cujus sunt reliqua Paramenta sacra ; sed hic ornatus plerumque negligitur, quia ligatura ex pelle seu corio plerumque ornata est Crucis insigni, vel alia pia imagine, et in Festis solemnioribus quidem plerumque auro argentove est decorata.

II. Juxta Missalis Rubricam Sacerdos, ante Missæ celebrationem, in Sacristia « accipit Missale, perquirit Missam, perlegit, et signacula ordinat ad ea, quæ dicturus est. » (Ritus, Tit. I, n. 1.) Pro signaculis a Rubrica præscriptis adhibetur aliquod cornu in summitate libri prope dorsum positum, confectum e ligno filamentis sericis cooperto, vel ex argento, ita latum ut Missalis crassitudinem adæquet ; ex eo dependeant funiculi saltem octo, ita longi ut Missalis longitudinem circiter decimetro excedant.

Utinam cura habeatur, et diligens quidem ac quotidiana, ut funiculi ordine suo semper teneantur disposiți ! Quam frequenter videre est primos novissimo, novissimosque primo loco dispositos ! Cujus incuriæ causa sæpius lacerantur Missalis folia.

III. Rubricæ generales Missalis (Tit. XX) requirunt cussinum supponendum Missali ; cujus loco adhiberi potest, et communiter adhibetur parvum legile. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XII, nn. 15, 19.) Cussinus debet esse ex eodem serico, ex quo cætera Paramenta ; legile debet cooperiri velo ejusdem coloris, nisi sit argenteum, aut ligneum affabre elaboratum.

Q. 152. *Quinam alii Libri usuveniunt pro celebratione Missarum ?*

R. I. Pro Missis de *Requiem* adhiberi potest Missale Romanum ; sed a tribus circiter sæculis exstat consuetudo pro his Missis adhibendi Librum proprium extractum e Missali Romano, cui titulus : « Missæ pro Defunctis, ad commodiorem Ecclesiarum usum ex Missali Romano desumptæ. » Continet hoc extractum : Ordinem Missæ et Canonem, iis omissis quæ in celebratione Missarum de *Requiem* juxta Rubricas omittenda sunt ; — dein quatuor Missas de *Requiem*, cum Orationibus diversis pro Defunctis. — Accedunt, a dimidio circiter abhinc sæculo, Ritus servandi pro diversis Absolutionibus ; qui Ritus in novissimis editionibus (post annum circiter 1895) accurate pro diversis casibus describuntur.

II. Pro Missis solemnibus exstat, ad usum Subdiaconi et Diaconi, Liber extractus e Missali Romano, cui titulus : « Epistolæ et Evangelia totius anni secundum Missale Romanum. » In eo continentur Pericopæ, seu Lectiones e Sacra Scriptura, quæ in celebratione Missæ solemnis per anni circulum statutis diebus cantantur, juxta ordinem eumdem quo prostant in Missali Romano. — Quidam typographi librum unicum diviserunt in duas partes omnino separatas, quarum una continet Epistolas, correspondens antiquo Lectionario, seu Epistolario, altera Evangelia, antiqui Evangeliarii seu Evangelistarii locum tenens.

A primis sæculis pro cantu Evangelii in usu erat Evangeliarium, seu Liber continens quatuor sancta Evangelia, in quo Diacono assignabatur pars in Missæ celebratione canenda. In præcipuo inter omnes Libros honore habebatur Evangeliarium, quia Evangelium typum gerit Christi Domini in eo loquentis. Hinc in Synodo Constantinopolitana IV (869) sancitum fuit « Librum Evangeliorum cum Sacra Imagine Domini nostri Jesu Christi æquo in honore habendum esse. » Ex eadem reverentia hic sacer Codex non raro totus aureis litteris scriptus, et sæpius auro, argento, ac pretiosis margaritis decoratus fuit.

Sub Missarum celebratione cum Ipsa Sacrosancta Eucharistia locum in Altari habuit ; unde et hodiedum ante Evangelii cantum Diaconus Evangeliarium solemniter ad Altare defert, et pro Evangelii cantu ipsum ex Altari sumit ; venerationis eidem sacro Codici exhibitæ signa itidem hodie remanent, quod pro Evangelii cantu processionaliter cum luminibus defertur, et incensatur. Ita nos Liturgia docet sancta sancte tractare.

III. « Canon Missæ ad usum Episcoporum ac Prælatorum solemniter vel private celebrantium » est Liber Liturgicus, qui continet Ordinem Missæ et Canonem, e Missali Romano extractum, necnon preces ante et post Missæ celebrationem dicendas. Soli Episcopi hoc Libro uti possunt pro quacumque Missa, solemni vel privata ; Prælatis vero, qui usum Pontificalium habent, generatim eo uti licet tantum quando pontificaliter celebrant. — Protonotarii Apostolici et Supranumerarii, si prælatitio habitu induti, ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, fas ipsis erit Canonem adhibere. Prælati Apostolici ad instar Missam lectam aliqua cum solemnitate celebrantes, Romæ, et extra Urbem de speciali tamen commissione Ordinarii, Canonem adhibere possunt ; in aliis autem Missis lectis et functionibus Palmatoriam si velint, sed non Canonem adhibeant, sicuti Prælati Domestici. (Cfr. Motu proprio S. D. Pii X, De Protonotariis Apostolicis 21 Februarii 1905, nn. 10, 31, 49, 78 ; cfr. Acta Sanctæ Sedis, XXXVII, 1905, pag. 491 et sqq.)

Q. 153. *Sub quibus conditionibus imprimi possunt Missalia ?*

R. Ecclesia curam habuit semper maximam ut Libri Liturgici integri et immutati serventur.

In Constitutione Apostolica anni Incarnationis Domini 1896, VIII Kalendas Februarii (24 Januarii 1897

computus civilis), Summus Pontifex Leo XIII sequens dedit Decretum de Libris Liturgicis (Cap. VII, n. 18) : « In authenticis editionibus Missalis, Breviarii, Ritualis, Cæremonialis Episcoporum, Pontificalis Romani, aliorumque librorum liturgicorum a Sancta Sede Apostolica approbatorum, nemo quidquam immutare præsumat : si secus factum fuerit, hæ novæ editiones prohibentur. »

In hunc finem, ne in his Libris, et speciatim in Missali Romano de quo hic quæstio est, umquam aliqua immutatio irrepère valeat, Summi Pontifices Clemens VIII, et Urbanus VIII, aliique sæpius decreverunt, ne a typographis Missale Romanum in lucem edatur, quin de perfecta novæ editionis concordia cum archetypis Romanis exemplaribus plane constet : quin ideo 1°) ab Ordinario loci Missale imprimendi facultas requisita per editorem, et in scriptis obtenta fuerit ; 2°) ab eodem Ordinario, diligenti examine novæ cujusque editionis instituto, hujus integritas, omnimodaque cum authenticis exemplaribus consonantia comprobetur ; et 3°) ab eodem Ordinario nova editio approbetur, eamque evulgandi licentia impertiatur.

Item S. Rituum Congregatio pluribus Decretis declaravit mentem suam esse, ut in editione Librorum Liturgicorum, ab Episcopis locorum Ordinariis et a typographis adamussim serventur leges in Constitutionibus et Bullis Summorum Pontificum præscriptæ. (Decret. generale 26 Aprilis 1834, n. 2716, antiq. 4730 ; confirmatum 18 Februarii 1843, n. 2855, antiq. 4957 ; Decret. 11 Martii 1871, n. 3241, antiq. 5476, ad 2.) Imo, ad dubium : « An hujusmodi Libros absque requisita Ordinarii licentia impressos liceat emere, penes se retinere, iisque uti ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Non licere, nisi servatis Constitutionibus Apostolicis. » (Decret. 16 Martii 1833, n. 2701, antiq. 4701. — Cfr. Ephemerides Liturgicæ, VII, 1893, pag. 268 et sqq.)

Aliqui Juris Canonici interpretes disputant de supradictis obligationibus et prohibitionibus post editum Constitutionis Leonis XIII Decretum supra citatum, quasi vetus legislatio super Libris Liturgicis esset antiquata. (Cfr. Tractatus de Libris prohibitis, Cap. VII : Nouvelle Revue Théologique, XXXI, 1899,

pag. 131 et sqq., nn. 78, 79, 80; et Acta Sanctæ Sedis, XXX, 1898, pag. 338; XXXIII, 1901, pag. 315.) Quæ autem inde sequuntur adeo gravia sunt, ut unus eorum concludat, dubitandum vehementer an hæc concessio sit duratura. Horum sententiam rejiciendam multiplici ratione probant Ephemerides Liturgicæ (XII, 1898, pag. 206 et sqq., ac 520 et sqq.), quæ concludunt in toto suo robore relinqui veterem legislationem; et demonstrant objectum Constitutionis Leonis XIII aliud prorsus esse ab objecto antiquarum Constitutionum in quibus legislatio pro Libris Liturgicis continetur.

Liturgici auctores insuper animadvertere possunt, S. Rituum Congregationem in novo Decretorum editionis volumine anno 1898, post Constitutionem Leonis XIII, edito, integra retinuisse sua Decreta hac super re lata; et antiquas Constitutiones omnino in principio cujusque Missalis hodiedum sicut antehac debere imprimi, et haberi impressas; qua de causa diversi Libri Liturgici, post Constitutionem prædictam in lucem editi, etiam illi qui a S. Rituum Congregatione ceu typici declarati sunt, omnes sine exceptione consuetis obligationibus faciunt satis; nec ullus hucusque Episcopus Ordinarius noscitur permisisse, Missale Romanum spretis antiquis obligationibus in sua Diœcesi prælo cudi, aut hujusmodi Missale solo concordantiæ testimonio, vel in forma communi approbasse.

Quidam typographi ab his ultimis annis præter debitam imprimendi et evulgandi licentiam ab Ordinario suo obtentam, insuper a S. Rituum Congregatione exquirunt et obtinent aliquam approbationem, qua declaratur editionem cum exemplari typico plane concordare; hæc declaratio datur ex Secretaria S. Rituum Congregationis sub signo Secretarii, et sigillo Emi Cardinalis Congregationis Præfecti. Hujusmodi approbatio pro editionibus jam rite approbatis superabundat, et non est requisita sicut approbatio Ordinarii Episcopi; intendunt typographi hac eo magis commendare librorum suorum authenticitatem.

Nota. Similis Ordinarii approbatio requiritur pro illis Libris Liturgicis qui Missalis Romani partes referunt, nempe pro Missali quod continet Missas pro Defunctis, pro Libro Epistolarum et Evangeliorum, pro Canone Missæ quo utuntur Episcopi et Prælati.

Imo quæcumque Missæ novæ Sanctorum non possunt a typographis cudi aut venumdari nisi constet de earum concordantia cum originalibus, quam testari debet Ordinarius loci.

Q. 154. *Quid de Tabellis præscribunt Rubricæ ? Quid de eis notandum venit ?*

R. I. Rubricæ generales Missalis (Tit. XX) præscribunt, ut « ad Crucis pedem ponatur Tabella, Secretarum appellata. » Ita appellatur hæc Tabella, quia exhibet plures Orationes, quæ, si excipias *Gloria* et *Credo*, recitantur secreta voce ; sæpe etiam vocatur Chartagloriæ. — Dicitur poni ad Crucis pedem ; intellige, super mensam Altaris in medio, vel prope Crucem, vel prope gradum, vel prope Tabernaculum, pro diversa constructione hujus partis superioris Altaris. — Una hæc Tabella a Missali præscribitur.

Duæ aliæ Tabellæ minores, continentes : una Orationem ad infusionem vini et aquæ ad Offertorium, et Psalmum *Lavabo*, posita in cornu Epistolæ ; et altera Initium Evangelii S. Joannis, posita in cornu Evangelii, usu et commoditatis gratia, post primam a Missali præscriptam, fuerunt introductæ.

Tabellæ recentiori ætate, sæculo nempe XVI tantum, adhibitæ fuerunt ; et hodiedum Episcopi eis nondum utuntur, sed earum loco apponitur Liber qui Ordinem Missæ et Canonem continet, et qui Canon Missæ appellatur. (Cfr. Q. 152, III.)

II. Tabellæ imprimi debent cum approbatione Ordinarii loci ; hæc approbatio, ante paucos abhinc annos fere semper omissa, hodie regulariter jam apposita reperitur.

Q. 155. *Quando Tabellæ super Altare apponi possunt ?*

R. Tabellæ super Altare apponi possunt tantum tempore celebrationis Missæ, et extra Missam numquam super Altare relinqui possunt.

Ad dubium : « An in Expositione SS. Sacramenti, sive pro Oratione Quadraginta Horarum, sive alia quavis de causa, amovendæ omnino sint tres Tabellæ ab Altari Expositionis, quas Rubricæ ad Celebrantis commoditatem exigunt in Missæ celebratione ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative ; excepto Missæ tempore. » (Decret. 20 Decembris 1864, n. 3130, antiq. 5343, ad 3.)

Itaque extra Missarum celebrationem numquam relinquantur Tabellæ super Altare, sive ad ornatum, sive commoditatis prætextu ; sed deponantur super credentiam, vel reponantur in Sacristia.

LIBER SECUNDUS

DE RITU CELEBRANDI MISSAM SEU DE OBSERVANDIS A SACERDOTE, ANTE, INTRA ET POST CELEBRATIONEM MISSÆ

Conspectus Libri

156. Præmittitur Notitia, exhibens quasdam Regulas generales in celebratione servandas ; nempe : 1° de tempore quo Missas celebrare licet ; — 2° de modo peragendi præcipuas cæremonias in Missæ celebratione frequentius occurrentes. — Dein 3° describuntur Orationes memoriter dicendæ a Sacerdote ejusque Ministris.

Sectio prima agit de observandis ante Missæ celebrationem, scilicet de præparatione proxima ad celebrandum, et de Sacerdotis ingressu ad Altare.

Sectio secunda exponit cæremonias servandas in celebratione Missæ privatæ.

Huic Sectioni adjunguntur variæ Appendices : 1° fit summaria recapitulatio variarum cæremoniarum quæ frequentius in Missæ celebratione occurrunt ; — 2° dicitur de Missa cantata ; — 3° exponuntur cæremoniæ a Celebrante observandæ in celebratione Missæ solemnis ; — 4° notantur quæ varianda sunt in celebratione Missarum de *Requiem* ; — 5° describuntur quæ peculiaria sunt Missis celebratis coram SS. Sacramento exposito ; — 6° indicantur observanda in Missis celebratis coram Episcopo in sua Diœcesi.

Sectio tertia tractat de observandis post Missæ celebrationem, scilicet de regressu ad sacristiam, de gratiarum actione ; adduntur pauca de precibus aliquando dicendis, aut functionibus quibusdam peragendis post Missam.

In variis Appendicibus exponuntur specialia quædam, quandoque occurrentia dum Sacerdos Missam celebrat ; scilicet : 1° observanda pro Consecratione Hostiarum ; — 2° observanda pro purificatione sacrorum Vasorum ; — 3° observanda circa ordinem dicendi eadem die binas, vel plures Missas ; — 4° observanda a Celebrante in accessu alterius Sacerdotis ad Altare.

NOTITIA PRÆLIMINARIS EXHIBENS QUASDAM REGULAS GENERALES IN CELEBRATIONE MISSÆ SERVANDAS

ARTICULUS I

De tempore celebrationis

Q. 157. *Quibus diebus per annum potest celebrari Missæ Sacrificium ?*

R. Missæ Sacrificium potest omnibus diebus per annum ab omnibus Sacerdotibus celebrari ; solum excipitur Triduum Sacrum in Majori Hebdomada, in quo Ecclesia celebrationem Missæ vel vetuit, nempe Feria VI Parasceves, vel restrinxit, nempe Feria V in Cœna Domini et Sabbato Sancto.

Q. 158. *Paucis expone rationes existentis disciplinæ pro Triduo Sacro.*

R. I. In Feria V in Cœna Domini unica tantum celebrari potest Missa in unaquaque Ecclesia parochiali, aut alia in qua Officium hac die de jure, vel ex privilegio agitur ; reliqui vero de Clero singulis Ecclesiis adscripto hac die Missam celebrare non possunt ; sed ex antiquo more, in memoriam institutionis SS. Eucharistiæ Sacramenti, et quod ipse Dominus Jesus manu sua propria tunc omnes Apostolos suos communicavit, Communionem sumunt in hac Missa de manu ejus qui ipsam celebrat ; quam regulam, universalis Ecclesiæ consuetudini conformem, et summa religione semper retentam, nullatenus omitti vult Ecclesia. (Cfr. Decreta S. Rituum Congregationis, 13 Septembris 1692, n. 1883, antiq. 3289 ; et 22 Decembris 1770, n. 2489, antiq. 4353.)

Qui Clerici alicui Ecclesiæ non sunt adscripti ad communicandum hac die in Missa non obligati videntur ; possunt ipsi vel communicare in Ecclesia, sive in Missa cum adscriptis, sive privatim, vel a Communione abstinere.

II. In Feria VI in Parasceve numquam licuit Missæ Sacrificium celebrare, idque ex Apostolorum traditione servatur ; quia hac die ipse Christus Pontifex Summus sacrificavit in monte Golgotha, cruentum se offerens in ara Crucis Deo Patri Sacrificium ; quam crudelem Sponsi sui dilecti necem lugens, Ecclesia a Sacrificio abstinet. — Officium hujus Feriæ VI terminatur quidem per aliquam functionem quæ vocatur Missa Præsanctificatorum ; ipsa tamen Sacrificium non est, quia in ea non fit Consecratio panis et vini, sed Missa vocatur quia Hostia Sacra heri præsanctificata sumitur a Sacerdote. Hæc ipsa Sacerdotis Communio hac die fit sub sola specie panis præsanctificati.

III. Sabbato Sancto etiam omittitur Missæ celebratio ex Apostolica traditione ; quia hac die Dominus Jesus, cujus nomine omne Sacrificium offertur, occisus jacuit in sepulchro, et Ecclesia Divinum suum Sponsum lugere pergit. — Quæ hodie in nostris Ecclesiis Missa celebratur Sabbato Sancto non hujus diei Missa est, sed pertinet ad sacratissimam noctem Resurrectionis Domini ; ut adeo Missa hæc, quæ olim revera post mediam noctem Sabbati Sancti et proprie sub auroram ipsius Paschatis, in honorem resurgentis Salvatoris celebrata fuit, nunc per anticipationem celebretur pridie illius auroræ. In tantum quidem ab antiqua traditione jam deflexit hodierna disciplina, ut de jure et de facto dicatur de hac Missa in mane Sabbati Sancti celebrata quasi ipsa esset propria Missa hujus diei ; unde jam regula ponitur, quod in Sabbato Sancto unicum tantum Sacrum simul cum functionibus hujus diei celebrare licet, et quod in eo præter hanc unicam Missas privatas celebrare plane non licet.

159. Referuntur quædam ex præcipuis S. Rituum Congregationis Decretis super Missis et functionibus Tridui Sacri Majoris Hebdomadæ.

I. — « An Feria V in Cœna Domini in eadem Ecclesia, ultra Missam ordinariam, liceat alteram lectam celebrare ? » S. Congregatio respondit : « Non licere. » (Decret. 19 Decembris 1654, n. 980, antiq. 1746.)

Nota. Si in Feria V in Cœna Domini occurreret Festum quod feriationem annexam habet, et in quo populus Sacro interesse tenetur, in tali casu deberent quidem tot Missæ privatæ

de Cœna Domini ante celebrationem Missæ solemnis diei celebrari, quot sufficere possent pro præcepti adimplemento. (Decret. 27 Septembris 1716, n. 2240, antiq. 3893.) Hoc tamen non extendendum est ad loca in quibus desiit obligatio audiendi Sacrum.

Si tale Festum occurrat in Feria VI in Parasceve, non manet obligatio assistendi Officio hujus diei. Si occurrat in Sabbato Sancto, non permittuntur sine speciali Indulto Missæ privatæ ad implementum præcepti, et unica Missa cum Officio Sabbati Sancti tantum celebrari potest. (Decret. 12 Februarii 1690, n. 1822, antiq. 3202.)

Specialis prærogativa datur Festo Annuntiationis B. Mariæ Virginis, 25 Martii; etenim : « quotiescumque vel Feria VI in Parasceve, vel Sabbato Sancto hoc Festum impediatur, toties Feria II post Dominicam in Albis, tamquam in sede propria, ut antea, reponatur : in qua integra cum solemnitate ac feriatione, sed sine Octava, prouti die 25 Martii, celebrabitur. » (Decret. 23 Aprilis - 27 Maji 1895, n. 3850.)

II. — « An liceat in Ecclesiis in quibus non asservatur SS. Sacramentum, celebrari Missam Feria V in Cœna Domini, et in Sepulchro idem augustissimum Sacramentum asservari ? » S. Congregatio respondit : « Non licere. » (Decret. 14 Junii 1659, n. 1120, antiq. 1990.)

III. — Dubium I. « An Feria V in Cœna Domini in Ecclesiis Parochialibus, aliisque non Parochialibus celebrari possit Missa lecta vel cum cantu, quin peragantur functiones Feriæ VI in Parasceve et Sabbati Sancti ? »

Dubium II. « An prædicta Missa legi vel decantari possit in Ecclesiis vel Oratoriis spectantibus ad Regulares, ad Seminaria, et ad Pias Communitates ? »

S. Congregatio rescribendum censuit : Ad I. « In Ecclesiis Parochialibus ubi adest Fons baptismalis, serventur Rubricæ Missalis et Decreta, adhibito Memoriali Rituum Benedicti Papæ XIII, pro functionibus præscriptis, si extet defectus sacrorum ministrorum et clericorum. In aliis vero Ecclesiis non Parochialibus, omitti potest functio Sabbati Sancti, non tamen illa Feriæ VI in Parasceve ; et fiat Sepulchrum : expetita facultate pro usu dicti Memorialis, si idem sacrorum ministrorum et clericorum defectus existat. »

Ad II. « Affirmative, quoad Regulares proprie dictos, juxta Decretum sub N. 2799 diei 31 Augusti 1839 ; Negative, quoad Seminaria et Pias Communitates, nisi habeatur Apostolicum Indultum. » (Decret. 9 Decembris 1899, n. 4049, ad 1 et 2.)

IV. — Decretum sub n. 2799, diei 31 Augusti 1839, superius citatum, est ut sequitur : Quidam R. P. Prior Tertii Ordinis S. Francisci in oppido N. insequentia dubia proposuit, nimirum : « 1. An in Ecclesiis ubi functiones Majoris Hebdomadæ fieri nequeunt, Feria V in Cœna Domini celebrari possit Missa lecta ? »

« 2. An si hujusmodi Ecclesiæ sint Regularium, id liceat, ut Superior communicare valeat suos Alumnos, pro adimplemento Paschalis præcepti ? »

S. Congregatio rescribendum censuit : Ad 1. « Negative. »

Ad 2. « Superior celebret in privato Oratorio ad ministrandam Religiosis Communionem : et si desit Oratorium, fiat in Ecclesia januis clausis. »

V. — Pro intelligentia eorum quæ supra dicuntur de usu Memorialis Rituum, describitur sequens Decretum, 16-23 Martii 1876 (n. 3390, antiq. 5652) :

« Memoriale Rituum jussu Benedicti Papæ XIII editum permittitur adhiberi pro aliquibus præstantioribus sacris functionibus persolvendis in minoribus Ecclesiis parochialibus. In Diœcesi autem Mechliniensi plures existunt Ecclesiæ non parochiales, et Oratoria Regularium Fratrum Religiosorum, et Monialium seu feminarum Religiosarum, in quibus ob defectum sive Ministrorum, sive Paramentorum, Officia Hebdomadæ Sanctæ, aliaque similia solemniter celebrari nequeunt ; convenienter vero persolvi possunt juxta præfatum parvum Memoriale Rituum, prout in pluribus ex dictis Ecclesiis et Oratoriis jam fieri solet. Porro nonnullis dubitantibus num sibi eo Memoriali uti liceret, » petitur :

« An in dictis minoribus Ecclesiis non parochialibus, et Oratoriis Officia Hebdomadæ Sanctæ aliaque similia juxta Memoriale Rituum Benedicti XIII persolvi possint ? Et, quatenus negative, supplicatur ut S. Rituum Congregatio ejus usum in præfatis Ecclesiis et Oratoriis Diœcesis Mechlinien. indulgere dignetur. »

S. Congregatio rescribendum censuit : Ad Dubium : « Negative. »

Ad Postulatum : « Pro gratia, juxta modum ; nimirum ut petita facultas concedatur solummodo Oratoriis sive publicis sive privatis Monialium sub clausuræ lege viventium ; et aliis Oratoriis sive Ecclesiis publicis pro locorum necessitate sive magna utilitate, juxta prudens Rmi D. Ordinarii pro tempore arbitrium, et facto verbo cum SSmo. Die 16 Martii 1876. Facta autem de prædictis SSmo Dom. Nostro Pio Papæ IX per Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua benigne annuit pro gratia, ad tramitem supradictæ resolutionis, limitato tamen tempore ad proximum quinquennium. Die 23 iisdem mense et anno. »

VI. — Dubium : « An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam Parœciis, præsertim in ruralibus, celebrandi per Parochum Missam lectam Feria V in Cœna Domini, quin peragi valeant eadem Feria et sequenti ceteræ ecclesiasticæ functiones præscriptæ, ob Clericorum defectum ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Affirmative, et ad mentem. Mens est : ut locorum Ordinarii quoad Parœcias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem Clerici, sacras functiones Feriis

V et VI ac Sabbato majoris Hebdomadæ peragi studeant, servata forma parvi Ritualis s. m. Benedicti XIII anno 1725 jussu editi : et quoad alias Parœcias quæ Clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi (petita quotannis venia) Feria V in Cœna Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in Cathedrali vel Matrice Conventualis incipiat. Et ad D. Secretarium cum SSmo. » Sanctitas Sua Pius VII responsum approbavit et confirmavit. (Decret. 28-31 Julii 1821, n. 2616, antiq. 4583, ad 1.)

Nota. In Missali Romano, in Memoriali Rituum, et in Decretis variis supra citatis sæpe nominantur Ministri, Acolythi, Clerici, pro servitio in functionibus Tridui Sacri. Ubi functiones istæ peragi debent solemniter, necessario requiritur ministerium Diaconi et Subdiaconi ; ast præter istos Ministros sacros, reliqui omnes non oportet ut sint Acolythi aut Clerici ; et laici officia pro Clericis et Acolythis descripta, sicut ex communi usu in Missis aliisque Officiis per annum implent, ita etiam in Triduo Sacro Clericorum loco implere posse auctores affirmant ; ne in multis Ecclesiis parochialibus, ob defectum eorum qui revera Clerici sunt, functiones Tridui Sacri magno cum detrimento omitti debeant. Parochi munus est laicos loco Clericorum ministrantes bene circa officia implenda instruere.

Hoc posito, suppositum præcedentis Decreti, nempe quod ob defectum Clericorum functiones Tridui Sacri in aliqua Parochia non valerent peragi, in nostra Diœcesi non verificatur ; unde apud nos de Missa lecta in Feria V in Cœna Domini indulgenda ob populi commoditatem, omissis reliquis functionibus Tridui sacri, quæstio esse non potest.

(Cfr. insuper quæ de Memoriali Rituum ejusque usu notantur in Tomo V « Cæremoniale », Q. 134.)

Q. 160. *Summatim ex præcitatis Decretis expone disciplinam in nostra Diœcesi observandam circa obligationem, liceitatem, et modum peragendi functiones Tridui Sacri.*

R. 1° In Ecclesiis in quibus non asservatur SS. Sacramentum non licet peragere functiones Tridui Sacri.

2° In Ecclesiis Conventualibus, et iis Parochialibus ubi adest Fons baptismalis, functiones Tridui Sacri omnes fieri debent solemniter, id est, cum assistentia Diaconi et Subdiaconi, cum cantu, cum sufficienti ministrorum numero, sicuti istæ functiones describuntur in Missali Romano.

3° In iis Ecclesiis Parochialibus ubi adest Fons baptismalis, in quibus, defectu sacrorum Ministrorum, functiones Tridui Sacri peragi non possunt ea cum solemnitate quæ describitur in Missali Romano, adhibetur pro ipsis peragendis Memoriale Rituum pro mino-

ribus Ecclesiis, jussu Benedicti XIII editum. (Hoc Memoriale Rituum totum describitur in Appendice I Tractatus qui inscribitur « Cæremoniale ».)

4° In Ecclesiis quæ non sunt Parochiales, ubi non adest Fons baptismalis, in Oratoriis publicis, in Oratoriis spectantibus ad Regulares, ad Seminaria, ad pias Communitates, functiones Tridui Sacri fieri non quidem debent, sed pro magna utilitate fieri possunt ; ast, si fiant, peragi debent solemniter, quemadmodum in Missali Romano describuntur, nempe cum assistentia Diaconi et Subdiaconi, etc.

5° In hujusmodi Ecclesiis et Oratoriis, si functiones Tridui Sacri non possunt peragi solemniter, non licet per se adhibere Memoriale Rituum, sicut in minoribus Ecclesiis Parochialibus ; sed expetenda est facultas illud Memoriale adhibendi ; quam facultatem Ordinarius, pro tempore limitato concedere valet Oratoriis sive publicis sive privatis Monialium sub clausuræ lege viventium, et aliis Oratoriis sive Ecclesiis publicis, pro locorum necessitate sive magna utilitate, juxta prudens arbitrium.

6° In iis Ecclesiis Parochialibus ubi non adest Fons baptismalis, et in Oratoriis fieri non debet functio Sabbati Sancti, etiamsi peractæ fuerint functiones præcedentium dierum ; sed ubi fit functio Feriæ V in Cœna Domini, omnino requiritur ut fiat etiam functio Feriæ VI in Parasceve ; quæ functiones peragi debent solemniter, nisi obtineatur facultas pro usu Memorialis Rituum, ut supra dictum fuit.

7° Feria V in Cœna Domini ultra Missam functionis hujus diei aliam Missam celebrare in eadem Ecclesia non licet.

8° Si in aliqua Ecclesia vel Oratorio non peragitur functio Feriæ VI in Parasceve, non licet ibi Feria V in Cœna Domini celebrare Missam, sive lectam, sive cum cantu, sive solemnem. — Apud Regulares proprie dictos legi posset Missa in quodam casu, et sub determinatis conditionibus, ut dicitur in Decreto supra citato (Q. 159, IV) ; sed hoc privilegium non potest extendi ad pias Communitates, aut ad alios ad quos non spectat.

9° Sabbato Sancto unica tantum celebrari potest Missa una cum functionibus hujus diei ; non autem sola

Missa absque diei functionibus; et præter illam unicam prohibetur omnis Missarum celebratio absque speciali Indulto Sedis Apostolicæ. — Soli Episcopo licet, ratione collationis Sacrorum Ordinum, privatim celebrare Missam in domestico suo Sacello ; in quo casu functionem incipiet a Prophetiis. (Decreta 21 Martii 1744, n. 2375, antiq. 4153, ad 1 ; et 28-31 Julii 1821, n. 2616, antiq. 4583, ad 2.)

Q. 161. *Quoties eadem die Missam celebrare Sacerdoti licet ?*

R. A) In Festo Nativitatis Domini tres Missas a singulis Sacerdotibus celebrari Ecclesia concedit ; nullus tamen Sacerdos per se tres Missas celebrare tenetur, modo absit scandalum ; est enim privilegium, non præceptum ; quisque igitur vel unam, vel duas, vel tres Missas hac die celebrare potest. (Decret. S. Rituum Congregationis, 19 Junii 1875, n. 3355, antiq. 5610.) (Cfr. QQ. 336, 337, 338.) — Qui autem facultate gaudet binandi, de qua infra, non sex sed tres tantum Missas celebrare potest.

Nota. I. Per tres istas Missas memoratur triplex Christi Domini Nativitas : — 1° in tempore ex utero B. Mariæ Virginis ; celebratur de nocte, ad recolendum tempus quo Salvator natus est ; — 2° in animis justorum ; celebratur in aurora, ad recolendum tempus nuntii quod ab Angelo pastoribus allatum fuit ; — 3° ab æterno in sinu Patris ; celebratur in die, et de æterna generatione dicitur præsertim in Epistola et in Evangelio.

Nota. II. Ab antiquissimis temporibus eadem cum solemnitate trium Missarum colebatur Festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ, de quo Angelus nuntiaverat : « Et multi in nativitate ejus gaudebunt » (Lucas, Cap. I, v. 14) ; a singulis Sacerdotibus enim in hoc Festo poterant, sicut in Domini Nativitate, tres Missæ celebrari. (Cfr. Guéranger, *L'année liturgique*, Tome XII (*Le Temps après la Pentecôte*, Tome III), 24 Juin.) A pluribus sæculis jam obsolevit hoc privilegium, et non licet nisi unicam in hoc Festo Missam celebrare.

Nota. III. Singularis concessa fuit facultas, anno 1746, a Benedicto XIV, Sacerdotibus in Hispaniarum et Portugalliæ regnis ac dominiis commorantibus, celebrandi in Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum tres Missas, certis sub conditionibus. Hujus facultatis ad alias regiones extensio, etsi sæpius postulata, hucusque concessa non fuit a Sancta Sede Apostolica. (Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, Q. 328, Nota.)

B) Præter Festum Nativitatis Domini, pluries eadem die divina Mysteria peragere ecclesiastica lex prohibet ; excepto casu veræ et gravis necessitatis, ubi in tali casu Episcopus expressam licentiam dederit binandi seu secundam eadem die Missam celebrandi. (Cfr. Stat. diœc. n. 327.) Quæ tunc a Sacerdote celebrante observanda veniunt, exponentur in Appendice III Sectionis III, QQ. 338, 339.

Q. 162. *Qua hora potest Missa celebrari ?*

R. « Missa privata, saltem post Matutinum et Laudes, quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest. » (Rubricæ generales Missalis, Tit. XV, n. 1.)

Per auroram intelligitur tempus quo incipit matutinum crepusculum, id est, tempus medium noctem inter et diem, seu tenebras inter et ortum solis. Aurora itaque incipit diverse pro diversitate, tum temporis anni, tum geographicæ latitudinis. In Belgio, ad latitudinem 51 graduum, tardissima aurora apparet 22 Decembris, hora 6ª cum 4 minutis ; a 26ª Maji autem ad 19am Julii aurora per totam noctem perdurat.

Tempus auroræ non debet mathematice sumi, sicuti nec tempus meridiei, sed moraliter ; et potest Missa terminari in aurora, et inchoari paulo ante meridiem. (Cfr. Stat. diœc. n. 329 ; et Theologiæ Tractatus de Sacrificio Missæ, n. 16.)

Ad dubium : « An permitti queat, ut in aliqua solemnitate Missa incipiat in meridie, ita ut ob solemnitatem cantus et concionem, Missa se protrahat usque ad horam secundam vel amplius ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Prudenti arbitrio Ordinarii. » (Decret. 7 Julii 1899, n. 4044, ad 4.)

Per exceptionem ad præfatam regulam, potest, in Festo Nativitatis Domini, post mediam noctem, in Ecclesiis Cathedralibus, aliisque in quibus Officium publice agitur, necnon in Parochialibus, unica Missa celebrari solemniter, aut saltem in cantu ; privata Missa vero non permittitur absque Sedis Apostolicæ speciali Indulto. Contraria consuetudo declarata fuit abusus, et Episcopus curet ut abscindatur. (Decret. 18 Septembris 1781, n. 2520, antiq. 4404.) Nullo modo autem

licet huic unicæ Missæ permissæ aliam, sive solemnem, sive privatam, aut duas addere ante auroram. Hæc multis Decretis statuit S. Rituum Congregatio. (Decreta 14 Novembris 1676, n. 1584, antiq. 2806 ; 23 Martii 1686, n. 1761, antiq. 3105 ; 3 Decembris 1701, n. 2086, antiq. 3607.)

Nota. I. Animadvertere juvat, quod Sacerdos, qui unam tantum in Nativitatis Domini Festo Missam celebrat, dicere debet « Missam quæ respondeat circiter horæ juxta Rubricas peculiares ejusdem diei » ; scilicet, primam, si in nocte solemniter vel in cantu unicum permissum Sacrum celebrat, vel eo tempore ex speciali Indulto Missam legit ; secundam, si in aurora ; tertiam, si post solis ortum celebrat. (Decreta S. Rituum Congregationis, 19 Junii 1875, n. 3354, antiq. 5609 ; et 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 21.)

Nota. II. Missa privata de qua supra dicitur in Rubrica, intelligitur privata, quatenus distinguitur, non a solemni seu cantata, sed a Missa conventuali (cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, QQ. 9 et 12) ; quæ conventualis Missa in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis et Conventualibus quotidie celebratur juxta ordinem Officii post determinatam Officii Divini Horam Canonicam. Pro hujus Missæ conventualis celebratione Rubricæ magis præcise tempus determinant ; scilicet : in Dominicis et Festis semiduplicibus et altioris ritus, Missa conventualis celebrari debet, dicta in Choro Hora Tertia ; in Festis simplicibus et Feriis per annum, dicta Sexta ; in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, et Vigiliis quæ jejunantur, Missa de tempore debet cantari post Nonam. Missæ Defunctorum dici debent post Primam ; excepto die Commemorationis Fidelium Defunctorum Omnium, in quo, ut principalis hujus diei, Missa dicitur post Nonam. Missæ Votivæ quæ locum tenent Missæ conventualis, dicuntur post Sextam ; Votivæ privatæ post Primam ; Votivæ solemnes post Nonam. (Cfr. Rubricæ generales Missalis, Tit. XV.)

Per Decretum 9 Aprilis 1900, S. Rituum Congregatio rescripsit, quod Missa conventualis debet celebrari immediate post Canonicam Horam a Rubrica et Decretis designatam ; et quod non licet eas separare, ita

ut inter illas breve vel longum aliquod temporis spatium intercedere possit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 268 et 269.)

ARTICULUS II

De modo peragendi præcipuas Cæremonias frequentius occurrentes

§ 1. De Reverentiis

Q. 163. *Quid importat vox* Reverentia, *in Rubricis frequenter occurrens ?*

R. Vox Reverentia, quæ in Rubricis frequenter occurrit, est nomen genericum, quod sub se habet species, scilicet genuflexiones et inclinationes omnes ; quando ergo in Rubricis præscribitur ut quis debitam faciat reverentiam, intelligitur ea, sive genuflexio, sive inclinatio, quæ juxta datas regulas convenit rei, cui reverentia fit. Jamvero quo majorem aliquis meretur reverentiam, eo major convenit et fit ipsi reverentia, sive genuflexione, sive inclinatione. — Reverentiæ signum etiam dici potest osculum, quod pluries in Missæ celebratione præscribitur.

Q. 164. *Quotuplex distinguitur genuflexio ? Explica.*

R. Prænotare juvat quod hic agitur de genuflexione quæ fit per actum transeuntem, scilicet sine mora ; non autem de genuflexione quæ fit cum mora, qua utimur cum flexis genibus oramus.

Genuflexio duplicis generis est, utriusque nempe, et unius genu, seu duplex et simplex.

I. Genuflexio duplex fit, flectendo ad terram primo dextrum genu juxta talum pedis sinistri, et dein sinistrum genu juxta dextrum, et inclinando mox profunde caput ; in surgendo, erecto jam capite, primo levatur genu sinistrum, et ponitur pes juxta genu dextrum, dein genu dextrum levatur.

In Missa privata numquam occurrit facienda genuflexio duplex, nisi per accidens ; scilicet, præcipue, exposito SS. Sacramento, in accessu ad Altare ante Mis-

sam, et in recessu ab Altari post Missam ; in quibus casibus fit ante gradus Altaris super pavimentum.

II. Genuflexio simplex fit, flectendo ad terram genu dextrum juxta talum pedis sinistri ; nisi genuflectens stet ante aliquem gradum Altaris, et debeat in hoc gradu dextrum genu flectere. In ista genuflexione simplici nulla fiat capitis aut corporis inclinatio ; corpus nullo modo curvetur, sed demittatur recte, et absque declinatione versus sinistrum aut dextrum latus, nec genu pavimento ullo modo insistat, sed depressum ad terram confestim inde erigatur, cum debita tamen gravitate ; quæ gravitas præsertim requiritur in genuflexionibus quæ in Missa fiunt, inde a Consecratione usque ad Communionem ; etenim in Ritu celebrandi Missam, ad hanc Missæ partem, semper præscribitur genuflexio quæ adorationem referat : « genuflexus adorat, genuflexus veneratur, genuflexus reverenter adorat. »

Notandum est quod, si in peragenda genuflexione simplici occurreret nomen aut verbum,ad cujus pronuntiationem alias præscribitur inclinatio capitis, omitti in genuflexione inclinatio ista debet ; siquidem majus obsequium, quod est genuflexio, includat minus, quod est capitis inclinatio.

Summarium genuflexionum quæ in Missæ celebratione fieri debent describitur ad Q. 267.

De antiquitate genuflexionum in Liturgicis functionibus plura referunt Ephemerides Liturgicæ ; nempe de genuflexione cum mora facta, seu cum genuflexi oramus (II, 1888, pag. 583 ; et XVI, 1902, pag. 82) ; et de genuflexione sine mora facta (XIX, 1905, pag. 16).

Q. 165. *Quotuplex distinguitur inclinatio corporis et capitis ? Explica.*

R. Inclinatio primum distinguitur duplex : corporis nempe, quæ potius humiliationis signum est, quod præstatur sæpius cum mora, infra recitationem quarumdam Orationum, rarius per actum transeuntem tamquam salutatio ; — capitis dein, quæ potius salutationis rationem habet, quæ præstatur regulariter cum pronuntiatur aliquod nomen, aut dicuntur ad summum quædam verba, rarius vero cum mora infra quasdam Orationes.

I. Inclinatio corporis subdividitur in profundam et mediocrem. Inclinatio corporis profunda ea est, qua medietas corporis totaliter inclinatur. Regulam auctores assignant sequentem : profunda corporis inclinatio erit sufficiens, cum possunt digitorum extremitate tangi genua, vel, cum ad Altare frons Celebrantis fere tangit mensam, seu superiorem partem Altaris. — In Rubricis designatur verbis : « profunde inclinatus, profunda reverentia. »

Inclinatio corporis mediocris ea est, qua caput et modice humeri inclinantur, medians inter profundam corporis et profundam capitis inclinationem. Debite fiet, si Sacerdos ita caput et humeros deprimat, ut ad Altare frons ejus æquet altitudinem pallæ super Calicem positæ. — In Rubricis designatur verbis : « inclinatus », vel additis particulis : « aliquantulum —, parum —, mediocriter inclinatus. »

Summarium inclinationum corporis quæ in Missæ celebratione fieri debent describitur ad Q. 268.

II. Inclinatio capitis subdividitur in profundam, mediam et minimam. Quæcumque vero fiat in salutationem peracta, fieri debet versus ipsam personam quæ salutatur, vel versus objectum quod proprius aut expressius repræsentat personam cui salutatio exhibetur.

Inclinatio capitis profunda, quæ correspondet cultui latriæ, facienda, ex. gr., cum nominatur sanctissimum nomen « Jesus », aut « Jesus Christus » (non vero cum pronuntiatur solum nomen « Christus »), ea est, qua Sacerdos inclinat, quantum potest, caput versus pectus, cum aliquantula humerorum depressione.

Si non stat in medio ante Altare, Sacerdos convertit caput inclinatum et pectus ad medium Altaris ; scilicet, aut ad Crucem, quæ est Altaris principale objectum, excepto infra Evangelium, quando, ob Evangelii dignitatem, caput ad Missale inclinat ; aut ad SS. Sacramentum, si patenter in Altari sit expositum. — In Rubricis designatur verbis : « caput inclinat, — caput profunde inclinat, — profundius inclinat, — capitis reverentia. »

Inclinatio capitis media, quæ correspondet cultui hyperduliæ, facienda cum pronuntiatur sanctissimum no-

men « Maria », ob supereminentem excellentiam qua super reliquos Sanctos gaudet Sancta Dei Genitrix, ea est, qua Sacerdos caput tantummodo, non quantum potest, sed tamen notabiliter deprimit. — Fit hæc inclinatio versus librum, ad nomen Mariæ, quoties, et ubicumque, et in quacumque Missa occurrit ; si autem in loco principali Altaris habeatur simulacrum vel imago B. Mariæ Virginis, inclinatio fit versus imaginem, quia ipsam expressius repræsentat. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 25 ; et Ritus, Tit. V, n. 2, Rubrica anno 1897 reformata.) Antehac inclinatio versus imaginem erat præscripta pro imagine insigni tantum ; hodie observanda est pro imagine quacumque, et modo habeatur tamquam principalis in loco Altaris principali, inclinatio fit versus imaginem. — Notandum vero est quod inclinatio nulla facienda est,quando nomen « Maria » accommodate tantum applicatur, uti est in Evangelio et in Versu Communionis Missæ Festi Assumptionis B. Mariæ Virginis. (Decret. 7 Decembris 1844, n. 2872, ad 6, antiq. 4985, ad 11.)

Inclinatio capitis minima, quæ correspondet cultui duliæ, cæteris Sanctis præter B. Mariam Virginem debito, ea est, qua Sacerdos caput leviter seu aliquantulum deprimit. Hæc autem fit ad nomina Sanctorum, non semper quidem, seu quoties, et ubicumque, et in quacumque Missa occurrunt, qualiter fit ad nomen B. Mariæ Virginis inclinatio media, sed tantum ad nomina « Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit Commemoratio. » (Ritus, Tit. V, n. 2.) Facienda etiam est hæc inclinatio ad nomen Summi Pontificis, non quidem ratione cultus duliæ, sed ob supremam qua ipse gaudet potestatem, et qua maximam in terris meretur reverentiam. — Fit hæc inclinatio capitis minima versus librum ; nisi in loco principali Altaris habeatur simulacrum vel imago Sancti, de quo dicitur Missa vel fit Commemoratio, quia tunc ad imaginem caput inclinatur, juxta Decretum et Rubricam quæ supra citantur pro imagine B. Mariæ Virginis. — Notandum etiam hic est quod nulla inclinatio facienda est, quando nomen Sancti accommodate tantum applicatur,uti est no-

men Joseph, quod occurrit in Epistola Festi Patrocinii S. Joseph, Dominica III post Pascha, aut in eadem Epistola Missæ Votivæ de S. Joseph, quæ Feriis quartis liberis celebrari potest; ibi enim nominatur inclytus Joseph, Veteris Testamenti Patriarcha, non S. Joseph, B. Mariæ Virginis Sponsus.

Summarium inclinationum capitis quæ in Missæ celebratione fieri debent describitur ad Q. 269. Specialia de his diversis inclinationibus, ubi in Missa sunt observandæ, referuntur etiam ad QQ. 200, 205, 208, 211, 231.

Nota. Inclinationem capitis profundam inter et mediam omnino debere observari distinctionem probatur ex sequenti Rubrica Cæremonialis Episcoporum : « Cum profert nomen Jesu, vel Mariæ, inclinat se, sed profundius, cum dicit Jesus ; quod et omnes faciunt. » (Lib. II, Cap, VIII, n. 46.) Distinctionem autem mediam inter et minimam capitis inclinationem, quæ supra proponitur, nulla Rubrica, nullum Decretum præscribit. Hæc distinctio tamen jam ab auctoribus sæculi XVII notatur : Cajetanus Merati in suis Observationibus ad Gavantum (Editio Romana ex Typographia Vaticana, anni 1736, Tom. I, pag. 344) citat Bauldry (1646), Gavanti coævum, aliosque optimæ notæ auctores, et ipse eam proponit ; quis primus eam distinctionem introduxerit, quis distinctionis rationem non spernendam a diverso hyperduliæ et duliæ cultu, forsan ex pietate erga B. Mariam Virginem invenerit, non licuit investigare. Quidquid sit, quia neque a Rubricis neque a Decretis præscribitur facienda hæc distinctio, quidam moderni auctores, Rubricam appellantes, eam omittunt et eamdem inclinationem tribuunt ad nomina Sanctorum et Summi Pontificis quam ad nomen B. Mariæ Virginis.

Fatendum est de minimis, si dicere licet, hic agi, et in praxi mensuræ hujusmodi inclinationis mediæ et minimæ observationem vix distingui posse ; attamen cum tantæ auctoritatis viri, principes nostri, distinctionem illam proposuerint, placuit eorum sententiam non silentio præterire. Qui voluerit legis verba stricte servare, distinctionem negligens, certe non Rubricam lædet ; qui voluerit, antiquorum sententiam amplectens, B. Mariæ Virgini distinctionis honorem tribuere, præclarissimos sui liturgici reatus, si quis adsit, socios habebit.

Q. 166. *Quid notandum est circa oscula, quæ pluries præscribuntur in celebratione Missæ ?*

R. Osculum signum est reverentiæ et venerationis, et fit applicando physice labia ad objectum quod osculatur Sacerdos ; fiat tactus sine strepitu.

Præscribitur Sacerdoti osculari : 1° sacras Vestes se-

quentes : Amictum, Manipulum et Stolam, antequam assumantur, et quando deponuntur ; — 2° Altare ; — 3° primum Evangelium ; — 4° Patenam.

1° Sacras Vestes indicatas osculari debet Sacerdos in medio earum, ubi Crux depicta habetur.

2° Altare osculatur Celebrans super mappas Altaris, omnino in medio partis mensæ quæ est prope frontem Altaris, et non extra medium ad unum alterumve latus ; ut autem congruenter se inclinare et caput recta linea demittere valeat, in hac circumstantia potest aliquantum ab Altari recedere. Ad osculum Altaris Celebrans semper manus extensas super Altare deponit, vel extra vel super Corporale, eo modo qui in sequenti Quæstione sub 5° describitur. — Ad quas Missæ partes Celebrans debet osculari Altare describitur in Summario, Q. 270.

3° Textum Evangelii osculatur ad principium seu prima verba.

4° Patenam osculari debet in parte concava, ad extremitatem seu oram, sed non in ea parte, in qua S. Hostiam statim post osculum deponet.

§ 2. De manuum positionibus diversis

Q. 167. *Indica et describe præcipuas et frequentiores manuum digitorumque positiones.*

R. 1° A Consecratione Hostiæ usque ad ablutionem digitorum post Communionem, quæcumque sit manuum in sequentibus descripta positio, Sacerdos « **pollices et indices non disjungit,** nisi quando Hostiam consecratam tangere, vel tractare debet. » (Ritus, Tit. VIII, n. 5.) Ad hoc, apices pollicis et indicis utriusque manus jugiter se invicem contingere debent. Si manus jungendæ sunt, junguntur quatuor isti apices, ita ut uterque pollex et uterque index se tangant, quin tamen pollex et index alterutrius manus a se invicem separentur. — Si Calix, aut Patena, aut Palla sunt accipienda, sumuntur inter indicem et pollicem conjunctos, ab una parte, et medium ac reliquos digitos unitos, ab altera parte.

2° **Manus junctæ tenentur ante pectus** : Palma unius manus exacte conjungitur palmæ alterius manus, « ex-

tensis et junctis pariter digitis » utriusque manus, « et pollice dextero super sinistrum posito, in modum Crucis. » (Ritus, Tit. III, n. 1.) — Manus sic junctæ ita ante pectus sustinentur, ut neque ab eo nimis distent, neque eidem nimis adhæreant ; neque versus faciem, neque ad terram, aut ad tabulam Altaris sint conversæ, sed versus cœlum sint erectæ naturaliter, ad normam diagonalis.

Nota. Ab hac manuum junctione ante pectus, parum differt, quæ in Canone, ad utrumque *Memento*, et post S. Hostiæ sumptionem, præscribitur junctio manuum **ante faciem**, seu **usque ad faciem** ; manus equidem tunc aliquantulum magis elevatæ tenentur, et versus faciem conversæ seu erectæ, quam ubi simpliciter ante pectus junctæ tenendæ præscribuntur ; sed hujusmodi elevatio ad summum usque ad pectoris summitatem, seu usque ad mentum protendit ; nullo modo autem in casu toleratur manibus junctis mentum, aut os, aut nares attingere, aut manus usque ad oculos elevatas tenere. Sufficiat ergo junctas ante pectus manus ita tenere, ut digitorum summitates prope mentum positæ habeantur, quin mentum attingant, etiamsi caput demissum aliquantulum sit tenendum.

3° **Manus junctæ ponuntur super Altaris oram** : « Ita ut digiti parvi dumtaxat frontem, seu medium anterioris partis tabulæ, seu mensæ Altaris tangant, residuo manuum inter Altare et se (Sacerdotem) retento, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis posito. » (Ritus, Tit. IV, n. 1.) Itaque extremitates parvorum digitorum tangant anteriorem —, annulares vero tangant superiorem mensæ partem ; parvi digiti nullo modo ab annularibus separentur. — Antipendium unum cum Altaris mensa reputatur in hoc casu.

4° **Manus extensæ ante pectus tenentur** : « Ita ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat. » (Ritus, Tit. V, n. 1.) Manus a manu distet latitudine corporis, et non ultra ; uterque cubitus lateri adhæreat, et manus sint ad cœlum magis quam ad Altare directæ. Attentio specialis peti potest, ut manus bene apertæ, digitique erecti et sibi cohærentes teneantur.

5° **Manus extensæ super Altare ponuntur** : A) *Ante Consecrationem et post ablutionem digitorum*, ita ut extensæ, unitis tamen omnibus digitis, ponantur ex parte palmæ, et usque ad pulsum, super Altaris mensam, æqualiter hinc inde, extra et juxta Corporale.

B) *Inde a Consecratione usque ad ablutionem digitorum*, ita ut pollex et index uniuscujusque manus sint ad extremitates conjuncti, reliqui autem digiti extensi et uniti : manus ponuntur super Corporale, inter tres anteriores plicaturas Corporalis, ita ut pollex et index sint supra media plicatura, reliqui autem digiti supra plicaturis lateralibus, et parvi digiti reponantur super Corporale ; extremitates omnium digitorum sint conversæ versus Corporale, ita ut ipsa palma respiciat superficiem mensæ Altaris.

In utroque casu attendat Sacerdos, præsertim minoris staturæ, ne, dum genuflectit, manus super Altare extensas ullo modo elevet.

6° **Manus extensæ ante pectus rejunguntur** : ad hoc manus junguntur in recta horizontali linea ante pectus, quin prius eleventur.

7° **Manus ante pectus junctæ extenduntur statimque rejunguntur** : duplex linea recta horizontalis in casu ab utraque manu seorsim efformetur a medio ad distantiam humerorum et vicissim, quin minima fiat manuum elevatio.

8° **Manus ante pectus junctæ, extenduntur, elevantur, junguntur et demittuntur**. In hac actione, Sacerdos manus elevando extendit, et extendendo elevat, et jungit, ita ut circulus quasi efformetur, qui incipit ante pectus, ducitur ad latitudinem et altitudinem humerorum, ita ut infima manuum pars altitudinem humerorum attingat, et terminatur prope vultum, ubi manus rejunctæ demittuntur ante pectus.

9° **Si una manus occupatur**, usuvenit regula generalis, quod, cum interea aliquid speciale pro altera manu non præscribitur, hæc numquam in aere suspensa, seu pendula teneri potest, sed aut ponitur generatim super Altaris mensam, si Celebrans ad Altare conversus stat, aut alias contra pectus tenetur.

Ad vertenda Missalis folia, ex. gr., dum plures Oratio-

nes in Missa sunt dicendæ, experientia statim constat, aptius adhiberi ambas manus, quo melius et facilius retineantur suis locis signacula ; excepto quando Sacerdos stat in medio Altaris, ad dicendum Orationes Secretas et Canonem, tunc enim, dextera super Altaris mensam extensa, folia commode sola sinistra vertuntur.

Post Elevationem, folia in Canone vertenda, aut signacula his foliis ordinarie apposita, sumantur potius medio digito et annulari, quam indice et medio digito ; numquam tamen, sicut ante Consecrationem, pollice et indice.

Summaria diversarum manuum positionum quæ in Missæ celebratione observari debent describuntur ad Q. 273.

§ 3. De signo Crucis

Q. 168. *Indica modum quo Sacerdos 1° seipsum signat; et 2° personam vel rem aliquam benedicit.*

R. 1° Sacerdos (juxta Ritum celebrandi Missam, Tit. III, n. 5), « cum seipsum signat, » (scilicet a fronte ad pectus producens signum Crucis), « semper sinistram ponit infra pectus » super cingulum, extra terminos Crucis faciendæ ; « vertit ad se palmam manus dexteræ, et omnibus illius digitis junctis et extensis, a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dexterum, signum Crucis format. »

In formanda Cruce tanguntur frons, pectus et humeri sinister et dexter, extremis tribus digitis, indice, medio et annulari ; a Consecratione autem usque ad Communionem, patet quod tactus cum indice, qui pollici junctus manere debet, sit omittendus.

Signum Crucis absolvitur in humero dextro ; itaque post humerum dextrum tangere et medium pectoris, sicut aliqui faciunt, arbitrarium est ; item post signum factum in humero dextero, necesse non est jungere manus, nisi quod sequitur dicendum sit manibus junctis.

Verba interea pronuntianda diligenter sunt dispensanda ad singulos contactus : hæc distributio pro singulis casibus indicabitur in expositione ritus, juxta S. Alphonsum ; juvat tamen hujus distributionis tabellam

pro præcipuis signis Crucis in Missa faciendis hic proponere :

Ad frontem,	ad pectus,	ad humerum sinistrum,	ad humerum dextrum,
In nomine Patris	et Filii	et Spiritus	sancti.
Adjutorium	nostrum	in nomine	Domini.
indulgentiam	absolutionem	et remissionem	peccatorum nostrorum.
Cum sancto	Spiritu	in gloria	Dei Patris. Amen.
Et	vitam	venturi	sæculi. Amen.
Benedictus	qui venit	in nomine	Domini.
Omni benedictione	cœlesti	et gratia	repleamur.
Da propitius	pacem	in diebus	nostris.

2° Sacerdos cum personam vel rem aliquam benedicit, sinistram « cum est ad Altare... ponit super Altare, nisi aliter notetur... » — Dexteræ « parvum digitum vertit ei cui benedicit, ac benedicendo totam manum dextram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis, et extensis, quod in omni Benedictione observatur. » (Ritus, Tit. III, n. 5.) Ex hac Missalis regula, et aliis locis, sequentia animadvertuntur :

1. Priusquam Cruce res aut persona quædam signatur, ambæ manus semper ante pectus junguntur (Ritus, Tit. VII, n. 5) ; nisi forte altera impediatur, ex. gr., ad Benedictionem aquæ ad Offertorium, ad Benedictionem Hostiæ et Calicis ante Consecrationem.

2. Manus sinistra, si Sacerdos stat versus Altare, super Altare ponitur, nisi sit impedita, uti accidit in Benedictione aquæ ad Offertorium ; et præterquam dum signatur principium Evangelii, tunc enim sinistra ponitur super librum ; alias tenetur infra pectus.

3. Cruces fiunt extensis et unitis omnibus dexteræ digitis, etiam pollice et indice non sejunctis, excepto cum pollex et index in apice junguntur.

4. In quavis Benedictione parvus digitus vertitur ad rem vel personam cui benedicitur. Cum ergo benedicitur populus, manus tenetur recta per totum Crucis signum ; cum vero oblata, vel aliæ res, aut personæ benedicuntur, tenetur inclinata a parte parvi digiti, non autem a parte palmæ, versus benedicenda.

5. Lineæ Crucis non excedant latitudinem rei signandæ. Cum ergo benedicitur Hostia, aut Calix, horum terminos lineæ non exsuperent ; in benedicendo verum populo, prima linea recta distantiam frontem inter et pectus, altera linea transversa humerorum latitudinem attingat, non autem prætergrediatur. Extensio vero, seu directio, et mensura linearum desumuntur ab extremitate parvi digiti, qua Cruces delineari supponitur.

Forma Crucis quæ in Missa efformatur, est Crucis græcæ, cujus duæ lineæ, recta scilicet et transversa, ejusdem extensionis et mensuræ sunt.

6. In quocumque Crucis signo, post lineam rectam, ut fiat linea transversa, non ab extremo lineæ rectæ fit linea obliqua versus initium lineæ transversæ, sed manus reducitur ad medium rectæ lineæ, tum transfertur ad sinistram signantis, dehinc ad dexteram, et ibi completur signum ; non ergo reducenda est manus ad medium transversæ lineæ.

7. De benedictione oblatorum speciatim notatur : Signantur, vel oblata communiter, vel Hostia tantum, vel Calix tantum. — Quum signantur Calix et Hostia communiter, linea recta incipitur ad medietatem pallæ, et, quin deprimatur manus, extenditur usque super Hostiam ; linea hæc enim non potest esse curvata, seu versus Hostiam depressior, sed debet fieri tota ad eamdem altitudinem recta ; tunc reducitur dextera usque inter Calicem et Hostiam, et linea transversa fit inter Calicem et Hostiam ante pallam, ad latitudinem pallæ, et in eadem altitudine primæ lineæ. — Cum signatur Hostia tantum, aut Calix tantum, Cruces non excedant eorum terminos.

Ad dubium : « An Cruces quæ fiunt super oblata a Sacerdote debeant fieri manu transversa, an vero manu recta in transversa parte Crucis ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Manu recta. » (Decret. 4 Augusti 1663, n. 1275, antiq. 2241, ad 4 ; cfr. etiam Decret. 24 Julii 1683, n. 1711, antiq. 3025, ad 6.)

8. Ad singulas Crucis lineas verba diligenter sunt distribuenda. Hinc syllabæ aut verba, quæ Crucem depictam in Missali præcedunt, sunt pronuntianda dum

prior linea recta efformatur ; quæ autem sequuntur, dum linea transversa efficitur.

§ 4. De oculis et de voce

Q. 169. *Quomodo Sacerdos oculos tenere debet in celebrando Missam ? Quid de oculorum elevatione est notandum?*

R. I. Regulariter oculi sunt demittendi versus terram, aut mensam Altaris ; non vagi per Ecclesiam aut loca circumducendi ; non tamen claudendi. Præscribit enim Rubrica Missalis (Ritus, Tit. II, n. 1), quod Sacerdos accedens ad Altare procedere debet « oculis demissis » ; quod si id præscribitur pro progressu per Ecclesiam, a fortiori observandum est in ipsa sacra actione Sacrificii ad Altare.

Exceptiones dantur, quando Sacerdos debet legere preces e Missali, aut tabella ; vel oculos convertere ad Crucem, aut ad SS. Sacramentum.

II. Aliquoties præscribitur Sacerdoti in celebratione Missæ elevare oculos. Hæc oculorum elevatio fiat sine, aut cum levissimo tantum motu capitis.

In hac elevatione oculorum Crux Altaris adspici debet. Super quo S. Rituum Congregationi dubium sequens fuit expositum : « Denegatur ab aliquibus Ecclesiasticis obligatio Crucem adspiciendi dum a Rubrica Sacerdoti celebranti injungitur in Missa oculorum elevatio. Quidnam dicendum de hujusmodi opinione ? » Et S. Congregatio rescripsit ac declaravit : « Juxta Rubricas, in elevatione oculorum Crucem esse aspiciendam. » (Decret. 22 Julii 1848, n. 2960, antiq. 5121, ad 3.)

Per Crucem hic intelligi debet non pes Crucis, sed superior Crucis pars quæ proprie est Crux cum Imagine SS. Crucifixi.

Attamen in quibusdam casibus dari potest exceptio ad hanc regulam ; etenim fieri potest quod Crux ipsa sit valde eminens : in hoc casu sufficit oculos versus eamdem elevare, et intueri versus cœlum, cum positione convenienti, juxta expressionem Rubricæ « intentis ad Deum oculis. »

Idem servari deberet, si Crux Altaris tam demisse esset posita, ut Sacerdos ad eam adspiciendam non

posset oculos elevare ; hanc vero Crucis dispositionem minime probari patet ex dictis in responsis ad QQ. 53 et 54.

Exposito in Altari SS. Sacramento, oculi elevantur ad SS. Sacramentum expositum in throno.

Summarium diversarum elevationum oculorum quæ in Missæ celebratione observari debent describitur ad Q. 272.

Q. 170. *Quotuplex distinguitur vox requisita pro diversis precibus in celebratione Missæ ? Explica.*

R. Triplex vox distinguitur, scilicet clara, media, secreta.

1° Vox clara ea est, quæ audiri et intelligi potest a circumstantibus, qui prope sunt circa Altare seu non nimium ab Altari remoti. — In Ritu celebrandi Missam designatur verbis : « vox **intelligibilis, clara, conveniens et intelligibilis.** » — De ea sequentia sollicite præscribit Rubrica (Rubricæ generales, Tit. XVI, n. 2) : « Sacerdos maxime curare debet, ut ea quæ clara voce dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quæ legit, nec nimis morose, ne audientes tædio afficiat, neque etiam voce nimis elata, ne perturbet alios, qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant ; neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri, et gravi : quæ et devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata,ut quæ leguntur, intelligant. »

2° Vox **media** ea est, quæ aliquantulum tantum est elevata, seu minus intensa quam vox clara, quæque audiri potest a ministro et a proxime circumstantibus. — In Ritu celebrandi Missam designatur verbis : « **aliquantulum elata, paululum elevata, mediocris, parum elata.** »

3° Vox secreta ea est, qua Sacerdos dicenda ita pronuntiat, « ut et ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur. » (Rubricæ generales, Tit. XVI, n. 2.) In Ritu celebrandi Missam designatur verbis : « **secreto, submissa voce.** » — Ut quis se ipsum audiat, requiritur ad minus, ut verba pronuntiet revera organis vocis, seu voce articulata, et non mente tantum verba concipiat

aut oculis tantum legat ; sed talem efformet vocalem et articulatam pronuntiationem qua habeatur, secluso omni impedimento extrinseco seu strepitu, aliquis verborum sonitus, etsi modicus et vix sensibilis.

Summaria precum quæ diversis his vocibus in Missæ celebratione dicendæ sunt describuntur ad Q. 271.

Nota. Hanc vocis distinctionem, a Rubricis pro celebratione Missæ præceptam, omnino observandam esse omnes auctores tenent. Quantum peccatum sit debita voce, clara aut secreta, dicenda non proferre, vide apud Theologos. (Cfr. Génicot, *Theologiæ moralis institutiones,* Vol. II, n. 254, VIII.)

§ 5. De modo standi, eundi, operandi

Q. 171. *Quænam observabit Sacerdos in modo standi, eundi, et operandi, cum sacras functiones peragit ?*

R. Præ oculis habeat semper in sacris functionibus peragendis Sacerdos, primo et principaliter earum omnium, sed præcipue tremendi Missæ Sacrificii dignitatem, quo nihil est majus, nihil salutarius, nihil sanctius, divinius nihil ; deinde fidelium ædificationem, quibus Mysterii magnitudo et majestas externa cæremoniarum ac rituum specie magis eluceat.

I. Stans, Sacerdos « erectus » stare debet, ut dicit Rubrica (Ritus, Tit. III, n. 1) : erectus corpore, erectus capite, nec hinc nec inde inclinatus, et multo minus brachiis vel cubitis Altari innixus. Caveat etiam in celebratione caput aut corpus indecenter librare seu agitare, sed se teneat immobilem, nisi quando motus capitis aut corporis requiritur. Pedes teneat in eadem linea juxtapositos.

II. Procedat « oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore ». (Ritus, Tit. II, n. 1.) Accedat ergo ad Altare, vel ab ipso recedat, vel ab uno ad aliud cornu se conferat Sacerdos, vel se vertat ad populum, semper conveniens modestia resplendeat oportet, tum in gravitate et decore incessus, tum etiam in oculorum demissione.

III. Eadem insuper gravitas non minus requiritur in operando ; ita tamen, ut actiones non sint morosæ, quæ tædio afficiant circumstantes. Ideo unaquæque

actio suo tempore et ordine, nec prius nec postea, perficiatur, et simul fiant quæ simul fieri debent.

Refugiat atque reformidet Sacerdos quod facit facere citius ; quo ne et gravia et levia, eaque non pauca, vel omittantur, vel immutentur, vix aut omnino non potest fieri.

Deficiente hac gravitate, celerior manuum aut brachiorum, capitis aut corporis motio vel gyratio, magis comicæ actioni quam sacræ functioni convenit. Funestum sane spectaculum !

ARTICULUS III

Orationes memoriter dicendæ a Sacerdote ejusque Ministris

172. In celebratione Missæ preces non paucæ a Sacerdote memoriter recitari debent ; aliæ vero etiam convenit ut memoriter recitentur, quia aut non facile, aut non decenter e libro vel tabella legi possunt, vel quia ipsæ vel saltem earum partes dicendæ veniunt interea dum cæremoniæ peraguntur.

Pro facilitate tironum, e Missali Romano hic describuntur omnes preces, quas memoriter recitari oportet aut saltem convenit, non solum a Celebrante, sed etiam a Ministro in Missa privata, vel a Ministris in Missa solemni.

I. Orationes dicendæ cum Sacerdos induitur Sacerdotalibus Paramentis

1. *Sacerdos cum lavat manus, dicat* : Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam : ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

2. *Ad Amictum, dum ponitur super caput, Sacerdos dicat* : Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

3. *Ad Albam, cum ea induitur* : Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

4. *Ad Cingulum, dum se cingit* : Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et exstingue in lumbis meis humorem libidinis : ut maneat in me virtus continentiæ, et castitatis.

5. *Ad Manipulum, dum imponitur brachio sinistro* : Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris : ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.

6. *Ad Stolam, dum imponitur collo* : Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis : et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

7. *Ad Casulam, cum assumitur* : Domine, qui dixisti : Jugum meum suave est, et onus meum leve : fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.

Nullibi præscribitur ut Diaconus et Subdiaconus dicant preces, cum sacris induuntur Paramentis ; attamen maxime ipsis commendatur ut id faciant. Unde Subdiaconus poterit dicere preces assignatas numeris 1 ad 5 ; Diaconus preces assignatas numeris 1 ad 6.

8. *Ad Tunicellam, cum assumitur, Subdiaconus dicere potest* : Tunica jucunditatis, et indumento lætitiæ induat me Dominus.

9. *Ad Dalmaticam, Diaconus dicere potest* : Indue me, Domine, indumento salutis, et vestimento lætitiæ, et dalmatica justitiæ circumda me semper.

II. Orationes in Missa dicendæ

10. *Sacerdos.* In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Introibo ad altare Dei.

Minister. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

S. Judica me Deus, et discerne causam meam de gente non sancta : ab homine iniquo, et doloso erue me.

M. Quia tu es Deus fortitudo mea : quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus ?

S. Emitte lucem tuam, et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt, et adduxerunt in montem sanctum tuum et in tabernacula tua.

M. Et introibo ad altare Dei : ad Deum qui lætificat juventutem meam.

S. Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus : quare tristis es anima mea, et quare conturbas me ?

M. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi : salutare vultus mei, et Deus meus.

S. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

M. Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

S. Introibo ad altare Dei.

M. Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

S. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

M. Qui fecit cœlum et terram.

S. Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus sanctis, et vobis fratres : quia peccavi nimis cogitatione, verbo, et opere : mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor beatam Mariam semper

Virginem, beatum Michaelem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes sanctos, et vos fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

M. Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam.

S. Amen.

M. Confiteor Deo etc., *dicendo* tibi pater, *et* te pater.

S. Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.

M. Amen.

S. Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens, et misericors Dominus.

M. Amen.

S. Deus tu conversus vivificabis nos.

M. Et plebs tua lætabitur in te.

S. Ostende nobis Domine misericordiam tuam.

M. Et salutare tuum da nobis.

S. Domine exaudi orationem meam.

M. Et clamor meus ad te veniat.

S. Dominus vobiscum.

M. Et cum spiritu tuo.

11. S. Oremus. Aufer a nobis, quæsumus Domine, iniquitates nostras : ut ad Sancta sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

S. Oramus te, Domine, per merita sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, et omnium sanctorum : ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.

12. M. *Ad benedictionem incensi* : Benedicite Pater Reverende.

S. Ab illo benedicaris, in cujus honore cremaberis. Amen.

13. S. Kyrie eleison. M. Kyrie eleison.
S. Kyrie eleison. M. Christe eleison.
S. Christe eleison. M. Christe eleison.
S. Kyrie eleison. M. Kyrie eleison.
S. Kyrie eleison.

14. S. et M. Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te. Benedicimus te. Adoramus te. Glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus, Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris. miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus. Tu solus Dominus. Tu solus Altissimus. Jesu Christe. Cum sancto Spiritu, in gloria Dei Patris. Amen.

15. S. *Ante Evangelium* : Munda cor meum, ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiæ Prophetæ calculo mundasti ignito : ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen. — Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis : ut digne et competenter annuntiem Evangelium suum. Amen.

In Missa solemni Diaconus recitat Munda cor etc., *ut supra; deinde petens benedictionem, dicit* : Jube domne benedicere.

S. Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis : ut digne et competenter annunties Evangelium suum : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

S. *Ad osculum libri* : Per evangelica dicta deleantur nostra delicta.

16. S. et M. Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri : per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine : Et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis : sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum : sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos, et mortuos : cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum, et vivificantem : qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, et Filio simul adoratur, et conglorificatur : qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

17. S. *Ad oblationem Hostiæ* : Suscipe sancte Pater, omnipotens æterne Deus, hanc immaculatam hostiam, quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo, et vero, pro innumerabilibus peccatis, et offensionibus, et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis : ut mihi, et illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen.

18. S. *Benedicens aquam miscendam in Calice dicit* : Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti : da nobis per hujus aquæ et vini mysterium, ejus divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster : Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus : per omnia sæcula sæculorum. Amen.

In Missa solemni Subdiaconus, antequam Sacerdos dicat Orationem Deus, qui humanæ, etc., *sustinens ampullam aquæ, dicit* : Benedicite Pater Reverende.

19. S. et M. *Ad oblationem Calicis* : Offerimus tibi, Domine, calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam : ut in conspectu divinæ majestatis tuæ, pro nostra, et totius mundi salute cum odore suavitatis ascendat. Amen.

20. S. *Post oblationem Calicis* ; In spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine : et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi, Domine Deus.

Veni sanctificator, omnipotens æterne Deus : et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini præparatum.

21. M. *Ante benedictionem incensi*: Benedicite Pater Reverende.

S. *Benedicens incensum dicit* : Per intercessionem beati Michaelis Archangeli, stantis a dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus benedicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

S. *Dum incensat oblata* : Incensum istud a te benedictum, ascendat ad te, Domine : et descendat super nos misericordia tua.

S. *Dum incensat Altare* : Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum, in conspectu tuo : elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis : ut non declinet cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

S. *Dum reddit thuribulum* : Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam æternæ caritatis. Amen.

22. S. *Ad manuum lotionem* : Lavabo inter innocentes manus meas : et circumdabo altare tuum, Domine.

Ut audiam vocem laudis : et enarrem universa mirabilia tua.

Domine, dilexi decorem domus tuæ : et locum habitationis gloriæ tuæ.

Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam : et cum viris sanguinum vitam meam.

In quorum manibus iniquitates sunt : dextera eorum repleta est muneribus.

Ego autem in innocentia mea ingressus sum : redime me, et miserere mei.

Pes meus stetit in directo : in ecclesiis benedicam te, Domine.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

23. S. *Post manuum lotionem* : Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus ob memoriam passionis, resurrectionis et ascensionis Jesu Christi Domini nostri : et in honorem beatæ Mariæ semper Virginis, et beati Joannis Baptistæ, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et istorum, et omnium Sanctorum : ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem : et illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

24. S. Orate fratres : ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.

M. Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis ad laudem, et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.

S. Amen.

25. S. et M. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli, et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

26. S. *Initio Canonis* : Te igitur, clementissime Pater, per Jesum Christum Filium tuum Dominum nostrum, supplices roga-

mus, ac petimus, uti accepta habeas, et benedicas, hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia.

27. S. *Ante Consecrationem* : Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris : ut nobis Corpus, et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

28. S. *Ad Consecrationem* : Qui pridie quam pateretur, accepit panem in sanctas, ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens : Accipite, et manducate ex hoc omnes.

Simili modo postquam cœnatum est, accipiens et hunc præclarum Calicem in sanctas, ac venerabiles manus suas : item tibi gratias agens benedixit, deditque discipulis suis, dicens : Accipite, et bibite ex eo omnes.

Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

29. S. *Post Consecrationem in Oratione* « *Unde et memores, etc.* » : Offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis, ac datis, hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, Panem sanctum vitæ æternæ, et Calicem salutis perpetuæ.

30. S. Supplices te rogamus, omnipotens Deus : jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ majestatis tuæ : ut quotquot, ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus, et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratia repleamur.

31. S. *Commemoratio pro defunctis* : Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum N. et N. qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.

32. S. *Post Orationem* « *Nobis quoque peccatoribus, etc.* » : Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis, et præstas nobis.

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso, est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus sancti, omnis honor et gloria.

33. S. Pater noster, qui es in cœlis : Sanctificetur nomen tuum : Adveniat regnum tuum : Fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie : Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem.

M. Sed libera nos a malo.

34. S. *In Oratione* « *Libera nos, etc.* » : Da propitius pacem in diebus nostris : ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

Pax Domini sit semper vobiscum.

Hæc commixtio, et consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.

35. S. et M. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi : miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi : miserere nobis. Agnus Dei, qui tollis peccata mundi : dona nobis pacem.

In Missis pro Defunctis non dicitur miserere nobis, *sed ejus loco,* dona eis requiem, *et in tertio additur* sempiternam.

36. S. *Orationes ante Communionem, recitandæ intentis ad SS. Sacramentum oculis* : Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis : Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ : eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris : qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

S. *Si danda est pax* : Pax tecum.

M. Et cum spiritu tuo.

S. Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti : libera me per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis : et fac me tuis semper inhærere mandatis, et a te numquam separari permittas : qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem : sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam : qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

37. S. *Ad Communionem* : Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum : sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ?

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

38. S. *Ad purificationem Calicis* : Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus : et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

39. S. *Ad ablutionem digitorum* : Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhæreat visceribus meis : et præsta ; ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt sacramenta : Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

40. S. Ite missa est. *Vel* : Benedicamus Domino. *Vel* : Requiescant in pace.

41. S. *Ante ultimum Evangelium* : Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ : et præsta ; ut sacrificium, quod oculis tuæ majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique, et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

42. S. *Ad Benedictionem* : Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

III. Gratiarum actio post Missam

43. *Sacerdos cum redit ad sacristiam, et deponit paramenta, dicit Antiphonam* : Trium puerorum cantemus hymnum : quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Quæ Antiphona in Festis Duplicibus tantum duplicatur, et tempore Paschali additur in fine Alleluja.

Canticum. — Benedicite omnia opera Domini Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino : benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino : benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino : benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino : benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et æstus Domino : benedicite frigus et æstus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino : benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino : benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebræ Domino : benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum : laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes et colles Domino : benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino : benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete, et omnia quæ moventur in aquis, Domino : benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestiæ et pecora Domino : benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israël Dominum : laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino : benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animæ justorum Domino : benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misaël Domino : laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu : laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es, Domine, in firmamento cœli : et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

Psalmus 150. — Laudate Dominum in Sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus : laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ : laudate eum in psalterio, et cithara.

Laudate eum in tympano et choro : laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis : omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper : et in sæcula sæculorum. Amen.

Ant. Trium puerorum cantemus hymnum : quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum.

Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

℣. Exsultabunt Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

℣. Non nobis, Domine, non nobis.

℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus. Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium : concede propitius ; ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere : ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Da nobis, quæsumus Domine, vitiorum nostrorum flammas exstinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

SECTIO I

De observandis ante Missæ privatæ celebrationem

In triplici Sectione hujus Libri primum diversis Articulis præponitur textus Rubricarum, quem exhibet « Ritus servandus in celebratione Missæ » in Titulis numero XIII, in quantum textus agit de Missa privata ; dein illustratur textus necessaria explicatione.

ARTICULUS I

De Præparatione Sacerdotis celebraturi

Textus. (Tit. I.) — 1. Sacerdos celebraturus Missam, prævia Confessione Sacramentali, quando opus est, et saltem Matutino cum Laudibus absoluto, Orationi aliquantulum vacet : et Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacristia vel alibi præparatum, ubi paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur, accipit Missale, perquirit Missam, perlegit, et signacula ordinat ad ea, quæ dicturus est.Postea lavat manus, dicens Orationem inferius positam. Deinde præparat Calicem (qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam intus inauratam, et simul cum Patena itidem inaurata, ab Episcopo consecratus), super ejus os ponit purificatorium mundum, et super illud Patenam cum Hostia integra, quam leviter extergit, si opus est, a fragmentis, et eam tegit parva palla linea, tum velo serico : super velo ponit bursam coloris paramentorum, intus habentem Corporale plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico, vel auro in medio intextum. sed totum album, et ab Episcopo, vel alio habente facultatem, simul cum palla benedictum.

2. Quibus ita dispositis accedit ad paramenta, quæ non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, et decenter munda, ac pulchra, et ab Episcopo itidem, vel alio facultatem habente, benedicta : ubi calceatus pedibus, et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis attingat ; induit se, si sit Prælatus sæcularis. supra rochettum. si sit Prælatus regularis, vel alius Sacerdos sæcularis supra superpelliceum, si commode haberi possit, alioquin sine eo supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes inferius positas.

3. Ac primum accipiens Amictum circa extremitates et chordulas, osculatur illud in medio, ubi est Crux, et ponit super caput, et mox declinat ad collum, et eo vestium collaria cir-

cumtegens, ducit chordulas sub brachiis, et circumducens per dorsum, ante pectus reducit, et ligat. Tum Alba induitur, caput submittens, deinde manicam dexteram brachio dextero, et sinistram sinistro imponens. Albam ipsam corpori adaptat, elevat ante, et a lateribus hinc inde, et cingulo, per ministrum a tergo sibi porrecto, se cingit. Minister elevat Albam super cingulum circumcirca, ut honeste dependeat, et tegat vestes ; ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti, vel circiter, super terram æqualiter fluat. Sacerdos accipit Manipulum, osculatur Crucem in medio, et imponit brachio sinistro. Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, simili modo deosculatur, et imponit medium ejus collo, ac transversando eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem a sinistro humero pendentem, ad dexteram, et partem a dextero humero pendentem, ad sinistram. Sicque utramque partem Stolæ extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo conjungit.

4. Postremo Sacerdos accipit Planetam.

Q. 173. *Quænam complectitur, juxta Missalis Rubricam, præparatio proxima Sacerdotis SS. Missæ Sacrificium celebraturi ?*

R. Præparatio proxima ad Missam quinque complectitur : 1° Orationem ; 2° ordinationem Missalis ; 3° lotionem manuum ; 4° præparationem Calicis ; 5° assumptionem sacrarum Vestium.

Q. 174. *Quid præscribitur de Oratione præmittenda celebrationi Missæ ? An qualitas Orationum seu Precum præparationis etiam præscribitur ?*

R. I. Sacerdos celebraturus, juxta Rubricam Orationi « aliquantulum » vacare debet ; et nostra Statuta diœcesana præscribunt (n. 325) ut « saltem per horæ quartam partem se præparet. »

Liceat summopere Sacerdotibus commendare, ut Orationes suas præparatorias dicant in Ecclesia ; magnopere favebit devotioni et pietati ; conducet insuper ad fidelium ædificationem. Missale quidem hoc innuere videtur : dicit enim quod Sacerdos, postquam Orationi aliquantulum vacaverit, puta in Ecclesia, « deinde accedit ad locum in Sacristia vel alibi præparatum ubi Paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur. »

II. Missale pro hac præparatione indicat Psalmos quinque, et Versiculos cum Orationibus septem, et va-

rias alias Preces; istæ tamen non sunt de præcepto dicendæ, sed pro opportunitate, hoc est commoditate Sacerdotis apponuntur: æquius tamen dicunt auctores, Orationes ab Ecclesia statutas et huic præparationi accommodatas, cuilibet peculiari devotioni anteferri.

Nota. I. Juxta Missale Antiphona *Ne reminiscaris, etc.,* quæ cum Psalmis recitatur, in Festis duplicibus tantum duplicatur.

Ad dubium : « Num Antiphonæ *Ne reminiscaris,* et *Trium puerorum,* quæ privatim a Sacerdote recitantur ante et post Missam, duplicandæ sunt, vel non, juxta ritum Missæ quam celebrat? » S. Rituum Congregatio rescripsit : « Ad libitum in casu, juxta ritum Officii vel Missæ. » (Decret. 27 Januarii 1899, n. 4011, ad 2.)

Tempore Paschali huic Antiphonæ *Ne reminiscaris, etc.,* additur in fine *Alleluja* ; quod semper eo Tempore observatur, etiamsi Missa de *Requiem* celebraretur.

Nota. II. Summus Pontifex Leo XIII, 20 Decembris 1884, diversas Preces præparationis quæ in Missali proponuntur sequentibus ditavit Indulgentiis : Indulgentia unius anni, pro recitatione, præter illam quinque Psalmorum, cum Versiculis et Orationibus adnexis, Orationis S. Ambrosii Episcopi singulis diebus assignatæ ; — 100 dierum, pro Oratione : *Ad mensam, etc.* ; — 100 dierum, pro Oratione S. Thomæ Aquinatis : *Omnipotens, etc.*

Q. 175. *In quo loco assumenda sunt sacra Paramenta ?*

R. Ea quæ præter Orationem ad præparationem Missæ pertinent, facienda sunt in Sacristia, aut, hac deficiente, in alio loco honesto, vel ad mensam prope Altare paratam.

Sacerdotes ergo numquam de ipso Altari assumere possunt sacra Paramenta. Decretum S. Rituum Congregationis, in initio Missalis descriptum, et multis aliis Decretis confirmatum, dicit : « Paramenta non debent sumi de Altari pro celebratione Missarum, cum id competat tantum Episcopis sive solemniter, sive privatim celebrent. Inferioribus vero habentibus usum Pontificalium, non nisi quando in Pontificalibus celebrant. » (Cfr. Decreta 18 Augusti 1629, n. 514, antiq. 830; et 13 Februarii 1666, n. 1333, antiq. 2363, ad 10.)

Non licere accipere sacra Paramenta de Altari, neque in Altari, quacumque prætensa consuetudine in contrarium, sed ipsa debere sumi in Sacristia, declaravit et mandavit S. Rituum Congregatio speciatim tum pro

Vicario Generali, tum pro Canonicis. (Decreta 5 Julii 1631, n. 567, antiq. 915; et 13 Junii 1671, n. 1425, antiq. 2550.)

Abbates usum Pontificalium habentes, sacras Vestes de Altari pro Missarum celebratione non possunt assumere; id enim ipsis licet dumtaxat si celebrent solemniter seu pontificaliter in eorum propriis Ecclesiis subjectis. (Decreta 13 Januarii 1631, n. 553, antiq. 890; et 27 Septembris 1659, n. 1131, antiq. 2003, ad 11.)

Protonotarii Apostolici (juxta Motu proprio S. D. Pii Papæ X, 21 Februarii 1905), si sint de numero Participantium, aut Supranumerarii, quando ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedunt, sacras Vestes ab Altari sumere poterunt, non vero in aliis Missis lectis (nn. 10, 31); idemque licet Protonotariis Apostolicis ad instar, de speciali tamen commissione Ordinarii (n. 49); Protonotarii Apostolici Titulares seu Honorarii vero, itemque cæteri Prælati Romanæ Curiæ quicumque, pro sacrorum Paramentorum assumptione minime a simplicibus Sacerdotibus differant (nn. 70, 78), eaque numquam de Altari accipere possunt. (Cfr. Acta Sanctæ Sedis, XXXVII, 1905, pag. 491.)

Quando SS. Sacramentum expositum est in Altari, ipse Episcopus non potest sacra Paramenta de hoc Altari desumere; sed in casu se præparabit in Sacristia, aut in alio loco extra conspectum SS. Sacramenti.

176. Ordinatio Missalis. — Sacerdos in Missali « perquirit Missam, perlegit, et signacula ordinat ad ea quæ dicturus est. » Velit Sacerdos attendere ne, in ordinando signacula, ipse horum ordinem perturbet, disponendo priora ultimo, posteriora primo loco, quod multum nocet conservationi Missalis. (Cfr. Q. 153.) — Ordinarie Missale præparatum jam reperitur; sed nihilominus congruenter hæc Rubrica servatur: 1° ut Sacerdos sciat quæ in Missa sunt legenda, et ita attentionem suam et devotionem augeat; 2° ut caveat ne cogatur in ipso Altari folia Missalis a principio ad finem evolvere, legenda quærendo, præsertim Commemorationes.

177. Lotio manuum. — Sacerdos lavat manus integras, non solum digitos, recitans præscriptam Oratio-

nem : *Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam : ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.*

178. Præparatio Calicis. — Calix prius velo mundo sit ab omni macula abstersus ; dein Sacerdos : 1° super Calicis os ponit purificatorium pendens ab utraque parte a latere, et desuper cochlear (cfr. Q. 91) ; — 2° super purificatorium ponit Patenam, in cujus medio Hostia eo modo est posita, ut Crucifixi impressi pedes sint versus anteriorem partem Calicis : Hostiam Sacerdos leviter extergit, si opus est, a fragmentis, ex. gr., ducendo oram inter pollicem et indicem ; — 3° Patenam et Hostiam tegit parva Palla linea ; — 4° desuper ponit velum sericum, quo, si non totus Calix, saltem pars ejus anterior cooperiatur (cfr. Q. 82, II) ; — 5° super velum ponit bursam, cum apertura versus posteriorem Calicis partem. Bursa intus habet Corporale sequenti modo plicatum : dividitur per plicaturas in tres æquales partes, tum in latitudine, tum in longitudine : *a*) pars anterior complicatur super mediam ; *b*) super has plicatur pars posterior ; triplicatum cum ita erit per latitudinem, *c*) complicatur pars quæ ad manum dextram est super mediam ; et *d*) super has plicatur pars quæ ad sinistram manum est. Plicatum ita bursæ inseritur, ut fimbria partis ultimo plicatæ sit juxta aperturam bursæ. (Cfr. Q. 84.)

Nota. Ad dubium : « An Sacerdotibus liceat deferre manutergium supra Calicem, tam eundo quam redeundo ab Altari? » S. Rituum Congregatio censuit respondendum : « Non licere. » (Decret. 1 Septembris 1703, n. 2118, antiq. 3661.) Neque licet supra Calicem præparatum deponere biretum, conspicillum, etc.

Usus quidem exstat apud nos quod Clericus seu Sacrista, sicut alia Paramenta Sacerdotis, ita etiam ipsum Calicem præparet ; etiamsi Rubrica id ab ipso Sacerdote faciendum notet, id tamen ab alio fieri illicitum non videtur. Commendandum Sacerdoti in casu est, ut ipse certiorem se reddat, an omnia necessaria adsint et suo loco super Calicem posita ; non semel enim experientia plures docuit, aliquando unum vel alterum, et quidem Hostiam deficere.

Q. 179. *Qualis debet esse Hostia Sacrificii ?*

R. Hostia Sacrificii debet esse triticea, recens, candida (cfr. Missale Romanum, *De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus*, Tit. III) ; debet etiam esse integra, rotunda, ordinariæ magnitudinis, scilicet formæ majoris, quæ Romæ octo, alibi septem numerat centimetra in diametro ; cum Imagine Domini nostri Crucifixi impressa. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 166.) — Ordinarie ante Missam duplex linea cum patena leviter duci solet super Hostiam, ut facilius frangatur infra Missam : una, qua Hostia in duas æquales partes dividi possit ; altera, qua a medietate quæ sinistra tenetur manu, disjungi possit in parte inferiori particula, scilicet quarta pars circiter hujus medietatis Hostiæ.

Nota. I. Dicitur quod Hostia Sacrificii debet esse formæ majoris, nempe ex usu generali Ecclesiæ, et quia major Hostia aptior est ad præscriptas cæremonias in Missæ celebratione peragendas. Si autem majoris formæ Hostia haberi nequit, probabilius licet cum Hostia minoris formæ, qualis laicis dari solet, celebrare in secreto, et in privato sacello ; vel etiam publice, si scandalum populi timendum non est, et justa adsit causa, ex.gr., ut populus audire possit Missam de præcepto.

Nota. II. Dicitur quod in Hostia Sacrificii impressa debet esse Imago Crucifixi. Ad dubium : « An liceat Missam celebrare quin in Sacra Hostia appareat Imago Jesu Christi Cruci affixi ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Servetur consuetudo. » (Decret. 26 Aprilis 1834, n. 2714, antiq. 4723.) Jamvero consuetudo universalis fert in Hostiis Sacrificii Imaginem Crucifixi, quæ aptior videtur etiam ad devotionem excitandam. Etiamsi aliæ Imagines, ex. gr., SS. Nominis Jesu consuetum signum, per se non sint vetitæ, consultius tamen erit a consuetudine generali non recedere. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 266, 686.)

Delectant et ædificant quæ de Hostiarum confectione, de religiosissima cura in eis conficiendis semper adhibita, et de earum ornatu seu Imaginibus notantur in Ephemeride « Revue de l'art chrétien ». (Série V, Tome XII, page 374.)

Nota. III. In Tractatu de administratione Sacramentorum (Q. 166) longius exponuntur qualitates Hostiarum, et refertur Monitum ad Clerum nostræ Diœcesis, die 30 Junii 1882, datum, ad stimulandam hac in re vigilantiam Sacerdotum, tum pro certa et pura materia, tum pro recenti Hostiarum confectione.

Et iterum in Congregatione Archipresbyterorum, habita Mechliniæ die 23 Aprilis 1894, animadversum fuit : « Quod spectat ad panem, qui hodie pluribus in locis a Religiosis conficitur, omnino sororibus illis commendandum, ut sese certas red-

dant de puritate tritici, nulla alia materia admixti. Quapropter consulandum ut ipsæ granum comminuant seu molant, parva mola, qua jam utuntur aliquæ ex illis, et non tanto pretio constat. » (Cfr. etiam Stat. diœc., nn. 243 et 244.)

Nota. IV. Liceat quoque hic loci instare pro sollicitudine quam maxima de genuino vino de vite ; nimiam non posse hac in re adhiberi cautelam, liquet ex variis quæ relata fuerunt in Congressu Eucharistico Antverpiæ anno 1890 habito ; neque ipsis testimoniis ecclesiasticorum, quæ e Gallia sæpius circumferuntur, fidem semper esse habendam in confesso est ; neque ex analysi chemica quidem certo de genuino vino de vite constare potest. Restat, ut qui vinum ad Sacrificium emunt, ab iis tantum emant, quorum fidem indubitanter exploratam habent, ipsos nullam alienam substantiam cum vino miscuisse ; nullumque diligentioris inquisitionis studium adhibere omittant; ne Sacrificium ipsum deficiat, et inutiliter proindeque irreverenter agatur erga Rem omnium sanctissimam.

Hunc in finem in Congregatione Archipresbyterorum, Mechliniæ habita die 23 Aprilis 1894, indicatus fuit negotiator vinarius a quo vinum certo purum emi potest. (Cfr. Collectio Epistolarum Pastoralium Diœcesis Mechliniensis, Tomus XII, pag. 26.)

Q. 180. *Quo ordine accipit Sacerdos sacra Paramenta ? Quo modo singula sacra Paramenta accipit, et quas dicit Preces interea dum ipsa accipit ?*

R. Prænotatur quod Sacerdos Missam celebraturus debet esse « calceatus pedibus » (Ritus, Tit. I, n. 2) ; talesque « adhibere caligas seu calceamenta, quibus publice uti solent probati Clerici loci seu Diœceseos. » (Decret. S. Rituum Congregationis, 31 Augusti 1872, n. 3268, antiq. 5507, ad 3.) Debet etiam esse indutus toga talari « quæ saltem talum pedis attingat » (Ritus, ibid.), ne, dum in celebratione Missæ facit inclinationes profundas, tibiæ appareant ; non tamen habere potest togam caudatam adinstar Episcoporum aut quorumdam Prælatorum. — In Sacristiis majoribus, ubi ad celebrandum accedere possunt Sacerdotes extranei, qui forte toga non sunt induti, haberi debent ad eorum usum togæ talares.

I. Sacerdos sequenti ordine accipit sacra Paramenta : 1° Amictum, 2° Albam, 3° cingulum, 4° Manipulum, 5° Stolam, 6° Planetam.

Nonnulli auctores dicunt a Sacerdote faciendum esse signum Crucis, antequam accipiat Amictum ; sed Ru-

brica Missalis illud signum faciendum non præscribit.

II. Sequenti modo Sacerdos assumit sacra Paramenta :

1° **Amictum** : ipsum accipiens ambabus manibus circa extremitates ad chordulas, osculatur in medio ubi signata est Crux ; et circumducens manum dextram super caput et humerum sinistrum, versus humerum dextrum, simulque elevans sinistram, Amictum, qui jam a retro pendet, deponit parte superiori super caput ; post momentum a capite illum retrahit, et mox declinat ad collum, ita ut collum, dorsum et scapulas cooperiat, et extremitates cum chordulis dependeant ab utroque humero super pectus ; tunc ducit chordulas sub brachiis, scilicet, quæ pendet a sinistro humero dextrorsum, et quæ pendet ab humero dextero sinistrorsum ; eas circumducit per dorsum, ante pectus reducit, et ligat. Deinde utraque manu apte ad collum vestium collaria Amicto circumtegit, ita ut nihil horum amplius videri possit. Interea dicit Orationem : *Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.*

2° **Albam** : caput submittit, Albamque induit ita ut undequaque usque ad terram dependeat ; dein immittit primum brachium dextrum in manicam dextram, et postea brachium sinistrum in manicam sinistram ; tunc Albæ aperturam ante collum colligat ; interea dum hæc facit dicens : *Dealba me, Domine, et munda cor meum, ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.*

3° **Cingulum** : duplicatum cingulum cum floccis dextrorsum pendentibus, per ministrum a tergo sibi porrectum, ad altitudinem renum ante medium pectus ducit, dicens, dum se cingit : *Præcinge me, Domine, cingulo puritatis, et exstingue in lumbis meis humorem libidinis : ut maneat in me virtus continentiæ, et castitatis.*

Minister Albam tunc corpori adaptat, elevat ante et a lateribus hinc inde, ut honeste dependeat et tegat vestes, et ad latitudinem digiti vel circiter super terram æqualiter fluat, ita scilicet, ut latitudo digiti vel circiter mediet inter terram et albæ extremitatem.

4° **Manipulum** : osculatur Crucem quæ est in medio, et imponit manu dextra Manipulum brachio sinistro,

ad ulnam, pulsum inter et cubitum, dicens : *Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris : ut cum exsultatione recipiam mercedem laboris.*

Si in interiori parte Manipuli habentur chordulæ ad ipsum firmandum, Minister chordulas stricte religat.

5° Stolam : ambabus manibus accipiens Stolam, Sacerdos osculatur Crucem quæ est in medio ; dein medium Stolæ imponit collo, ac transversando eam ante pectus in modum Crucis, ducit partem a sinistro humero pendentem, ad dexteram, et partem a dextero humero pendentem, ad sinistram ; ita ut in pectore pars dextera ponatur super sinistram et Crux formetur ; utramque partem Stolæ extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo conjungit. Interea dicit Orationem : *Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis : et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.*

6° Planetam : Sacerdos caput submittit, interea dicens: *Domine, qui dixisti : Jugum meum suave est, et onus meum leve : fac, ut istud portare sic valeam, quod consequar tuam gratiam. Amen.*

Si ad firmandam ante pectus Planetam ab interiori parte habentur chordulæ, Sacerdos istas sub brachiis circumducit per dorsum, et ante pectus reducit ac ligat subtus Planetam.

Nota. Si linteum, seu sudarium assumere opportunum putet Sacerdos, sub Planeta illud apponat cingulo obfirmatum, ita tamen ut non appareat. Mundum semper sit linteum, et albi coloris.

Q. 181. *An datur obligatio recitandi Orationes præscriptas ad lotionem manuum et Paramentorum assumptionem ?*

R. Affirmative; advertendum, ait S. Alphonsus de Liguori, juxta communem sententiam Doctorum, omissionem hujus Orationis (ad manuum lotionem) ut et aliarum, quæ dicendæ sunt a Celebrante, cum sacras Vestes induit, non esse culpam gravem, attamen saltem a peccato veniali non posse excusari. (*Liber de cæremoniis Missæ*, Cap. I, § 3. Cfr. ejusdem *Theologia moralis*, Lib. VI, nn. 409 ; et 410, Dub. 3.)

ARTICULUS II

De Ingressu Sacerdotis ad Altare

Textus. (Tit. II.) — 1. Sacerdos omnibus paramentis indutus, accipit manu sinistra Calicem, ut supra præparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextera super Calicem tenens, et facta reverentia Cruci, vel imagini illi, quæ in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad Altare, ministro cum Missali, et aliis ad celebrandum necessariis (nisi ante fuerint præparata) præcedente, superpelliceum induto. Procedit autem oculis demissis, incessu gravi, erecto corpore. Si vero contigerit eum transire ante Altare majus, capite cooperto faciat ad illud reverentiam. Si ante locum Sacramenti, genuflectat. Si ante Altare ubi celebretur Missa, in qua elevatur, vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat, et detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale.

2. Cum pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, biretum ministro porrigit, et Altari, seu imagini Crucifixi desuper positæ profunde se inclinat. Si autem in eo sit Tabernaculum sanctissimi Sacramenti, genuflectens debitam facit reverentiam. Tunc adscendit ad medium Altaris, ubi ad cornu Evangelii sistit Calicem, extrahit Corporale de bursa, quod extendit in medio Altaris, et super illud Calicem velo coopertum collocat, bursam autem ad cornu Evangelii. Si in Altari paramenta accipit, hoc idem facit antequam descendat ab Altari, ut Missam inchoet.

3. Collocato Calice in Altari, accedit ad cornu Epistolæ, Missale super cussino aperit, reperit Missam, et signacula suis locis accommodat. Deinde rediens ad medium Altaris, facta primum Cruci reverentia, vertens se ad cornu Epistolæ, descendit post infimum gradum Altaris, ut ibi faciat Confessionem.

§ 1. Egressus e Sacristia

Q. 182. *Indica ordinem eorum quæ servari debent in ipsa Sacristia a Sacerdote processuro ad Altare.*

R. 1. Sacerdos omnibus paramentis indutus, processurus ad Altare, dextera manu imponit capiti biretum. (Cfr. Q. 143, II.) — Ad celebrandum Missam detecto capite ad Altare procedere non licet ; et consuetudo quidem existens non posset servari.

Nota. In Tomo V hujus operis, qui inscribitur « Cæremoniale », agitur de ministro Missæ privatæ, de ejus qualitatibus et de ejus officio. (Cfr. Cæremoniale, QQ. 15, 16.)

2. Accipit manu sinistra Calicem ad nodum, portatque eum elevatum ante pectus, bursam (cujus apertura versus ipsum posita esse debet) manu dextera, apertis junctisque omnibus digitis, super Calicem tenens, et advertens ut cubitus dexter non elevetur, sed corpori adhæreat.

Notatur quod non licet supra Calicis bursam aliquid deponere, illudque ad Altare deferre, ex. gr., perspicilla, sudarium, manutergium, etc.; id non licere declaravit S. Rituum Congregatio. (Cfr. Q. 178, Nota.)

Clavem Tabernaculi bursæ Calicis impositam a Celebrante deferri, tam in eundo ad Altare Tabernaculi quam in redeundo ab illo, pro Missa ante, vel infra, vel post quam Tabernaculum erit aperiendum, non licitum proclamant multi auctores; contestantur Ephemerides Liturgicæ, et sustinentes id nulla lege prohiberi, arbitrantur id nullimode dedecere; enorme enim intercedit discrimen clavem Tabernaculi inter et manutergium lege prohibitum, aliaque objecta ex paritate rationis prohibita. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, IV, 1890, pag. 660; et VI, 1892, pag. 312, ad 7.)

3. Sacerdos Cruci facit reverentiam, scilicet capitis profundam inclinationem. Si in Sacristia non habeatur Crux, sed imago tantum Sancti, ei facit inclinationem capitis mediam, si sit imago B. Mariæ Virginis; et minimam, si sit imago alius Sancti.

Q. 183. *An Sacerdos pergens ad celebrandum, et Calicem manu sinistra portans, potest ad januam Sacristiæ accipere aquam benedictam, eaque se signare?*

R. Ad hoc propositum dubium S. Rituum Congregatio rescribendum censuit: « Si commode fieri potest, se signet; sin minus, se abstineat. » (Decret. 27 Martii 1779, n. 2514, ad 4, antiq. 4393, ad 14.)

Q. 184. *A qua parte Altaris accedendum et regrediendum est, si Sacristiæ janua posita habetur retro post Altare?*

R. Si Sacristiæ janua habetur retro post Altare, et æque per Epistolæ ac per Evangelii partem accessus datur ad Altare, egrediendum est e Sacristia et accedendum ad Altare per partem Evangelii, et regrediendum ab Altari ad Sacristiam per partem Epistolæ.

Nota. Ad dubium : « In Sacello.... stat Sacristia post Altare, et Ministri accedere possunt ad Altare tam ex parte Evangelii quam ex parte Epistolæ. Quæritur quanam ante Missam ex parte exire debeant ad Altare? Et qua parte post Missam redire debeant ad Sacristiam? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « A Sacristia e parte Evangelii egrediendum; e parte Epistolæ ad illam accedendum. » (Decret. 12 Augusti 1854, n. 3029, ad 12, antiq. 5208, ad 17.)

Animadvertendum est tenorem responsi S. Congregationis, supra descriptum e nova editione Decretorum anni 1898, differre ab illo qui in præcedenti editione prostabat; hic dicebatur : « A Sacristia e sinistra egrediendum, a dextera ad illam accedendum. » Non pauci auctores, hoc responsum interpretantes, præscripserant per cornu Epistolæ esse egrediendum ex Sacristia, et per cornu Evangelii regrediendum. Clarum satis nunc est S. Congregationis responsum.

§ 2. Progressus per Ecclesiam

185. **Sacerdotis incessus.** — Præcedente ministro ad duos vel tres passus, Sacerdos e Sacristia ad Altare procedat oculis demissis, et erecto corpore ac capite; incessus sit, neque velox neque segnis, neque muliebris neque militaris, neque negligens neque nimium compositus, sed modestus et gravis. Aliquam orationem vocalem interea recitari non approbant plerique auctores; sed propterea non excluditur aliqua mentalis oratio super divino Mysterio celebrando.

Sacerdos deferens Calicem, dum progreditur per Ecclesiam obviam habere potest vel alia Altaria Ecclesiæ, vel Reliquias expositas, vel Personas venerandas; ad quas in his casibus teneatur reverentias exponitur in sequentibus Quæstionibus.

Q. 186. *Quas præstare debet reverentias Sacerdos deferens Calicem, et inter eundum ad Altare obviam habens : 1. Altare majus; — 2. Altare minus; — 3. Altare cum Tabernaculo SS. Sacramenti; — 4. Altare in quo Missa celebratur; — 5. Altare in quo Sacra Communio ministratur; — 6. Altare in quo expositum est SS. Sacramentum; — 7. Sacerdotem SS. Sacramentum deferentem?*

R. 1. Sacerdos deferens Calicem, et inter eundum ad Altare ubi celebraturus est Missam transiens ante Altare majus Ecclesiæ, in quo non est Tabernaculum

cum SS. Sacramento incluso, caput coopertum profunde inclinat.

2. Ante Altaria minora Ecclesiæ, nullam, ratione Altaris, facit reverentiam.

3. Ante Altare in quo habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, capite cooperto unum genu flectit.

Idem faciendum est, quando transit Sacerdos, non quidem directe ante Altare hujusmodi, sed ab ejus latere.

4. Ante Altare in quo celebratur Missa, distinguendum est sub quanam Missæ parte transit : vel A) ante Consecrationem et post Communionem ; — vel B) infra Consecrationem et Elevationem ; — vel C) inter Elevationem et Communionem.

A) Ante Consecrationem et post Communionem : Sacerdos nullam, ratione Missæ, facit reverentiam.

B) Infra Consecrationem et Elevationem : 1° genu utrumque flectit ; — 2° deponit biretum, et tradit ministro, vel tenet dextera oblique bursæ Calicis imposita, inter pollicem et indicem, cum apertura bireti ad pectus conversa ; — 3° caput inclinans SS. Sacramentum adorat, usque dum Celebrans deposuerit Calicem super Altare ; — 4° biretum capiti imponit ; — 5° surgit ; — 6° pergit ad Altare suum.

Nota. Sedulo animadvertendum et observandum est, quod in præsenti casu et in similibus (infra ad 5, 6 et 7), Sacerdos debet iterum imponere biretum capiti antequam a genuflexione assurgat, et non postquam surrexerit. Quapropter, ait Gardellini (*Commentaria ad Instructionem Clementinam*, § VII, n. 10), non laudandi sed potius redarguendi sunt illi, qui ad majorem reverentiam, ut ipsi dicunt, capite aperto abeunt, donec sint extra conspectum Altaris.

C) Inter Elevationem et Communionem : Sacerdos non tenetur ad genuflexionem, et transit absque ulla, ratione Missæ, reverentia.

Omne dubium super hac quæstione cessat per sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Utrum idem modus genuflectendi (uno nempe vel utroque genu) servari etiam debeat a quolibet Sacerdote qui, sive ad Altare procedit Missam celebratu-

rus, sive redit celebrata Missa, transit ante aliud Altare in quo tunc Missa celebratur, et est inter Consecrationem et Communionem? » S.Congregatio rescribendum censuit : « Negative, et serventur Rubricæ *De ritu celebrandi*, Tit. II, n. 1. » (Decret. 20 Maji 1904, *Rhemen.*, ad 2; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 450.)

Plerique auctores contra paucos docebant in casu semper flectendum esse unum genu capite cooperto (uti supra ad 3), considerantes SS. Sacramentum ibi depositum super Altare quasi absconditum in Tabernaculo ; sed hæc ratio non valet. S. Congregatio monet servandam esse Rubricam : hæc diversos casus qui occurrere solent minutim pertractat, ast de præsenti casu, qui tamen in quibusdam Ecclesiis frequens occurrit, omnino silet ; ergo pro hoc casu nihil est observandum nisi quod Rubrica jam dixerat, nempe quod Sacerdos debet procedere « oculis demissis » ; non debet proinde, neque potest Sacerdos attendere et inquirere oculis, dignoscendi causa utrum in Missis, quæ forte celebrantur ad Altaria ante quæ ipse transit, Consecratio facta sit aut non ; oculorum demissio in processu, et debita mentis recollectio videtur esse ratio responsi S. Congregationis.

Alii casus a Rubrica propositi et soluti non adeo infirmant hanc præscriptam oculorum demissionem : Sacerdos enim supponitur, quin circumspiciens inquirat, optime novisse ubinam in Ecclesia sit Altare majus, ubinam locus Sacramenti, sive asservati sive expositi ; et facile nosse potest, tum ex campanulæ sonitu utrum Sacramentum elevatur, tum ex populi concursu utrum ministratur Sacramentum in Altari ante quod transit.

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 452 ; et Collationes Brugenses, X, 1904, pag. 672.)

Rubricæ et Decreto supra citato generatim standum est ; attamen, si in casu Sacerdos transiret immediate ante Altare cui magis particulariter appropinquaret, et ubi, nulla adhibita speciali inquisitione, certo et indubitanter noverit in Missa haberi Sacramentum præsens super Altare, ex. gr., si clare audit Orationem Dominicam dici, aut fieri Communionem Sacerdotis, in tali casu non perperam capite cooperto unum genu flectet in transitu ante Altare. (Ephemerides Liturgicæ, XIX, 1905, pag. 20.)

5. Ante Altare ubi Sacra Communio ministratur, seu fidelibus distribuitur, Sacerdos : 1° genu utrumque flectit ; — 2° deponit biretum ; — 3° caput inclinat, sed sine pausa ; — 4° biretum imponit (cfr. supra 4, B, Nota) ; — 5° surgit ; — 6° pergit.

Ad dubium : « An Sacerdos Missam celebraturus transiens ante Altare, ubi fit populi Communio, debeat permanere genuflexus quousque terminetur Communio ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Negative. » (Decret. 5 Julii 1698, n. 2002, ad 14, antiq. 3477, ad 19.)

6. Ante Altare ubi SS. Sacramentum est expositum in Throno vel in Tabernaculo, etiamsi in Pyxide tantum, eodem agit Sacerdos modo, quam ad 5. (Decreta 26 Novembris 1644, n. 877, antiq. 1523, ad 1 ; 19 Augusti 1651, n. 937, antiq. 1627, ad 6 ; 7 Maji 1746, n. 2390, ad 4, antiq. 4181, ad 8.) — Quod si daretur Benedictio cum SS. Sacramento, manet adorans, caput profunde inclinando, usque dum Ostensorium vel Ciborium fuerit super Altare depositum, servans quæ dicuntur ad 4, B.

7. Si Sacerdos obviet Sacerdoti SS. Sacramentum deferenti, eodem modo aget quo supra ad 5, sed manet profunde inclinatus, nec biretum imponit, donec ille e conspectu aut fere e conspectu transierit.

Q. 187. *Quid servare debet Sacerdos accedens pro celebratione ad Altare in quo expositum est SS. Sacramentum ?*

R. Si Sacerdos celebraturus est Missam ad Altare in quo SS. Sacramentum est expositum, non potest omittere bireti impositionem ad egressum e Sacristia et progressum per Ecclesiam ; sed statim ac pervenerit in conspectum SS. Sacramenti, dextera caput detegit, et biretum ministro tradit, et pergit ad Altare.

Q. 188. *Quas reverentias præstare debet Sacerdos deferens Calicem, et inter eundum ad Altare transiens ante Sacras Reliquias Dominicæ Passionis, aut ante Reliquias Sanctorum ?*

R. I. Sacerdos deferens Calicem, et inter eundum ad Altare ubi celebraturus est Missam transiens ante Reliquias, seu particulas S. Crucis, aut Spinas vel partes Spinarum Coronæ Domini, quæ Reliquiæ omnes etiam pro minima sua parte sunt insignes ; vel etiam ante alia Dominicæ Passionis Instrumenta eorumve partes, quæ itidem Reliquiæ insignes reputantur :

a) Si sunt super Altare loco principali expositæ, capite cooperto unum genu flectit.

b) Si sint in custodia reconditæ, caput coopertum profunde inclinat.

Juvat referre sequens S. Rituum Congregationis hac super re Decretum :

Ad dubium : « Utrum transeuntes ante expositam Reliquiam SSmæ Crucis, debeant genu usque ad terram flectere?.... et num eadem genuflexio facienda sit ante prædictam Reliquiam SSmæ Crucis, quæ licet non sit exposita, asservatur tamen occlusa in aliquo Altari ; aut etiam quando exposita est sed non apparet, quia pars, quæ respicit populum, habet figuram Christi Crucifixi? » S. Congregatio decrevit : « Si loco principe Reliquia SSmæ Crucis super Altare fuerit exposita, tunc transeuntes ante illam unico genu usque ad terram flexo venerare debent ; sola vero capitis inclinatione, si præfata Reliquia recondita erit in custodia. » (Decret. 7 Maji 1746, n. 2390, antiq. 4181, ad 7 ; cfr. etiam Decret. 18 Februarii 1843, n. 2854, antiq. 4956.)

II. Ante Reliquias Sanctorum solemniter super Altare expositas :

a) Si sint insignes, convenit ut Sacerdos caput coopertum inclinet inclinatione minima. (Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 363.)

b) Si non sint insignes, nullam facit reverentiam.

Reliquiæ Sanctorum insignes sunt caput, brachium, crus, aut illa pars corporis in qua passus est Martyr, modo sit integra et non parva ; item sola pars anterior brachii, sola pars superior brachii ; item cor, lingua, manus, si ex miraculo intactæ conservantur. De his longius agitur in Tractatu de administratione Sacramentorum, Q. 363.

Nota. Quæ dicuntur hic de reverentiis præstandis a Sacerdote transeunte ante Sacras Reliquias, communiter ab auctoribus proponuntur ; attamen, post Decretum S. Rituum Congregationis 20 Maji 1904 (cfr. Q. 186, ad 4, C), forsan dubitatio supervenire potest, utrum istæ reverentiæ, præsertim pro Reliquiis Sanctorum, sint observandæ, cum de his Rubrica sileat. S. Congregationis Rituum erit omne dubium tollere.

Q. 189. *Quas reverentias præstare debet Sacerdos deferens Calicem, ratione Personarum quas obviam habere potest inter eundum ad Altare ?*

R. 1. Sacerdos deferens Calicem, et obvians Episco-

po, subsistit, et caput coopertum inclinat inclinatione minima.

2. Pertransiens Chorum, eodem modo salutat eos qui in Choro ad Officium sunt congregati.

3. Obvians Sacerdoti parato, dexterum latus ei præbet ; et casu quo ille Missæ Sacrificium celebravit, caput coopertum ipsi inclinat minima inclinatione.

Q. 190. *An Sacerdos Missam celebraturus ipse deferre debet Calicem ? Quid observandum est in casu quo ipse ob rationabilem causam Calicem non deferat ? Quomodo Sacerdos in casu detegit caput ?*

R. I. Sacerdos Missam celebraturus, nempe privatam, de qua sola hic agitur, ipse deferre debet Calicem ; et numquam permittitur ut in antecessum Calix in Altari præparetur, neque ob dignitatem personalem Sacerdotis, neque ob solemnitatem, neque ut celebratio Missæ celerius jam peragatur.

Exceptio ab hac regula datur de jure pro Episcopis tantum : quando enim Episcopus Missam privatam celebrat, Calix et alia necessaria prius per Cappellanum præparantur. (Cfr. Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XXIX, n. 2.)

II. Attamen pro Sacerdotibus aliquando etiam dari et admitti potest rationabilis causa, ex. gr., senium, infirmitas, ob quam Calix in antecessum ad Altare jam præparatur ; in quo casu Sacerdos e Sacristia ad Altare accedit junctis ante pectus manibus.

Animadvertendum in eo casu est, quod omnes reverentiæ, inde a salutatione Imaginis quæ in Sacristia est, quæ superius indicatæ fuerunt inter eundum ad Altare faciendæ tecto capite, faciendæ sunt detecto capite : imo, in transitu ante Altare, in quo SS. Sacramentum ministratur, vel est expositum, Sacerdos caput detegit, non tantum in actu reverentiæ tunc præscriptæ (Q. 186, nn. 5, 6), sed et quamdiu est in conspectu SS. Sacramenti.

III. Ad detegendum caput, Sacerdos, sinistra infra pectus posita, dextera accipit biretum inter medium digitum et indicem, tenetque illud ante pectus et cum apertura versus pectus : attendere debet ut deponat biretum antequam se inclinat aut genuflectit.

Q. 191. *Da regulam de detegendo capite ad reverentias.*

R. Ex præcedentibus dari potest sequens regula de detegendo capite ad varias reverentias Sacerdoti præscriptas :

Sacerdos deferens Calicem numquam biretum deponit, nisi genu utrumque flectere debeat ; — Sacerdos non deferens Calicem, pro quacumque superius præscripta reverentia semper caput detegit.

§ 3. Accessus ad Altare

Q. 192. *Quid primum facit Sacerdos cum ad Altaris gradus pervenerit ? Quam in diversis suppositis facere debet reverentiam in accessu ad Altare ? Quomodo ascendit ad Altare ?*

R. I. Cum Sacerdos pervenerit ad Altare, stans ante illius infimum gradum, caput dextera detegit, biretum ministro porrigit, ac statim dexteram super bursam reponit. — Pro casu SS. Sacramenti expositi cfr. Q. 187.

II. Sacerdos tunc Altari debitam facit reverentiam ; scilicet :

a) Si SS. Sacramentum est expositum, utrumque genu flectit in pavimento ante gradus Altaris, caput inclinat, et se erigit.

Ad dubium : « Genuflexio quæ fit coram Sanctissimo Sacramento exposito in Missa, quandonam fieri debet unico genu et quando utroque, tum a Celebrante tum a Ministris ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « In accessu et recessu utroque genu ; intra Missam unico genu. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 49, antiq. 4669, ad 53.)

b) Si in eo est Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, unum genu flectit in pavimento ante gradus Altaris.

Ad dubium : « Quando Celebrans genuflectit ante Altare Sanctissimi Sacramenti, tam expositi quam in Tabernaculo reconditi, debetne genuflectere in plano Presbyterii, an in infimo gradu Altaris ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Serventur Rubricæ : sed in accessu et recessu, in plano est genuflectendum ; in infimo autem gradu Altaris, quoties insuper genuflectere occurrat. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 47, antiq. 4669, ad 51.)

c) Si Reliquia S. Crucis, aut Dominicæ Passionis in principali loco Altaris est exposita, unum genu flectit in pavimento ante gradus Altaris.

Ad dubium : « An Cæremoniæ in Missa coram Sacræ Crucis Ligno palam exposito, differant ab iis quæ in Missa coram Sanctissimo Sacramento adhibentur ? » S. Rituum Congregatio rescripsit : « Affirmative ; et solum est genuflectendum in accessu et recessu, et quoties opus sit transire ante medium Altaris, seu a latere ad latus, ut in incensatione. » (Decret. 23 Maji 1835, n. 2722, antiq. 4743, ad 1.) Et in numero sequenti ejusdem Decreti S. Congregatio rescripsit genuflectendum esse coram Ligno Sanctæ Crucis palam exposito « tantum unico genu », et non utroque. (Cfr. etiam Decret. 18 Februarii 1843, n. 2854, antiq. 4956.)

d) Alias, nempe si Crux tantum ponitur in Altaris medio, Sacerdos ante infimum gradum, profunda corporis inclinatione (Q. 165, I) Crucem Altaris salutat.

Nota. Animadvertendum est Rubricam præscribere Sacerdoti, ut in hoc casu, in accessu ad Altare, sicut et in principio Missæ antequam eam incipiat (cfr. infra Q. 195, *b*), profundam corporis faciat inclinationem Altari seu imagini Crucifixi ; ut ita manifestet sensus profundæ humilitatis, qua decet ipsum accedere ad tremendum Sacrificium ; non est ergo hic mera salutatio ad Crucem, sicuti fit, peracto Sacrificio, ante discessum ab Altari (cfr. Q. 264, 2), ubi profunda capitis inclinatio tantum præscribitur facienda, deficiente tunc ratione humiliationis in Sacerdote qui Corpore Domini refectus est.

III. Ascendit Sacerdos ad Altaris medium, ascensum dextero pede incipiens, ait S. Alphonsus. (*Liber de Cæremoniis Missæ*, Cap. II, § 14.)

Q. 193. *Quomodo Celebrans disponit bursam, Corporale, et Calicem super Altare ?*

R. 1. Sacerdos cum ad Altaris mensam pervenerit, deponit Calicem ad latus Evangelii ; et, nulla facta reverentia, statim ambabus manibus accipit bursam, eamque deponit in medio super Altare ; sinistra bursam aperit, et dextera Corporale extrahit et deponit.

2. Sinistram super Altare ponit, et dextera bursam collocat juxta gradum ad cornu Evangelii, cum apertura versus medium Altaris vel versus mensam, nisi imago forsan apposita, aut emblema aliam positionem requirat.

3. Ambabus manibus Corporale extendit in medio Altaris super lapidem consecratum; primo per longitudinem explicat partem quæ est ad sinistram suam, dein eam quæ est ad dexteram; postea per latitudinem extendit primo partem posteriorem versus Tabellam, deinde partem anteriorem versus frontem Altaris, ita ut anterior pars a fronte mensæ distet spatio unius digiti: si Corporale ita amplum est, ut pars posterior tegat partim Tabellam Secretarum, hanc poterit sublevare et superimponere Corporali.

Ad dubium: « An possit pars anterior Corporalis in Missa explicari tantum ante Offertorium; vel potius sensus Rubricæ talis sit ut obliget ad illud explicandum ab initio Missæ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit: « Servetur in casu Rubrica. » (Decret. 11 Maji 1878, n. 3448, ad 12, antiq. 5728, ad 18.)

Aperte dicit Rubrica (vide textum supra, n. 2), quod Sacerdos Corporale « extendit in medio Altaris ».

Auctores Itali, aliique plures, præscribunt extendendum esse totum Corporale inde a principio Missæ; alii autem, ex nostratibus plerumque, quidam Galli, paucique Germani, commendant, ut anterior pars Corporalis non explicetur a principio Missæ, sed remaneat clausa, seu mediæ parti superposita, usque ad Offertorium, quando Calicis velum aufertur; ne particulæ sacræ, aiunt, forte super Corporale ex præcedente Sacrificio relictæ, per Calicis velum deperdantur; quam consuetudinem non contra Rubricam esse contendunt. Hujusmodi usum cum supracitata Rubrica non memoret, plerique auctores omnino contradicunt. Periculum a nostratibus signatum, quod fragmentum aliquod, forte relictum, ita forte dispareat, si tanti jam esset momenti, redarguenda videretur Missalis Rubrica, quæ satis in casu non providisset; quod nemo sane sustinebit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, III, 1889, pag. 157.)

4. Dexteram imponit super velum Calicis, et sinistra Calicem accipit ad nodum, et collocat super medium Corporale, velumque decenter adaptat, ita ut Calix ab anteriori saltem parte totus sit velatus. (Decreta S. Rituum Congregationis, 12 Januarii 1669, n. 1379, antiq. 2464; et 1 Martii 1698, n. 1991, antiq. 3459, ad 1.)

194. 1. Sacerdos, postquam Calicem collocavit super medium Corporale, manus jungit, et accedit ad cornu Epistolæ, vertens, dum incedit, latus sinistrum totum ad Altare. Ad cornu Epistolæ stans ante Missale, illud

aperit, reperit Missam, et signacula accommodat. Sacerdos ipse debet aperire Missale, et reperire Missam ; ita enim clare præscribit Rubrica. Non permittitur ut minister vel alius quicumque in antecessum id faciat ; nisi forsan in casu senii, aut infirmitatis, in quo sicut in antecessum potest Calix in Altari præparari (cfr. Q. 190, II), ita etiam poterit Missale aperiri, et in eo Missa reperiri.

Ad dubium : « An in Missis privatis permitti possit ministro aperire Missale et invenire Missam ? » S. Rituum Congregatio censuit respondendum : « Negative ; et serventur Rubricæ. » (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 5, antiq. 4526. ad 11.)

2. Jungit manus, redit ad medium Altaris, Cruci caput profunde inclinat, et sine mora vertit se ad cornu Epistolæ seu per suam dexteram, paululumque recedens e medio ad partem Evangelii, oculis demissis, descendit post infimum gradum. Si Altare haberet plures gradus, ex. gr., novem vel septem, Sacerdos pro Missa incipienda non deberet descendere ante ultimum gradum, sed satis esset descendere ad primum gradum ab ipsa predella, seu suppedaneo. (Decret. S. Rituum Congregationis, 16 Junii 1663, n. 1265, antiq. 2223, ad 4.)

Q. 195. *Quam tenetur in diversis suppositis facere reverentiam Sacerdos, antequam Missam incipiat ?*

R. Sacerdos, cum primum descenderit sub infimum gradum Altaris, convertit se ad Altare per latus dexterum, et Altari debitam facit reverentiam ; scilicet :

a) Si SS. Sacramentum est expositum, aut in Tabernaculo inclusum, aut si Reliquia Sanctæ Crucis, vel Dominicæ Passionis in principali loco Altaris est exposita, in omnibus his casibus unum genu flectit in infimo Altaris gradu.

b) Alias, si scilicet tantum habetur Crux in Altari, profunda corporis inclinatione Crucem salutat. (Cfr. Q. 192, II, *d*, Nota.)

Q. 196. *Ad quid tenetur Sacerdos, inde ab accessu ad Altare usque dum signo Crucis Missam incipit, si audit elevari SS. Sacramentum in vicino Altari ? Ad quid tenetur, si ad suum Altare Tabernaculum aperitur ab alio Sacerdote?*

R. I. Si infra tempus, a quo Sacerdos accedit primum ad Altare, usque ad momentum quo signo Crucis Missam incipiet, audit in alio vicino Altari Ecclesiæ elevari SS. Sacramentum, sive ad Elevationem in Missa, sive pro Benedictione populo danda ; statim desistit prosequi ea quæ peragit, et in loco in quo est occupatus, utrumque genu flectit, usque dum Calix, vel Ostensorium, vel Ciborium sit in Altare repositum. — Semel autem ac inceperit Missam, facto Crucis signo, non amplius debet advertere quemcumque in alio Altari celebrantem, sed debet continuate prosequi Missam usque ad finem.

II. Si Sacerdos accessit celebraturus ad Altare in quo habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento, et si infra idem tempus accedit alter Sacerdos qui Tabernaculum aperit, SS. Sacramentum extrahit, etc. ; Sacerdos celebraturus, statim ac Tabernaculum aperitur, utrumque genu flectit, et caput profunde inclinat, parum a parte Epistolæ recedens si in medio Altaris staret, usque dum alter Sacerdos, vel cum SS. Sacramento discesserit, vel Tabernaculum clauserit.

SECTIO II

De observandis in Missæ privatæ celebratione

ARTICULUS I

De Principio Missæ, et Confessione facienda

Textus. (Tit. III.) — 1. Sacerdos cum primum descenderit sub infimum gradum Altaris, convertit se ad ipsum Altare, ubi stans in medio, junctis manibus ante pectus, extensis et junctis pariter digitis, et pollice dextero super sinistrum posito in modum Crucis (quod semper servatur quando junguntur manus, præterquam post consecrationem), detecto capite, facta prius Cruci vel Altari profunda reverentia, vel si in eo sit Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti, facta genuflexione, erectus incipit Missam.

2. Stans igitur Celebrans ante infimum gradum Altaris, ut supra, producens manu dextera a fronte ad pectus signum Crucis, dicit intelligibili voce : *In nomine Patris, et Filii, et*

Spiritus sancti. Amen. Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequi Missam suam usque ad finem. Quod item observatur in Missa solemni, et simul etiam a Ministris.

3. Cum seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus : in aliis benedictionibus cum est ad Altare, et benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit eam super Altare, nisi aliter notetur. Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manus dexteræ, et omnibus illius digitis junctis et extensis, a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dexterum, signum Crucis format. Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei cui benedicit, ac benedicendo totam manum dexteram extendit, omnibus illius digitis pariter junctis, et extensis, quod in omni benedictione observatur.

4. Postquam dixerit : *In nomine Patris etc.* ut supra, jungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam : *Introibo ad Altare Dei.* Minister retro post eum ad sinistram genuflexus, et in Missa solemni Ministri hinc inde stantes prosequuntur : *Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.* Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit, et prosequitur cum ministro, vel ministris alternatim Psalmum *Judica me Deus,* usque ad finem, cum *Gloria Patri.* Quo finito repetit Antiphonam *Introibo,* cum ministris, ut supra. Qui Psalmus nunquam prætermittitur, nisi in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica Passionis inclusive usque ad Sabbatum sanctum exclusive in quibus semel tantum dicta Antiphona *Introibo,* cum ministris, ut supra. Sacerdos statim subjungit ℣. *Adjutorium nostrum, etc.* ut infra. Cum in fine Psalmi dicit *Gloria Patri etc.* caput Cruci inclinat.

5. Repetita Antiphona *Introibo,* dextera manu producens signum Crucis a fronte ad pectus, dicit ℣. *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* ℟. *Qui fecit cœlum et terram.* Deinde Altari se profunde inclinans, junctis manibus dicit : *Confiteor Deo,* ut in Ordine Missæ : et prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a Ministro, vel Ministris, dictum sit *Misereatur.* Cum incipitur a Ministris *Confiteor,* se erigit. Cum dicit : *Mea culpa,* ter pectus dextera manu percutit, sinistra infra pectus posita.

6. Cum minister, et qui intersunt (etiamsi ibi fuerit Summus Pontifex), respondent *Confiteor,* dicunt *tibi Pater.* et *te Pater,* aliquantulum conversi ad Celebrantem.

7. Facta a circumstantibus Confessione, Celebrans stans respondet : *Misereatur vestri etc.* Deinde producens manu dextera a fronte ad pectus signum Crucis, dicit : *Indulgentiam etc.* Et stans inclinatus junctis manibus prosequitur : *Deus tu conversus,* et quæ sequuntur in Ordine Missæ, clara voce usque ad Orationem *Aufer a nobis etc.* ; et cum dicit : *Oremus,* extendit et jungit manus.

197. 1. Sacerdos, debita facta reverentia (Q. 195), et erectus stans ante infimum gradum Altaris, incipit

Missam, producens manu dextera signum Crucis a fronte ad pectus (Q. 168, 1) ; ad quod sequenti modo verba distribuit : ad frontem : *In nomine Patris* ; — ad pectus : *et Filii* ; — ad humerum sinistrum : *et Spiritus* ; — ad humerum dexterum : *sancti*. Quæ verba dicit voce clara (Q. 170, 1).

2. Jungens iterum manus ad verbum *Amen*, clara voce pronuntiat Antiphonam *Introibo*, ad quam respondet minister ; et Psalmum *Judica*, quem dicit alternatim cum ministro. Cum in fine Psalmi dicit *Gloria... sancto*, caput profunde inclinat.

3. Repetita Antiphona *Introibo*, Sacerdos dextera producens signum Crucis a fronte ad pectus, dicit ℣. *Adjutorium*, distribuens verba sequenti modo : ad f. *Adjutorium* ; — ad p. *nostrum* ; — ad h. s. *in nomine* ; — ad h. d. *Domini*. Et iterum jungit manus, dum minister respondet ℟. *Qui fecit*. — Deinde profunde corpus inclinans, incipit *Confiteor*. Cum dicit *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa*, sinistram manum ponit infra pectus, et dextera, tota aperta et extensa, conjunctis omnibus digitis, cubitum non amovens a latere, ter percutit pectus, devote et modeste, scilicet semel ad singula verba *mea culpa*, et mox iterum manus jungit. Ubi dicit *vobis fratres*, et *vos fratres*, non se vertit ad ministrum ; hoc enim tantum fit in Missa solemni. Manet inclinatus donec minister dixerit *Misereatur, etc.*, et ipse responderit *Amen*. Cum incipitur a ministro *Confiteor*, se erigit.

Ad dubium : « Si Sacerdos celebrat sine ministro, debetne bis dicere *Confiteor* ante Introitum ? » S. Rituum Congregatio rescribere rata est : « Negative. » (Decret. 4 Septembris 1875, n. 3368, antiq. 5627, ad 1.)

4. Facta a ministro Confessione, Celebrans respondet : *Misereatur, etc.* Deinde producens a fronte ad pectus signum Crucis, dicit Orationem *Indulgentiam*, sequenti modo verba distribuens : ad f. *Indulgentiam* ; — ad p. *absolutionem* ; — ad h. s. *et remissionem* ; — ad h. d. *peccatorum nostrorum* ; et statim jungit manus dum Orationem prosequitur.

5. Responso a ministro *Amen*, Sacerdos corpus mediocriter inclinat, et eadem clara voce dicit ℣℣. *Deus*,

tu conversus ; Ostende ; Domine exaudi ; et *Dominus vobiscum*, ad quem junctas retinet manus ; dein *Oremus*, ad quod verbum, mediocriter corpore inclinatus remanens, manus extendit et statim jungit ante pectus. Et mox se elevat ab inclinatione.

Nota. Maxime curare debent Sacerdotes, ipsi ne festinanter nimis, sed ut apposite et distincte recitent preces ante gradus Altaris alternatim cum ministro dicendas, nempe ne unus incipiat antequam alter finierit. Si ministri festinanter, negligenter, male respondeant, ipsi Sacerdotes communiter horum defectuum causa sunt, seu his defectibus ac negligentiis ansam præbent. Valde opportunum erit hic relegere ea quæ Rubrica præscribit de modo preces dicendi.(Cfr.Q.170.)

ARTICULUS II

De Introitu, Kyrie eleison, et Gloria in excelsis

Textus. (Tit. IV.) — 1. Dum dicit : *Aufer a nobis etc.*, Celebrans junctis manibus adscendit ad medium Altaris, et ibi inclinatus, manibusque item junctis super eo positis, ita ut digiti parvi dumtaxat frontem, seu medium anterioris partis tabulæ, seu mensæ Altaris tangant, residuo manuum inter Altare et se retento, pollice dextero super sinistrum in modum Crucis posito (quæ omnia semper observantur, cum manus junctæ super Altare ponuntur). secreto dicit : *Oramus te Domine etc.*, et cum dicit : *Quorum reliquiæ hic sunt*, osculatur Altare in medio, manibus extensis æqualiter hinc inde super eo positis : quod semper servatur, quando osculatur Altare, sed post consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur. In omni etiam deosculatione sive Altaris, sive libri. sive alterius rei, non producitur signum Crucis pollice vel manu super id quod osculandum est.

2. Osculato Altari accedit ad cornu ejus sinistrum, id est Epistolæ : ubi stans versus Altare, et producens a fronte ad pectus signum Crucis, incipit intelligibili voce Introitum Missæ, et prosequitur junctis manibus. Cum dicit : *Gloria Patri*, tenens junctas manus, caput inclinat versus Crucem. Cum repetit Introitum, non signat se ut prius, et eo repetito, junctis manibus ante pectus accedit ad medium Altaris, ubi stans versus illud similiter manibus junctis. dicit eadem voce ter *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, et iterum ter *Kyrie eleison* alternatim cum ministro. Si minister. vel qui intersunt, Celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit.

3. Dicto ultimo *Kyrie eleison,* Sacerdos stans in medio Altaris, et manus extendens, elevansque usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione observatur), voce prædicta incipit, si dicendum sit, *Gloria in excelsis.* Cum dicit *Deo,* jungens manus, caput Cruci inclinat : quo erecto, stans junctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cum dicit *Adoramus te, Gratias agimus tibi,* et *Jesu Christe, suscipe deprecationem nostram,* et iterum *Jesu Christe,* caput Cruci inclinat. Cum dicit in fine *Cum sancto Spiritu,* seipsum a fronte ad pectus signat, interim absolvens : *in gloria Dei Patris. Amen.*

198. 1. AUFER A NOBIS. — Sacerdos erectus, junctis manibus, statim secreta voce incipit Orationem *Aufer a nobis,* et dum eam dicit, ascendit ad medium Altaris, ascensum dextero pede incipiens. Orationem ita dicit, ut eam absolvat cum ad Altaris medium pervenit : quapropter, si nulli aut pauci sunt gradus, lente accedit ad Altaris medium ; si autem plures sunt gradus, lente Orationem recitat.

2. ORAMUS TE, DOMINE. — Ubi ad medium Altaris pervenit, mediocriter corpus inclinat (Q. 165), manus junctas super Altaris oram ponit (Q. 167, 3), et secreta voce dicit Orationem : *Oramus te, Domine.* Cum dicit : *Quorum reliquiæ,* manus extensas super Altare, sed extra Corporale ponit (Q. 167, 5°, A) et osculatur Altare in medio (Q. 166, 2°). Osculato Altari, dum prosequitur Orationem : *hic sunt etc.*, erigit se, manus jungit, et accedit ad cornu Altaris sinistrum, id est Epistolæ, sinistrum latus totaliter vertendo ad Altare.

Q. 199. *Rubrica, Titulo IV, n. 2, vocat cornu Epistolæ* cornu sinistrum *Altaris : quænam hujus dicendi modi ratio est ?*

R. Cornu Epistolæ vocatur sinistrum, et cornu Evangelii vocatur dexterum Altaris, respectu Crucifixi, qui in medio Altari collocatus est. — Antiquitus autem, usque ad sæculum XV, pars Epistolæ dicebatur dextera, et pars Evangelii sinistra, ex manu dextera vel sinistra Sacerdotis ad Altare conversi. (Cfr. Benedictus XIV, *De Sacrosancto Sacrificio Missæ,* Lib. II, Cap. IV, n. 1.)

Q. 200. *Indica cæremonias et reverentias a Celebrante observandas dum legit Introitum Missæ.*

R. 1. Sacerdos cum pervenerit ad cornu Epistolæ

convertit se ad Altare, et stans ante Missale, producit a fronte ad pectus signum Crucis, dum incipit clara voce Introitum, quem e Missali legit ; facto signo Crucis, statim junctis manibus prosequitur. Post Antiphonam dicit versum Psalmi, et *Gloria Patri*, caput profunde versus Crucem Altaris inclinans, non vero oculos elevans, dum dicit *Gloria... sancto.* Deinde repetit Antiphonam, non se signans Cruce, ut prius fecerat.

2. Sacerdos, dum legit Introitum, occurrentibus nominibus Jesu, aut Mariæ, aut Sancti cujus Festum celebratur, tenetur facere inclinationes præscriptas, nempe : profundam capitis versus medium Altaris ad nomen Jesu ; — mediam capitis ad nomen B. Mariæ Virginis, versus ejus imaginem si ponitur hæc in loco principali Altaris, alias versus librum ; — minimam capitis ad nomen Sancti cujus Festum celebratur, ex. gr., in Festis S. Thomæ Cantuariensis (29 Decembris), S. Agathæ (5 Februarii), S. Annæ (26 Julii), etc. ; et hæc fit etiam versus imaginem Sancti si ponitur hæc in loco principali Altaris, alias versus librum. (Cfr. Q. 165, II.) — Si vero nomen Sancti occurrit in Introitu Missæ Vigiliæ cujusdam Sancti, ex. gr., nomen S. Petri in Missa Vigiliæ SS. Apostolorum Petri et Pauli, 28 Junii, aut nomen S. Andreæ in Introitu Missæ ejus Vigiliæ, 29 Novembris, inclinatio ad hæc nomina non fit, quia eorumdem Sanctorum Festum nondum celebratur.

Attamen, si nomina illa ponuntur inter prima verba Introitus, sub quibus Crux est efformanda, inclinationes omittuntur ratione signi Crucis, quod semper erecto capite efformatur. Itaque, ex. gr., ad Introitum Missæ Septem Dolorum B. Mariæ Virginis, qui incipitur : *Stabant juxta crucem Jesu mater ejus,* quando legitur primo Introitus, non inclinabitur caput ad nomen Jesu, quia Crucis signum efformatur eo tempore quo nomen pronuntiatur ; ad repetitionem vero Introitus caput inclinabitur ad prædictum nomen juxta regulam, quia tunc signum Crucis non efformatur. Idem observandum est ad Introitum Missæ Festi SS. Nominis Jesu.

Nota. Dum dicuntur prima verba Introitus, producendum est signum Crucis a fronte ad pectus. Quia

variant Introitus, nulla specialis distributio verborum dari potest ; sed fiat generatim totum signum, interea dum dicuntur quatuor vel quinque prima verba, secundum sensum dictorum.

201. Kyrie. — Repetita Introitus Antiphona usque ad Psalmum, Sacerdos accedit ad medium Altaris, dexterum latus totaliter Altari vertendo ; ubi cum advenit, conversus ad Altare, manibus semper junctis, dicit clara voce ter *Kyrie eleison,* ter *Christe eleison,* et iterum ter *Kyrie eleison,* alternatim cum ministro. Si minister non respondeat, ipse solus novies dicit.

Itaque Sacerdos pro sua parte dicit hujus Litaniæ invocationes quinque sequentes : *Kyrie eleison, Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Kyrie eleison* ; minister vero interponit sequentes quatuor : *Kyrie eleison, Christe eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.* Uterque inter suas invocationes pausam relinquat sufficientem, ut alter suas debito interponere valeat modo ; ut ita novem invocationes revera dicantur alternatim, et non quasi simul ab utroque proferantur. Sacerdotum plerumque culpa est, si ministri non apposite respondeant.

Nota. In Quatuor Temporibus Feria quarta et Sabbato, ac in aliis paucis Feriis per annum, in Missis de Feriis dicendæ sunt, post *Kyrie eleison,* una Oratio cum Prophetia, vel plures Orationes cum Prophetiis, quomodo in his Feriarum Missis assignatur. In casu, Sacerdos, dicto *Kyrie eleison,* e medio Altaris junctis manibus statim revertitur ad cornu Epistolæ, ubi stans ante librum, extensis et junctis ante pectus manibus, caputque Cruci inclinans, dicit *Oremus.* Subjungit mox, præterquam infra Octavam Pentecostes : *Flectamus genua* ; et illico manibus super Altaris mensam extensis, ut seipsum ad Altare sustineat, unum genu flectit ; hæc genuflexio semper fit ante Missale, etiam si in Altari expositum esset SS. Sacramentum, uti declaravit S. Rituum Congregatio (Decret. 18 Februarii 1843, n. 2859, antiq. 4962) ; respondente sine mora ministro : *Levate,* Sacerdos statim surgit, et manibus extensis dicit Orationem ; ad conclusionem manus jungit, quemadmodum in sequenti Articulo III describetur. Dum post Orationes legit Prophetias, tenet manus super librum, ut mox dicetur in Articulo IV. Post singulas Orationes Minister respondet : *Amen* ; item respondet : *Deo gratias,* post singulas Prophetias, præterquam post quintam, seu ultimam Lectionem (Danielis) in Sabbatis Quatuor Temporum. Minister ante Missam monendus est, ut sic respondeat : *Deo gratias,* ac ut librum non transferat, nisi post Epistolam Missæ propriam.

Q. 202. *Indica cæremonias et reverentias a Celebrante observandas dum dicit Hymnum* Gloria in excelsis Deo.

R. Dicto ultimo *Kyrie eleison*, Sacerdos dicit eadem clara voce Hymnum *Gloria in excelsis*. — Interea dum dicit *Gloria in excelsis*, manus extendit, elevat usque ad humeros, rejungit et demittit (Q. 167, 8°), ita ut ad verbum *Deo* junctæ sint ante pectus ; ad hoc idem verbum *Deo* caput profunde inclinat Cruci (neque oculos, neque caput elevare potest) ; erecto statim capite, stans junctis ante pectus manibus, prosequitur Hymnum usque ad finem. Cum dicit : *Adoramus te*, — *Gratias agimus tibi*, — *Jesu Christe*, — *Suscipe deprecationem nostram*, et iterum *Jesu Christe*, caput profunde Cruci inclinatum per omnia hæc verba tenet. — Ad Versum *Gratias agimus tibi* caput inclinari debet ad hæc tria verba tantum, et non ad sequentia. — In fine, cum dicit : *Cum sancto Spiritu*, seipsum a fronte ad pectus signat, dicens ad f. *Cum sancto* ; — ad p. *Spiritu* ; — ad h. s. *in gloria* ; ad h. d. *Dei Patris. Amen.*

Nota. Post signum Crucis factum ad verba : *Cum sancto Spiritu, etc.*, Sacerdos non debet jungere manus. Etenim ad dubium : « Aliqui Rubricarum expositores dicunt, post signum Crucis quod fit in fine *Gloria in excelsis*, *Credo*, et *Sanctus*, manus esse jungendas, etiam si nihil hujusmodi præscribant Rubricæ. Quæritur : Estne sequenda istorum opinio ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Serventur Rubricæ. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 29, antiq. 4669, ad 30.) Atqui Rubricæ non præscribunt manuum junctionem ; ergo manus non sunt jungendæ.

ARTICULUS III

De Oratione

Textus. (Tit. V.) — 1. Dicto Hymno *Gloria in excelsis*, vel si non sit dicendus, eo omisso, Celebrans osculatur Altare in medio, manibus hinc inde super eo, ut supra, extensis : tum illis ante pectus junctis, et demissis ad terram oculis, vertit se a sinistro latere ad dexterum versus populum, hoc est, per eam partem quæ respicit cornu Epistolæ, et extendens, ac jungens

manus ante pectus, ut prius, dicit voce prædicta : *Dominus vobiscum,* vel si sit Episcopus : *Pax vobis* (quod dicitur tantum hoc loco, quando dictus est Hymnus *Gloria in excelsis*). ℟. *Et cum spiritu tuo* et junctis, ut prius, manibus revertitur per eamdem viam ad librum, ubi eas extendens, et jungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit : *Oremus* : tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul junctis, quorum summitas humerorum altitudinem distantiamque non excedat, quod in omni extensione manuum ante pectus servatur. Stans autem, ut supra, extensis manibus, dicit Orationem. Cum dicit : *Per Dominum nostrum,* jungit manus, easque junctas tenet usque ad finem. Si aliter concluditur Oratio *Qui tecum,* vel *Qui vivis,* cum dicit : *in unitate,* jungit manus.

2. Cum nominatur nomen JESUS, caput versus Crucem inclinat ; quod etiam facit cum nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque nominatur nomen B. Mariæ, vel Sanctorum, de quibus dicitur Missa, vel fit commemoratio, item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus Crucem ; nisi in loco principali Altaris habeatur simulacrum vel imago B. M. V. aut Sancti, ad quam caput inclinatur. Si plures Orationes sint dicendæ, idem in eis, in voce, extensione manuum, et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.

3. Si Altare sit ad Orientem versus populum, Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad Altare, cum dicturus est *Dominus vobiscum, Orate fratres, Ite Missa est,* vel daturus benedictionem : sed osculato Altari in medio, ibi expansis et junctis manibus, ut supra, salutat populum, et dat benedictionem.

4. In Quatuor Temporibus, vel alias, quando dicendæ sunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto *Kyrie eleison,* in medio Altaris, revertitur ad cornu Epistolæ, ubi stans ante librum extensis et junctis ante pectus manibus, caput Cruci inclinans, dicit : *Oremus. Flectamus genua* ; et illico manibus super Altare extensis, ut se ipsum ad Altare sustineat, genuflectit, et sine mora surgens, eadem voce ministro respondente : *Levate,* manibus extensis dicit Orationem, ut supra, et in conclusione eas jungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum, vel Altare positas, ut mox dicetur de Epistola.

Q. 203. *Indica cæremonias servandas, et speciatim diversas manuum positiones, inde ab osculo Altaris ante* Dominus vobiscum, *usque dum dicitur Oratio.*

R. 1. Dicto Hymno *Gloria,* Sacerdos post signum Crucis manus non jungit (cfr. Q. 202, Nota) ; sed extensis hinc inde manibus et super Altare positis (Q. 167, 5°), osculatur illud in medio (Q. 166, 2°). Si dicendus non sit Hymnus *Gloria,* Sacerdos, postquam junctis manibus dixit *Kyrie eleison,* statim manus hinc in-

de extendit ac super Altare ponit, et Altare in medio osculatur. Deinde, erectus, manibus ante pectus junctis, demissisque ad terram oculis, vertit se a sinistro latere ad dexterum (seu per suam dexteram, seu per eam partem quæ respicit cornu Epistolæ), ad populum, remanens in medio Altari ; se vertens, aliquantulum recedit ab Altaris fronte, ut casulæ posterior pars apte disposita remaneat, nec plicetur aut teratur contra Altaris antipendium aut frontem ; et totaliter conversus, stans, extendit manus et eas statim jungit ante pectus (Q. 167, 7°), dicens interim clara voce : *Dominus vobiscum.* — Caveat Sacerdos, ne, ut pluribus mos est, accentum, syllabæ *bis* debitum, transferat in syllabam *cum*.

2. Junctis manibus, statim sinistrum latus totaliter vertens ad Altare, revertitur ad cornu Epistolæ, convertitque se ad Missale.

3° Dicit *Oremus*, interim manus extendens et statim jungens ante pectus (Q. 167, 7°), simulque caput Cruci profunde inclinans (Q. 165, II) ; sed non elevat oculos ad Crucem.

4. Iterum mox extendit manus ante pectus (Q. 167, 4°), et facie ad librum conversa, clara voce dicit Orationem.

Q. 204. *Ad quæ verba conclusionis Orationis junguntur manus ?*

R. In fine Orationis, si concluditur Oratio per verba : *Per Dominum nostrum*, vel *Per eumdem Dominum nostrum*, Sacerdos sub his verbis jungit manus ante pectus ; si Oratio concluditur aliter, scilicet per verba : *Qui tecum vivit*, vel *Qui vivis*, Sacerdos jungit manus, non ab initio hujusmodi conclusionis, sed tantum cum dicit verba *in unitate*. Manus junctæ tenentur usque ad finitam conclusionem.

Q. 205. *Quas capitis inclinationes tenetur facere Sacerdos dum dicit Orationes ?*

R. 1. Cum nominatur nomen Jesus, aut Jesus Christus, Sacerdos semper caput profunde inclinat versus Crucem. (Cfr. Q. 165, II.) Cum autem nominatur solum nomen Christus, inclinatio non est facienda.

2. Cum nominatur nomen beatæ Mariæ, semper Sa-

cerdos facit inclinationem capitis mediam, versus librum, aut versus simulacrum vel imaginem B. Mariæ V., si in loco principali Altaris habetur. (Cfr. Q. 165, II.)

3. Cum nominatur nomen Sancti, de quo dicitur Missa, sive in Festo, sive per Octavam, non autem in Vigilia ; — vel de quo fit Commemoratio specialis, nempe si Festum Sancti est simplex, aut ad instar simplicis redactum, aut si est dies per Octavam, et de eo Sancto Missa non dicitur sed tantum fit Commemoratio ; — in his casibus, et in his tantum Sacerdos facit inclinationem capitis minimam versus librum, aut versus simulacrum vel imaginem Sancti, si ponitur in loco principali Altaris. (Cfr. Q. 165, II.)

4. Cum nominatur nomen SS. Domini Papæ, in Oratione pro Papa, Sacerdos facit inclinationem capitis minimam versus librum. — Similis inclinatio facienda est ad nomen Episcopi quando pro eo Collecta dicitur ; et si præsens foret Episcopus, Sacerdos non debet se inclinare versus eum, sed tantum versus librum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Martii 1700, n. 2049, antiq. 3551, ad 3.)

Nota. I. Rubricam super his inclinationibus explicat sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « Quænam regula servanda est circa capitis inclinationes in Missa faciendas, quoties occurrat nomen de Sancto, cujus dicitur Missa vel fit commemoratio : An nempe in principio Epistolæ et Evangelii, in Festo ex. gr. S. Pauli vel S. Matthæi ? Et versus quemnam locum vel objectum inclinandum est caput, etiam cum nomen B. Mariæ V. aut Summi Pontificis occurrit ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Inclinationem capitis faciendam in Festis Sanctorum tantum, quoties nomen eorum, de quibus celebratur Missa vel fit commemoratio, exprimitur, minime vero in initiis Epistolæ et Evangelii ; et ad nomina B. Mariæ V., aliorum Sanctorum et Summi Pontificis inclinationem dirigendam versus librum seu nomen in libro expressum, nisi in loco principali Altaris habeatur statua vel imago B. Mariæ V. aut Sancti, ad quam, quia expressius repræsentant, caput inclinatur. » (Decret. 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 25.)

Ex hoc Decreto deducitur, inclinationes ad nomen Sancti non esse faciendas in Vigilia ejus Festi, etiamsi de Vigilia diceretur Missa aut fieret Commemoratio ; Vigilia enim Festum non est, sed tantum ad Festum præparatio ; dicit quidem Rubrica inclinandum esse caput ad nomina Sanctorum « de quibus dicitur Missa, vel fit Commemoratio », quæ legis verba verificantur in Vigilia sicut in Festo ; sed S. Congregatio loquens in Decreto supra citato de Festis Sanctorum, restrinxit hæc verba ad sola Festa, seu declaravit quod legis verba referuntur ad Festa Sanctorum de quibus dicitur Missa, vel fit Commemoratio. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 312 ; et XIV, 1900, pag. 584.)

Nota. II. Ex Rubrica sequitur, in Oratione *A cunctis* inclinandum esse caput ad nomen B. Mariæ Virginis, quia pro hoc nomine generalis est regula inclinationis, ubicumque et quandocumque nomen hoc occurrit ; sed non ad nomina S. Joseph, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Sancti Titularis aut Patroni, quia hæc Oratio *A cunctis* numquam esse potest Commemoratio specialis ; ergo etiamsi in Altari, ad quod celebraretur Missa, in loco principali habeatur imago vel simulacrum S. Joseph, aut S. Petri, aut S. Pauli, aut S. Titularis vel Patroni, in Oratione *A cunctis* ad hæc nomina nulla fieri posset capitis inclinatio, quia de eis non fit specialis Commemoratio.

206. Si plures Orationes sunt dicendæ, generatim ante primam et ante secundam tantum dicitur *Oremus*, ac prima et ultima tantum conclusione sua terminantur. Quæ sint observanda de earum ordine, ulterius exponuntur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani (Q. 112) ; cæterum in eis, in voce, extensione manuum, et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.

207. Sacerdos folia vertere potest una alterave, vel etiam utraque manu ; altera manus non occupata ponitur super Missale vel Altare. (Cfr. Q. 167, 9°.) Animadvertendum est, quod ea quæ post unam Orationem dicenda sunt, non possunt quæri, nisi finita totaliter Oratione, vel Orationis conclusione, sub qua usque ad finem manus junctæ teneri debent.

ARTICULUS IV

De Epistola, Graduali, et aliis usque ad Offertorium

Textus. (Tit. VI.) — 1. Dictis Orationibus, Celebrans positis super librum, vel super Altare manibus, ita ut palmæ librum tangant, vel (ut placuerit) librum tenens, legit Epistolam intelligibili voce, et respondetur a ministro : *Deo gratias,* et similiter stans eodem modo, prosequitur Graduale, *Alleluja,* et Tractum, ac Sequentiam, si dicenda sint. Quibus dictis, Sacerdos si privatim celebret, ipsemet, seu minister portat librum Missalis ad alteram partem Altaris in cornu Evangelii, et dum transit ante medium Altaris, caput Cruci inclinat, et Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu Altaris, et non ad parietem, sive ad partem ejus contra se directam.

2. Locato Missali in Altari, Celebrans redit ad medium Altaris, ibique stans junctis manibus ante pectus, levatisque ad Deum oculis, et statim demissis, tum profunde inclinatus, dicit secreto : *Munda cor meum,* et *Jube Domine benedicere. Dominus sit in corde meo,* ut in Ordinario. Quibus dictis vadit ad librum Missalis, ubi stans versus illum junctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce : *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.* Deinde pollice dexteræ manus signo Crucis signat, primo librum super principio Evangelii, quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore, et pectore, dicens : *Sequentia* vel *Initium sancti Evangelii etc.* ℟. *Gloria tibi Domine.* Tum junctis iterum manibus ante pectus, stans ut supra, prosequitur Evangelium usque ad finem. Quo finito, minister stans in cornu Epistolæ post infimum gradum Altaris, respondet : *Laus tibi Christe,* et Sacerdos elevans parumper librum, osculatur principium Evangelii, dicens : *Per Evangelica dicta etc.,* præterquam in Missis Defunctorum, et nisi celebret coram Summo Pontifice, Cardinali, et Legato Sedis Apostolicæ, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in eorum residentiis, quo casu defertur cuilibet prædictorum osculandus liber, et Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit : *Per Evangelica dicta.* Cum autem nominatur JESUS, caput versus librum inclinat ; et eodem modo versus librum genuflectit, cum in Evangelio est genuflectendum.

3. Dicto Evangelio, stans in medio Altaris versus Crucem, elevans et extendens manus, incipit (si dicendum sit) *Credo* ; cum dicit : *in unum Deum,* jungit manus, et caput Cruci inclinat : quo erecto stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur usque ad finem. Cum dicit : *Jesum Christum,* caput Cruci inclinat. Cum dicit : *Et incarnatus est,* usque ad *Et homo factus est,* inclusive, genuflectit. Cum dicit : *simul adoratur,* caput Cruci inclinat. Cum dicit : *Et vitam venturi sæculi. Amen,* producit sibi manu dextera signum Crucis a fronte ad pectus.

Q. 208. *Quomodo Sacerdos tenet Missale, dum legit Epistolam, et ea quæ ipsam sequuntur? Quas capitis inclinationes tenetur Sacerdos facere, dum hæc legit?*

R. I. Dictis Orationibus, Sacerdos manus disjungens, tenet quasi manibus librum Missalem; scilicet, manibus ita librum pulpitumque tenet, ut ab utraque parte pollices folia Missalis, palmæ operturam Missalis, digiti tabulam pulpiti tangant. Mox incipit legere clara voce Epistolam, in cujus fine aliquantum vocem flectit, ita admonens ministrum, ut respondeat *Deo gratias*; non necesse est, et minus placet, in hunc finem aliquantulum faciem convertere ad ministrum. Eodem modo tenens librum, prosequitur eadem voce clara dicens Graduale, *Alleluja*, Tractum, Sequentiam, prout dicenda sunt.

Nota. Animadvertet forsan quis in responso unicum proponi modum tenendi librum, dum ipsa Rubrica plures admittit modos sive manus ponendi, sive librum tenendi: etenim Sacerdos vel deponere manus potest super librum, palmas ponens super Missalis folia extensas; vel eodem modo manus super Altare ponere potest, sed ita ut palmæ librum tangant; vel etiam (ut placuerit) librum tenere potest. Ex diversis hisce modis unus tantum, qui magis placuit, propositus in responso fuit.

Hac occasione notatur, non semel in traditis explicationibus super Missæ cæremoniis ex diversis modis agendi sive ab auctoribus, sive ab ipsa Rubrica propositis, omnibus consideratis unum solum fuisse selectum et propositum, reliquis tantum indicatis breviter, vel etiam neglectis; experientia enim constat ita melius fieri in gratiam eorum qui Missæ cæremonias addiscunt; nam si varii agendi modi proponuntur, non raro nullus ex ipsis sedulo observatur; unus vero propositus facilius et melius servatur.

II. In Epistola aut Graduali, et generatim ubicumque in Missa, si occurrunt nomina Jesu, Mariæ, aut Sancti cujus Missa vel Commemoratio specialis dicitur, Sacerdos tenetur ad easdem inclinationes, de quibus dictum fuit in Articulo præcedenti (cfr. Q. 205); non tamen in titulo Epistolæ (cfr. Decretum S. Rituum Congregationis in Nota I ad Q. 205); nec si nominatur Sanctus alio nomine quam sub quo ab Ecclesia colitur; ex. gr., in Missa Festi Conversionis S. Pauli non fiet inclinatio ad nomen *Saulus*.

Si genuflexio præscribitur, unum tantum genu flectit Sacerdos versus librum, manus interea extensas Altari imponens. Et si in peragenda genuflexione simplici occurreret nominandum SS. Jesu nomen, aut Mariæ, aut aliud verbum, ad cujus pronuntiationem præscriberetur inclinatio capitis, omitti in genuflexione inclinatio ista debet ; siquidem majus obsequium, quod est genuflexio, includat minus, quod est capitis demissio.

Q. 209. *Indica cæremonias servandas in medio Altari, antequam dicatur :* **Munda cor**, etc.

R. Lectis Epistola et reliquis, Sacerdos jungit manus ante pectus, et accedit ad medium Altaris.

Si, qua de causa, Sacerdos ipse deberet Missale a parte Epistolæ ad cornu Evangelii transferre, omnibus lectis, accipiet ambabus manibus legile cum Missali, et transferet ; sed transiens ante Altaris medium, caput profunde inclinabit ad Crucem ; deposito ad cornu Evangelii Missali (cfr. Q. 210, I), junctis ante pectus manibus, accedet ad medium Altaris. — Quod si in Altari fuerit Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, Sacerdos, in casu transiens cum Missali ante medium Altaris, non debet genu dextrum flectere, sed tantum caput profunde inclinare. (Decret. S. Rituum Congregationis, 14 Januarii 1898, n. 3975, ad 2.)

Cum Sacerdos ibi stat ante Crucem, levatis ad eam oculis et statim demissis (Q. 169, II), profunde inclinat corpus (Q. 165, I), manus junctas tenens ante pectus quin tangant Altare ; tunc (et non prius) secreta voce dicit : *Munda cor etc. ; Jube Domine* (non vero *Domne*) *benedicere ; Dominus sit, etc.* — Sacerdos dicit *Domine*, quia alloquitur non hominem sed Deum, a quo tamquam universorum Domino petit Benedictionem. Hinc Diaconus in Missa solemni, quia petit Benedictionem a Celebrante ante Evangelii cantum, dicit, non *Domine*, sed *Domne*. Cœlestem Dominum, terrestrem dicito Domnum.

Q. 210. *Quomodo stat Sacerdos ad lectionem Evangelii ? Quomodo signat Sacerdos librum et seipsum ante lectionem Evangelii ? Quid observare debet Sacerdos finita lectione Evangelii ?*

R. I. Sacerdos, dictis precibus *Munda cor, etc.*, erigit se, et junctas retinens manus, vadit ad librum Missalem et stat versus illum, scilicet facie ad cornu Altaris dexterum posterius conversa ; liber enim ita deponi debet, ut ejus posterior pars respiciat ipsum cornu Altaris posterius, et non parietem posteriorem, seu ut pars aperta Missalis, ex qua legendum est Evangelium, respiciat cornu anterius Epistolæ.

II. Junctis manibus Sacerdos dicit clara voce *Dominus vobiscum* ; dein dicit *Sequentia*, aut *Initium sancti Evangelii secundum N.* — Cum dicit *Sequentia*, aut *Initium*, disjungens manus ponit sinistram super librum totam extensam, et dexteræ pollice signo Crucis signat librum super principio Evangelii, id est, super principio ipsius sacri textus, post verba : *In illo tempore* ; non super verbis *Initium*, vel *Sequentia* ; dexteram tenet extensam totam, ex parte palmæ ad librum conversam, pollicem a reliquis digitis conjunctis aliquantum sejungens, et illius parte interiori seu pulpa, non autem extremitate aut ungue, signat prima verba Evangelii. Dicens reliqua verba, signat seipsum 1° in fronte, cum dicit *sancti* ; 2° in ore, cum dicit *Evangelii* ; 3° in pectore, cum dicit *secundum N.* ; interim sinistram extensam ponit infra pectus ; dexteram totaliter ut supra extensam convertit a parte palmæ ad faciem, et solius pollicis interiori parte signat frontem, os et pectus ; in hac triplici Cruce lineæ rectæ non excedant altitudinem frontis, lineæ transversæ non excedant latitudinem oris.

Tum junctis iterum ante pectus manibus, stans ut supra, prosequitur clara voce Evangelium usque ad finem.

Nota. I. Manum sinistram, interea dum Cruce signatur principium Evangelii, super librum esse ponendam non indicat Rubrica Missalis ; sed ita fieri debere declaravit S. Rituum Congregatio. Ad dubium : « An manus sinistra poni debeat super Missale ad Evangelium, cum dextera fit signum Crucis super ipsum ? » S. Congregatio censuit respondendum : « Affirmative. » (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 11, antiq. 4526, ad 25.)

Manus sinistra itaque poni debet super Missale, id est super folium Missalis quod ad sinistram est et super quod commode ipsa poni potest ; nullus auctorum magis præcise determinat

locum, nec dicit manum esse ponendam juxta textum Evangelii. Quod si principium Evangelii dextero pollice signandum impressum haberetur in inferiori parte folii, ubi sinistra deberet apponi, ponatur tunc sinistra juxta textum, in quantum potest supra folium, ast maneat semper extensa.

Nota. II. In omnibus Missalibus, et ad omnia quæ in ipsis describuntur Evangelia, signata habetur aliqua Crux ante verba *Initium*, vel *Sequentia*. Hæc Crux ibi apposita videtur, non ut significetur Crucis signum esse faciendum super verba *Initium*, vel *Sequentia*, determinat enim Rubrica clare illud esse faciendum « super principio Evangelii », seu, ut dicit Cæremoniale Episcoporum (Lib. II, Cap. VIII, n. 46), « ubi est textus Evangelii » ; sed ad innuendum Crucis signum esse faciendum super textum, non quando istius lectio incipitur, sed quando profertur verbum *Initium*, vel *Sequentia*. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XI, 1897, pag. 587, IV.)

Nota. III. Aliqui auctores aliam proponunt verborum distributionem dum signantur frons, os et pectus ; nempe ad signum in fronte Sacerdos dicit *sancti Evangelii*, ad signum in pectore dicit *secundum N.*, ad signum vero medium quod fit in ore nihil dicere potest, quia os propter signum debet esse clausum. Credimus pronuntiationem verbi *Evangelii* non eum requirere oris hiatum qui impediat debitum interea oris signum ; insuper in hoc proposito modo aliqua requireretur interruptio in verbis, ut pro Crucis signo os valeat esse clausum, quæ interruptio non est approbanda.

III. Finito Evangelio, minister respondet : *Laus tibi Christe* ; et Sacerdos ambabus manibus librum sine pulpito accipit, eumque parumper elevat, simul caput parumper inclinat, et osculato principio Evangelii, dicit statim submissa voce : *Per Evangelica dicta deleantur nostra delicta*, interea se erigens et reponens librum. Conversus ad medium Altaris, Sacerdos reponit ambabus manibus pulpitum cum Missali prope Corporale, eo modo ut pars Missalis posterior respiciat cornu Evangelii, sicut ad Evangelii lectionem ; quod fit ut eo facilius, e Missali Sacerdos legat ; et junctis manibus accedit ad medium Altaris.

Q. 211. *Quid notandum venit pro reverentiis faciendis interea dum legitur Evangelium ?*

R. 1. Cum nominatur nomen Jesus, Sacerdos caput profunde inclinare debet, non versus Crucem Altaris, ut in aliis partibus Missæ (Q. 165, II), sed versus librum. Hujus specialis Rubricæ ratio est, quia in Evan-

gelio expressius repræsentatur Christus Dominus quam in Cruce, utpote quod est verbum ipsius Divini Incarnati Verbi. — Ob eamdem rationem antiquitus præcipue, et etiam hodie tantus honor datus fuit et datur Libro Evangeliorum. (Cfr. Q. 153.)

2. Pro reliquis capitis inclinationibus manet regula jam tradita (cfr. Q. 205), quod ad nomen B. Mariæ Virginis Sacerdos semper facit inclinationem capitis mediam ; et quod inclinationem capitis minimam facit, cum nominatur in Evangelii textu Sanctus, de quo dicitur in ejus Festo Missa, vel de quo fit in Missa Commemoratio specialis, sive in Festo sive per Octavam.

Sequentia pro his inclinationibus notanda veniunt :

a) In titulo Evangelii numquam fit inclinatio ad nomen Evangelistæ, cum in ejus Festo legitur de Evangelio ab ipso scripto. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, in Nota I ad Q. 205.)

b) Quando aliquis Sanctus in Evangelio nominatur alio nomine quam sub quo ab Ecclesia colitur, ad hujusmodi nomen caput non debet inclinari ; ex. gr., in quibusdam Missis S. Petri, ad nomen *Simon* non fit inclinatio.

c) Inclinatio ad nomina B. Mariæ Virginis et aliorum Sanctorum dirigenda est versus librum, nisi in loco principali Altaris habeatur statua vel imago B. Mariæ Virginis aut Sancti, ad quam tunc, quia expressius repræsentant, caput inclinatur.

Nota. Antehac auctores præscribebant inclinationes hujusmodi generatim esse faciendas versus librum ; sed ex quo textus Rubricæ (cfr. Ritus, Tit. V, n. 2) revisus, et concinnatus fuit ad normam Decreti 13 Februarii 1892 (cfr. Q. 205, Nota I), cum nulla jam ibi fiat exceptio pro Evangelio, et cum eadem remaneat ratio quæ exstat pro reliquis Missæ partibus, posita lege dicendum nunc est etiam in Evangelii lectione inclinationes esse agendas ad imagines in loco principali Altaris habitas. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 57.) Idem rescripsit S. Rituum Congregatio faciendum versus SS. Sacramentum quando Sacerdos, celebrans coram SS. Sacramento expositio, in Evangelii lectione pronuntiat nomen Jesu : ut postea exponetur ubi de hujusmodi celebratione agitur. (Cfr. Q. 308.)

Si consideratur quod Sacerdos Evangelium legens stat conversus ad cornu Evangelii, fateri liceat istas inclinationes, quales nunc versus Altaris medium præscribuntur, apposite peragi

vix posse; requiritur enim, ut debite fiant, in capite et pectore motus quartæ partis circuli, quo motu oculi necessario avertendi sunt a textu, unde sequi potest interruptio et perturbatio in lectione.

Non sine labore Rubricam observabunt Sacerdotes senescentes, oculorum acie carentes, facile turbati, aliique; et timendum est ne reliquis occasio detur negligentiæ; non pauci enim caput inclinabunt ægre versus medium Altaris, plerumque versus parietem aut unum ex candelabris.

Quidquid sit de difficultate hic signata, diligentiores esse sit nostrum propositum, ut legem cum ædificatione observemus.

d) Quando in textu Evangelii occurrunt duo vel plura nomina conjuncta, sufficit una inclinatio; ita in Missa Festi S. Joseph, 19 Martii, immediate sequuntur nomina *Jesu, Maria, Joseph*; satis tunc erit semel caput inclinare a primo nomine usque ad ultimum.

3. Si ad quædam verba Evangelii genuflexio præscribitur, Sacerdos unum tantum genu flectit versus Missale, manus interea imponens super Altaris mensam extensas.

Q. 212. *Indica cæremonias servandas, et reverentias præstandas, dum Sacerdos dicit Symbolum.*

R. Sacerdos stans ante Crucem, dicit clara voce Symbolum. Interea dum dicit *Credo in unum Deum*, ad verba *Credo in unum*, manus extendit, elevat, rejungit et demittit (Q. 167, 8°), ita ut ad verbum *Deum* junctæ sint ante pectus; oculos non elevat; ad hoc idem verbum *Deum* caput profunde inclinat Cruci; erecto statim capite, stans junctis ante pectus manibus, prosequitur Symbolum usque ad finem. Cum dicit *Jesum Christum*, caput profunde Cruci inclinat. Cum dicit *Et incarnatus etc.*, usque ad *et homo factus est* inclusive, unum genu flectit: scilicet, ad verba *Et incarnatus* reponit ambas manus super Altare (Q. 167, 5°), et lente incipit genuflexionem, ita ut in ipsa genuflexione, quæ tamen sine pausa esse debet, absolvat *et homo factus est*. Nulla interim capitis inclinatio fiat. Surgens prosequitur: *Crucifixus, etc.*, et erectus manus iterum ante pectus jungit. Cum dicit *simul adoratur*, caput profunde Cruci inclinat. In fine, cum dicit *Et vitam etc.*, seipsum a fronte ad pectus signat, dicens ad f. *Et*; ad p. *vitam*; ad

h. s. *venturi*; ad h. d. *sæculi. Amen.* — Post signum Crucis Sacerdos non debet jungere manus. (Cfr. Q. 202, Nota.)

ARTICULUS V

De Offertorio et aliis usque ad Canonem

Textus. (Tit. VII.) — 1. Dicto Symbolo, vel, si non sit dicendum, post Evangelium Celebrans osculatur Altare in medio, et junctis manibus antè pectus ibidem a manu sinistra ad dexteram (ut dictum est supra) vertit se ad populum, et extendens ac jungens manus dicit : *Dominus vobiscum*, et junctis manibus revertitur per eamdem viam ad medium Altaris, ubi extendens et jungens manus, caputque Cruci inclinans, dicit *Oremus* ; tum junctis, ut prius, manibus dicit Offertorium, et omnia, quæ usque ad finem Missæ in medio Altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad Altare, nisi ubi aliter ordinatur.

2. Dicto Offertorio discooperit Calicem, et ad cornu Epistolæ sistit, et manu dextera amovet parvam pallam desuper Hostiam, accipit Patenam cum Hostia, et ambabus manibus usque ad pectus eam elevatam tenens, oculis ad Deum elevatis, et statim demissis, dicit : *Suscipe sancte Pater etc.*

3. Quo dicto, Patenam utraque manu tenens, cum ea facit signum Crucis super Corporale, et deponit Hostiam circa medium anterioris partis Corporalis ante se, et Patenam ad manum dexteram aliquantulum subtus Corporale ; quam, exterso Calice, ut dicetur, cooperit purificatorio. Si autem adsit vas seu Calix cum aliis Hostiis, ipsum cooperit alia Patena, vel Palla.

4. Deinde in cornu Epistolæ accipit Calicem, Purificatorio extergit, et sinistra tenens illius nodum, accipit ampullam vini de manu ministri (qui osculatur ipsam ampullam, non autem manum Celebrantis) et ponit vinum in Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producit signum Crucis super ampullam aquæ, et dicit : *Deus qui humanæ substantiæ*, et infundens parum aquæ in Calice prosequitur : *Da nobis per hujus aquæ et vini mysterium etc.* Si vero celebrat pro Defunctis, non facit signum Crucis super aquam, sed imponit absque benedictione, dicens Orationem ut supra.

5. Imposita aqua in Calice, et finita Oratione prædicta, accipit manu dextera Calicem discoopertum ; et stans ante medium Altaris, ipsum ambabus manibus elevatum tenens, videlicet cum sinistra pedem, cum dextera autem nodum infra cuppam, intentis ad Deum oculis offert, dicens : *Offerimus tibi Domine etc.* Qua Oratione dicta, facti signum Crucis cum Calice super Corporale, et ipsum in medio post Hostiam collocat, et palla cooperit. Deinde junctis manibus super Altare positis, aliquantulum inclinatus dicit secreto : *In spiritu humilitatis etc.* Postea

erectus, elevans oculos, manus que expandens easque in altum porrectas, statim jungens ante pectus (quod semper facit quando aliquid est benedicturus) dicit : *Veni sanctificator etc.* Cum dicit : *et benedic,* signat manu dextera communiter super Hostiam et Calicem, sinistra posita super Altare.

6. Tum junctis ante pectus manibus, accedit ad cornu Epistolæ, ubi stans, ministro aquam fundente, lavat manus, idest, extremitates digitorum pollicis et indicis, dicens Psalmum *Lavabo inter innocentes,* cum *Gloria Patri etc.* : qui versus *Gloria Patri* prætermittitur in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica de Passione usque ad Sabbatum sanctum exclusive.

7. Celebrans lotis manibus eas tergit, et illis ante pectus junctis revertitur ad medium Altaris, ubi stans, oculosque ad Deum elevans, et statim demittens, manibus junctis super Altare, aliquantulum inclinatus dicit secreto Orationem *Suscipe sancta Trinitas etc.* Qua dicta, manibus hinc inde extensis, et super Altare positis, osculatur illud in medio : tum junctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dexteram vertit se ad populum, et versus eum extendens, et jungens manus, dicit voce aliquantulum elata : *Orate Fratres,* et secreto prosequens : *ut meum, ac vestrum sacrificium etc.* perficit circulum, revertens, junctis manibus ante pectus, a manu dextera ad medium Altaris. Et responso a ministro, vel a circumstantibus : *Suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis etc.* (alioquin per se ipsum, dicens : *Sacrificium de manibus meis*), ipse Celebrans submissa voce dicit : *Amen.* Et manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio Altaris versus librum, dicit absolute sine *Oremus,* et sine alia interpositione Orationem, vel Orationes secretas. Cum dicit : *Per Dominum,* jungit manus : cum dicit : *Jesum Christum,* caput inclinat : quod facit in prima Oratione, et in ultima, si plures sint dicendæ.

8. Pervento autem in conclusione ultimæ Secretæ ad verba illa : *Per omnia sæcula sæculorum* exclusive, Sacerdos stans in medio Altaris, depositis super eo manibus hinc inde extensis, dicit convenienti et intelligibili voce Præfationem. Cum dicit : *Sursum corda,* elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus : ita ut palma unius manus respiciat alteram. Cum dicit : *Gratias agamus Domino,* jungit manus ; cum dicit : *Deo nostro,* oculos elevat, et statim Cruci caput inclinat. Responso : *Dignum et justum est,* elevatis et extensis ut prius manibus prosequitur Præfationem propriam, vel communem, ut tempus requirit. Cum dicit : *Sanctus,* junctis ante pectus manibus, et inclinatus voce mediocri prosequitur, ministro interim parvam campanulam pulsante. Cum dicit : *Benedictus qui venit in nomine Domini etc.,* erigit se, et signum Crucis sibi producit a fronte ad pectus.

213. Offertorium. — 1. Dicto Symbolo, Sacerdos dicit clara voce *Dominus vobiscum,* servans præscripta ad n. 1 Quæstionis 203.

2. Quo dicto, junctis manibus convertit se per eam-

dem viam ad medium Altaris, ubi statim eadem clara voce dicit *Oremus*, manus ante pectus extendens et rejungens, simulque caput profunde Cruci inclinans. Capite erecto, junctis manibus, legit clara voce Antiphonam inscriptam « Offertorium ».

214. Discooperitio Calicis. — Lecto Offertorio, Sacerdos accipit velum Calicis utraque manu ad extremitates posteriores, et prudenter de Calice tollit ; extra Corporale, versus partem Epistolæ, plicat illud in tres partes, ita ut exterior sola appareat, et plicatum deponit ambabus manibus in cornu Epistolæ, non longe a Corporali, et prope gradum candelabrorum. Tum manu sinistra super Altare posita, dextera accipit Calicem ad nodum, eumque ad partem Epistolæ, extra Corporale ante velum, in ea circa distantia quantum brachium extendere possit, collocat. — Corporale ab initio Missæ jam totaliter fuisse super Altaris mensam extensum supponitur, uti expositum fuit Q. 193. — Posita sinistra super Altare, dextera accipit de Calice pallam inter pollicem et indicem, eamque deponit prope Tabellam Secretarum a parte Epistolæ.

Q. 215. *Indica cæremonias servandas pro oblatione Hostiæ, ejusque depositione super Altare.*

R. 1. Sacerdos, amota a Calice palla, sinistram super Altare positam retinens, dextera accipit Patenam cum Hostia inter pollicem et indicem cum medio, eamque perducit ante pectus suum ; simul sinistram ante pectus admovet, et utraque manu tenet Patenam ad altitudinem pectoris elevatam supra medium Corporalis. Tenet Patenam sequenti modo : apponuntur ad oram Patenæ utriusque manus pollex ab anteriori parte, et index ac medius ab altera parte ; infra Patenam junguntur annulares et parvi digiti, necnon palmæ quantum fieri potest. Ita tenens Patenam, oculos elevat ad Crucem, statim demittit, et dicit secreta voce Orationem *Suscipe sancte Pater.*

2. Hac Oratione dicta, Sacerdos cum Patena facit signum Crucis super Corporale : demittit scilicet Patenam ad distantiam quatuor digitorum a Corporali, junctasque palmas separans, tenet Patenam ad oram,

utroque pollice ab anteriori parte, utroque indice ab altera parte, junctis indici reliquis digitis uniuscujusque manus. — Crucis efficiendæ lineam rectam ducit a medio Corporali usque ad medium anterioris plicaturæ, lineam transversam ad latitudinem mediæ plicaturæ. — Quo facto, eodem modo Patenam manibus retinens, hujus partem posteriorem, quæ spectat ad Crucem Altaris, parum flectit versus Corporale, ita ut Hostia effluat de Patena super medium plicaturæ anterioris, cum imagine Crucifixi ad Sacerdotem conversa. Attendendum est ut Hostia sit super lapidem sacrum deposita. Mox accipit Patenam sola dextera, inter pollicem et indicem cum medio, et sinistra manu deposita super Altare, Patenam deponit ad cornu Epistolæ, pro media circiter parte ipsius tectam subtus partem lateralem mediæ plicaturæ Corporalis ; ita ut, quum in sequentibus cæremoniis præscribetur manus extensas super Altare deponere, possit Sacerdos dexteram manum juxta Corporale deponere, quin ista Patenam tangat.

216. Infusio vini et aquæ. — 1. Manus jungit Sacerdos ante pectus, recedit de medio Altaris ad cornu Epistolæ, sinistrum latus Altari vertendo ; stans ante Calicem, eumdem ad nodum accipit sinistra inter pollicem et reliquos digitos, et dextera deponit cochlear super Altare ; dein premens purificatorium extremitatibus digitorum dexteræ manus usque ad fundum, et pollice partem ejusdem purificatorii contra cuppam exterius, Calicem paulum elevatum et inclinatum abstergit, semel vel bis leviter circumducens purificatorium.

2. Deponit Calicem ; purificatorium in duas æquales partes plicat et appendit pollici sinistro ; sinistra iterum Calicem accipit ut supra ad nodum, ita ut purificatorium cooperiat pedem Calicis a parte anteriori, et guttas vini vel aquæ forte destillantes excipiat. Dextera accipit ampullam vini de manu ministri : si ampulla non est vitrea, certiorem se reddit de vino ; effundit vinum, non in medio, sed juxta parietem Calicis, in ea decenti quantitate, quæ unico haustu facile, et sine interruptione sumi potest ; dein ampullam reddit.

3. Eodem modo sinistra tenens Calicem ad nodum,

absque prævia manuum junctione producit signum Crucis super ampullam aquæ (Q. 168, 2°), dicens secreta voce : *Deus qui humanæ substantiæ* ; facta Cruce, dum prosequitur Orationem, accipit cochlear et extrahit de ampulla aquam, (vel, si cochleari non utitur, accipit ampullam), et tres vel quatuor aquæ guttas miscet vino in Calice, cum dicit : *da nobis per hujus aquæ et vini mysterium* ; quod in cochleari remanet aquæ, refundit in ampullam, (vel ipsam reddit ampullam). Manum sinistram a nodo Calicis retrahit, cochlear purificatorio abstergit, et reponit juxta Calicis velum ; cum dicit *Jesus Christus*, caput profunde Cruci inclinat ; dein purificatorio cooperit indicem dexterum ; sinistra iterum tenet Calicem ad nodum, et indicem dexterum purificatorio circumvolutum circumducit intra Calicem, guttulas dispersas abstergens. Caveat in hac actione, nimium elevare brachium dextrum. Quo facto, purificatorium ambabus manibus componit, plicat in duas æquales partes, et reponit, cum extremitatibus versus parietem seu gradum candelabrorum, juxta Corporale, ita ut cooperiat Patenæ partem nondum coopertam.

Nota. De abstersione guttularum intra Calicis cuppam nihil dicit Rubrica ; eam tamen non omittet Sacerdos. Ad dubium : « An Sacerdos debeat extergere purificatorio guttas vini adhærentes lateribus interioribus cuppæ Calicis, quæ aliquando resiliunt dum præparatur ipsemet Calix ? » S. Rituum Congregatio censuit respondendum : « Praxim extergendi Calicem purificatorio magis congruere, et summopere laudabilem esse. » (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 14, antiq. 4526, ad 28.)

Q. 217. *Indica cæremonias servandas pro oblatione Calicis, ejusque depositione super Altare.*

R. 1. Sacerdos, deposito juxta Corporale purificatorio, manus jungit, ad medium Altaris accedit ; sinistram super Altare reponit ; dextera Calicem ad nodum accipit inter pollicem et reliquos digitos, eumque adducit supra medio Corporali ante faciem, ita ut cuppa sit ad altitudinem oculorum ; simul sinistram ad Calicis pedem admovet, tenens pollicem supra —, reliquos digitos infra pedem ; cubitos non extendit sed versus pectus reclinatos tenet ; elevat oculos ad Crucem, et secreto dicit Orationem *Offerimus*, toto tem-

pore Orationis Calicem elevatum, oculosque elevatos tenens.

2. Dicta Oratione, demittit oculos, et Calicem, tenens hunc eodem modo ad distantiam quatuor digitorum a Corporali ; cum eo facit signum Crucis super Corporalis mediam plicaturam, eumque mox reponit super istam plicaturam. — Si sacri lapidis amplitudo sit conveniens, inter Hostiam et Calicem trium circiter digitorum spatium relinquatur ; ita enim postea facilius colligi poterunt fragmenta, si quæ sint. — Calice deposito, sinistræ digitos indicem et medium retinet super pedem Calicis, dextera accipit pallam inter pollicem et indicem cum medio, eaque Calicem cooperit.

218. In spiritu. — Junctis manibus et super Altare positis (Q. 167, 3°), Sacerdos corpore mediocriter inclinato (Q. 165, I), dicit secreto Orationem : *In spiritu humilitatis.*

219. Veni sanctificator. — Erectus ab inclinatione, Sacerdos elevat oculos ad Crucem (Q. 169, II), manus expandit, elevat usque ad humeros, rejungit ante faciem, reducit ante pectus (Q. 167, 8°), dum etiam oculos demittit, interea dicens secreto : *Veni sanctificator omnipotens æterne Deus* ; cum prosequitur : *et benedic*, sinistram ponit super Altare, et dextera benedicit Calicem et Hostiam communiter (Q. 168, 2°, 7). Manibus iterum ante pectus junctis, prosequitur Orationem : *hōc sacrificium, etc.*

220. Lotio manuum. — Dicta Oratione, Sacerdos junctis ante pectus manibus accedit ad cornu Epistolæ ; ibi stans, sinistro latere ad Altare converso, lavat manus, scilicet non manus integras, sed tantum extremitates digitorum pollicis et indicis utriusque manus, dexteros super sinistros ponens, reliquosque digitos ab iis separatos ad invicem conjunctos tenens, dum minister aquam fundit. — Pro instrumentis ad manuum lotionem adhibendis cfr. QQ. 88, 89. — Interea incipit secreto Psalmum *Lavabo*. Lotis aqua manibus, accipit a ministro manutergium, easque, conversus ad Altaris parietem, tergit, dum continuat dicere versus Psalmi ;

quo facto, redditoque manutergio ministro, junctis manibus terminat Psalmum. Ad ℣. *Gloria Patri* caput profunde versus Crucem Altaris inclinat, et cum incipit ℣. *Sicut erat*, revertitur ad Altaris medium, ita ut versum terminet in accessu ad medium.

221. Suscipe sancta Trinitas. — Sacerdos ante medium Altaris reversus, oculos ad Deum, scilicet ad Crucem elevat et statim demittit (Q. 169, II) ; manus junctas ponit super Altaris oram (Q. 167, 3°) ; corpus mediocriter inclinat (Q. 165, I), et dicit secreto Orationem : *Suscipe sancta Trinitas* ; ad nomina Jesu et Mariæ non profundius caput inclinat, quia jam est inclinatus.

Nota. In hac Oratione textus Missalis habet : *in honorem beatæ Mariæ semper Virginis* ; quæ lectio videtur quibusdam offendere latini sermonis regulas, et in nonnullis Missalibus et præsertim Tabellis legitur : *in honore*. Hæc textus Missalis correctio non est admittenda ; etenim ad dubium : « In Ordine Missæ post *Lavabo* in Oratione : *Suscipe, Sancta Trinitas*, plures recentiores Rubricistæ graves dicunt loco *in honorem B. Mariæ semper Virginis* esse legendum : *in honore B. M. semper Virginis*. Estne horum sententia sequenda et correctio hoc in loco Missalis facienda ? » S. Rituum Congregatio rescripsit : « Legendum : *in honorem*. » (Decret. 25 Maji 1877, n. 3421, antiq. 5694, ad 3.)

222. Orate fratres. — Dicta Oratione *Suscipe*, Sacerdos manus junctas extendit et ponit super Altare (Q. 167, 5°, A), illudque osculatur in medio (Q. 166, 2°). Mox se erigit, manusque jungit ante pectus, et a sinistra ad dexteram, seu per suam dexteram, seu versus cornu Epistolæ vertit se ad populum, remanens in medio Altari, demissis oculis ad terram. Manus extendit et mox iterum jungit, cum dicit voce media (Q. 170, 2°): *Orate fratres*. Junctis manibus, prosequitur secreto : *ut meum ac vestrum sacrificium, etc.*, interea, quin versus populum subsistat, se convertens ad Altare per suam dexteram, seu versus cornu Evangelii, perficiendo lente circulum. Ad Altare conversus, cum minister responderit et finierit *Suscipiat, etc.*, post verba *Ecclesiæ suæ sanctæ*, Sacerdos submissa voce dicit *Amen*.

223. Secretæ. — Sacerdos mox manus ante pectus

extendit, et remanens in medio Altaris, capite ad Missale converso, e libro legit Orationem secretam (vel Orationes secretas, si plures sint dicendæ), eodem modo (numero et ordine), quo dixit Orationem (vel Orationes) ante Epistolam (cfr. QQ. 203-207); excepto quod dicitur (vel dicuntur) sine *Dominus vobiscum*, sine *Oremus*, et voce secreta ; et quod, si plures sint dicendæ, post primam conclusionem Sacerdos ipse sibi respondet voce secreta *Amen*. — Ad conclusionem Secretæ, vel si plures Secretæ sunt dicendæ, ad conclusionem primæ et ultimæ Secretæ, jungit manus, vel ad verba *Per Dominum*, aut *Per eumdem Dominum*, vel si Secreta aliter concluditur, nempe per verba *Qui tecum vivit*, aut *Qui vivis*, cum dicit *in unitate*. (Cfr. Q. 204.) — Si folia sunt vertenda, id fit manu sinistra, dextera interim posita super Altare (Q. 167, 9°).

Q. 224. *Qua voce proferuntur verba conclusionis Secretæ quæ dicitur immediate ante Præfationem, post verba* in unitate etc *? Quæ sunt diversæ manuum positiones dum dicitur Præfatio, et quibuscum cæremoniis dicitur* ℣. Gratias agamus Domino Deo nostro *?*

R. In fine Secretæ, vel ultimæ Secretæ, cum voce secreta dixit *in unitate Spiritus sancti Deus*, Sacerdos manus disjungit, dexteram ponit super Altare, sinistra vertit folia ad Præfationem, et mox utramque manum extensam ponit super Altare (Q. 167, 5°, A) ; deinde voce clara absolvit Secretæ conclusionem dicens : *Per omnia sæcula sæculorum*. — Manibus super Altare retentis, servata voce clara usque ad finem Præfationis, dicit : *Dominus vobiscum*. — Ad verba *Sursum corda*, elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus (Q. 167, 4°). — Ad ℣. *Gratias agamus Domino Deo nostro*, manus jungit ante pectus, quin eas magis elevet (Q. 167, 6°), et cum dicit *Deo nostro*, oculos elevat ad Crucem et statim demittit (Q. 169, II), et Cruci caput profunde inclinat. — Responso *Dignum et justum est*, manus iterum ante pectus extendit, et prosequitur Præfationem. Cum occurrunt nomina Jesu aut Mariæ, caput debite inclinat ; scilicet versus Crucem cum nominatur nomen Jesus ; ad nomen B. Mariæ Virginis vero, versus librum,

nisi in loco principali Altaris habeatur simulacrum, vel imago B. Mariæ Virginis, in quo casu Sacerdos ad ipsam caput inclinat (Q. 165).

Q. 225. *Indica cæremonias servandas cum dicitur Trisagion* Sanctus.

R. Absoluta Præfatione, Sacerdos manus ante pectus jungit (non super Altare ponit), corpus mediocriter inclinat (Q. 165, I), et voce media (Q. 170, 2°) dicit totum Trisagion *Sanctus*. Antequam dicat *Benedictus*, se totaliter erigit, et cum illud dicit eadem voce media, manu sinistra infra pectus posita, dextera signum Crucis producit a fronte ad pectus (Q. 168, 1°), sequenti ratione verba distribuens : ad f. *Benedictus*, ad p. *qui venit*, ad h. s. *in nomine*, ad h. d. *Domini* ; dein prosequitur : *Hosanna in excelsis*. Post signum Crucis non jungit manus (cfr. Q. 202, Nota), sed mox dexteram ponit super Altare, et sinistra vertit folia ad initium Canonis.

Nota. Observandum est quod, post Præfationem quæ tota fuit dicta voce clara, Hymnus *Sanctus* quo Præfatio concluditur, dici præscribitur voce media seu mediocri. Singularis primo aspectu videtur hæc vocis mediæ præscriptio : etiamsi optime conveniat supplici confessioni seu humili laudationi, animadverti tamen potest Hymnum in Missis solemnibus a populo cantari, et quidem in Festis modulatione elata. Ratio dari potest sequens : Primitus seu priscis temporibus Sacerdos et populus simul cantabant Hymnum, et Sacerdos incipiebat Canonem tantum post absolutum Hymnum ; quando autem decursu temporis populus aut potius chorus longiori sæpe modulatione cantaret Hymnum, Sacerdoti permissum fuit, ne diutius differre cogeretur initium Canonis, ut solus ipse infra cantum recitaret Hymnum, et pergeret in celebratione ; recitabat Sacerdos Hymnum voce quæ non ab omnibus præsentibus sed tantum a circumstantibus poterat audiri, seu voce mediocri. Unde postea variatio vocis ad Hymnum a voce ad Præfationem generatim in omnibus Missis fuit præscripta, quemadmodum et hodiedum ipsam præscribit Rubrica.

ARTICULUS VI

De Canone Missæ usque ad Consecrationem

Textus. (Tit. VIII.) — 1. Finita Præfatione, ut supra, Sacerdos stans ante medium Altaris versus ad illud, extendit et aliquantulum elevat manus, oculisque elevatis ad Deum, et sine mora devote demissis, ac manibus junctis, et super Altare positis, profunde inclinatus incipit Canonem, secreto dicens : *Te igitur etc.* ut in Ordine Missæ. Cum dicit : *Uti accepta habeas, et benedicas etc.,* prius osculatur Altare in medio, deinde erigit se, et stat junctis manibus ante pectus. Cum dicit : *Hæc † dona, hæc † munera, hæc sancta † sacrificia,* dextera manu signat ter communiter super Hostiam, et Calicem. Deinde extensis manibus ante pectus prosequitur : *In primis quæ tibi offerimus etc.*

2. Ubi dicit : *una cum famulo tuo Papa nostro N.,* exprimit nomen Papæ : Sede autem vacante verba prædicta omittuntur. Ubi dicitur : *et Antistite nostro N.,* specificatur nomen Patriarchæ, Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarii in propria Diœcesi, et non alterius Superioris, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi jurisdictione. Si vero Episcopus ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita functus, prædicta verba omittuntur, quæ etiam omittuntur ab iis, qui Romæ celebrant.

3. Cum dicit : *Memento Domine,* elevans et jungens manus usque ad faciem, vel pectus, sic junctis manibus stat paulisper in quiete, demisso aliquantulum capite, faciens commemorationem vivorum Christi fidelium ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult, secreto commemorat : non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam vivos, quam defunctos, pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.

4. Commemoratione vivorum facta, demissis, et extensis, ut prius, manibus, continuat : *Et omnium circumstantium etc.* Similiter stans prosequitur : *Communicantes.* Cum dicit : *Jesu Christi,* caput Cruci inclinat : in conclusione, quando dicit : *per eumdem,* jungit manus Cum dicit : *Hanc igitur oblationem,* expandit manus simul super oblata, ita ut palmæ sint apertæ versus ac supra Calicem et Hostiam, quas sic tenet usque ad illa verba : *Per Christum Dominum nostrum.* Tunc enim jungit manus, et sic prosequitur : *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus* ; et cum dicit : *bene † dictam, adscri † ptam, ra † tam,* communiter signat ter super Hostiam et Calicem simul : deinde

cum dicit : *ut nobis Corpus,* separatim signat semel super Hostiam tantum : et cum dicit : *et Sanguis,* semel super Calicem tantum : deinde elevans, et jungens manus ante pectus, prosequitur : *fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi,* inclinans caput Cruci.

Q. 226. *Indica diversas cæremonias a Sacerdote servandas antequam incipiat primam Canonis Orationem* Te igitur.

R. Sacerdos postquam sinistra folia Missalis vertit ad initium Canonis, mox manus jungit ante pectus, extendit, aliquantulum elevat, rejungit et demittit (Q. 167, 8°), simulque oculos ad Crucem elevat et sine mora devote demittit (Q. 169, II) ; manus demissas junctas ponit super Altaris oram (Q. 167, 3°), et profunde inclinat corpus, ita scilicet ut ejus frons fere tangat mensam, seu superiorem partem Altaris (Q. 165, I).

Nota. I. S. Rituum Congregatio per Decretum 11 Decembris 1897, quo præscripsit quasdam additiones et variationes inducendas in Rubricis Missalis, inter alia præcepit, ut in Rubrica Ritus celebrandi Missam (Tit. VIII, n. 1) ad hunc locum inseratur vox « extendit ». Non facile intelligitur hæc vox, nisi in supposito quod S. Congregatio intendit præcipere ut manus non junctæ ante extensionem jungantur et tunc extendantur.

Nota. II. Animadvertendum est quod Sacerdos interea dum peragit istas cæremonias nihil dicere potest, et incipere debet Orationem *Te igitur* tantum cum profunde inclinatus est. (Cfr. infra Q. 228.) Clara et aperta est Rubrica, quæ dicit quod Sacerdos, his omnibus jam peractis, cum est « profunde inclinatus incipit Canonem, secreto dicens : *Te igitur etc.* » Similiter clare præscribitur in ipso Canone Missæ, quod Sacerdos, cæremoniis præmissis, « profunde inclinatus ante Altare, manibus super eo positis, dicit : *Te igitur etc.* » Ideo ad dubium : « An Sacerdos dicere debeat *Te igitur* in principio Canonis, dum elevat manus et oculos, vel incipere debeat dum est jam profunde inclinatus? » S.Rituum Congregatio censuit respondendum: « Servanda Rubrica de ritu servando in celebratione Missæ Tit. VIII, num. 1 ; et altera Canoni præfixa. » (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 19, antiq. 4526, ad 33.)

Equidem fatendum est cæremonias, quæ hic præscribuntur pro manibus et oculis, descriptas in Ritu celebrandi Missam in tempore indicativo aut præterito (extendit, elevat, elevatis, demissis, junctis), in Ordine Missæ seu in ipso Canone describi in participio præsenti (extendens, elevans, jungens, elevans, demittens) ; unde dubium oriri posset circa simultatem gestuum cum prolatione verborum, quæ reguntur verbo principali « dicit » (Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 422 et 676) ; nihilominus admittendum est utramque Rubricam, et Ritus et

Canonis, præscribere, quod Sacerdos nonnisi « inclinatus » dicere potest : *Te igitur etc.* ; porro omnes cæremoniæ præscriptæ necessario præcedunt inclinationem. (Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 684.) Ergo prolatio verborum debet subsequi gestus seu cæremonias.

Q. 227. *Qua voce dici debent Orationes Canonis ?*

R. Orationes Canonis, qui proprie extenditur usque ad *Pater noster* exclusive, omnes dici debent voce secreta (Q. 170, 3°) ; exceptis verbis *Nobis quoque peccatoribus*, quæ dicuntur voce mediocri (Q. 170, 2°), et ultimæ Orationis ultimis verbis : *Per omnia sæcula sæculorum*, ante Orationem Dominicam, quæ clara voce dicuntur.

Magni momenti est hic ritus de voce secreta in recitatione Canonis Missæ, super quo Concilium Tridentinum constituit : « Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse ; anathema sit. » (Sessio XII, De Sacrificio Missæ, Canon IX.) De gravitate peccati in transgressione hujus Rubricæ dicitur apud theologos. (Cfr. S. Alphonsus de Liguori, *Theologia moralis*, Lib. VI, n. 416.)

Placet etiam obiter hic notare, quod non licet memoriter recitare Canonis Orationes, iis exceptis quas Sacerdos dicere debet inclinatus, vel infra quas actiones quædam sunt peragendæ, uti signa Crucis super oblata, elevationes oculorum, etc. (Cfr. Schober, *S. Alphonsi de Liguori Liber de Cæremoniis Missæ*, 1888, Cap. II, n. 17, nota 30.)

228. Sacerdos profunde inclinatus ante Altare, manibus super eo positis (Q. 226), incipit Canonem secreto dicens : *Te igitur etc.* Post verba : *rogamus ac petimus*, manus separat et ponit super Altare (Q. 167, 5°, A), illudque osculatur in medio (Q. 166, 2°) ; cum continuat : *uti accepta habeas et benedicas*, erigit se et manus jungit ante pectus. Mox sinistram super Altare ponit extra Corporale, et dextera signat communiter super Hostiam et Calicem (Q. 168, 2° 7), dicens ad primæ Crucis lineam rectam *hæc*, ad transversam *dona* ; ad secundæ Crucis l. r. *hæc*, ad tr. *munera* ; ad tertiæ Crucis l. r. *hæc*, ad tr. *sancta* ; statim post tertium signum Crucis iterum manus,

quin eas prius jungat, tenens extensas ante pectus, dicit : *sacrificia illibata* ; et continuat Orationem.

Cum Sacerdos dicit : *una cum famulo tuo Papa nostro N.*, exprimit nomen Papæ regnantis, et facit inclinationem capitis minimam versus librum, eamque facit in omni Missa, etiam de *Requiem* ; et prosequens : *et Antiste nostro N.*, exprimit nomen Episcopi Diœcesis in qua celebrat, sed sine capitis inclinatione.

Nota. Quoad inclinationem ad nomen Episcopi, S. Rituum Congregatio declaravit, quod ubi ejus nomen legitur in Collecta Missæ (cfr. Q. 205, 4), Episcopo ibidem assistente, debere fieri capitis inclinationem versus librum. (Decret. 13 Martii 1700, n. 2049, antiq. 3551, ad 3.) Eadem ratio exstare æstimatur pro nomine Episcopi occurrente in Canone ; ita ut si in Collecta ad ejus nomen caput fuerit inclinatum versus librum,idem jam fiat ad ejusdem nomen in Canone ; imo non perperam deduci posse videtur, caput esse inclinandum ad nomen Episcopi in Canone, quoties Episcopus Missæ assistit, etiamsi Collecta non fuisset pro ipso dicta.

Q. 229. *Quid notandum est pro commemoratione Papæ, et Antistitis, in hac prima Oratione Canonis ?*

R. I. Pro commemoratione Papæ exprimitur ad litteram N. nomen Papæ regnantis, sed sine nominis numero. Cum exprimitur nomen, facienda est inclinatio capitis dirigenda versus librum (S. Rituum Congregatio, Decret. 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 25.) Hæc capitis inclinatio est minima (Q. 165, II). — Apostolica Sede vacante, omittuntur verba : *famulo tuo Papa nostro N., et*, ac dicitur : *una cum Antistite nostro N.*

II. Pro commemoratione Antistitis exprimitur ad litteram N. nomen Episcopi Ordinarii illius Diœcesis in qua celebratur Missa, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi jurisdictione. — Ut nomen Episcopi possit exprimi, requiritur quod sedis suæ possessionem ceperit, per se vel per procuratorem ; non sufficit quod habeatur electionis Episcopi notitia aliqualis, nequidem notitia officialiter habita ejusdem electionis in Consistorio ; sed tantum exprimendum est nomen a die captæ possessionis vel per Episcopum ip-

sum, vel per suum procuratorem. (S. Rituum Congregatio, Decret. 4 Julii 1879, n. 3500, antiq. 5789, ad 2.) Non requiritur ut Episcopus sit consecratus. — Nomen Administratoris Diœcesis, etsi dignitate Episcopali foret insignitus, in Canone non debet exprimi. (Decreta 22 Augusti 1722, n. 2274, antiq. 3952, ad 5; et 9 Maji 1857, n. 3047, antiq. 5239, ad 4.)

Si Episcopus Diœcesis vita sit functus, omittuntur verba : *et Antistite nostro N.* — Hæc verba etiam omittuntur ab eis qui Romæ celebrant, quia Sedem Romanam tamquam Episcopus proprius occupat Summus Pontifex, qui jam nominatus fuit. — Si Celebrans ipse est Episcopus, omissis prædictis verbis, eorum loco dicit : *et me indigno servo tuo.*

Sacerdos alienæ Diœcesis debet, relicto nomine sui Episcopi, exprimere nomen Episcopi Diœcesis in qua celebrat. Si nomen hoc ignoret, dicet : *et Antistite nostro*, mente intelligendo Episcopum illius loci. Ut debitum nomen exprimi ab omnibus Sacerdotibus valeat, congrue in omnibus sacristiis appenditur tabella, in qua nomen Episcopi loci describitur.

(Quædam peculiaria hac super re ulterius notantur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani, Q. 165, in Notis.)

Q. 230. *Quomodo fit Commemoratio pro vivis in Canone ?*

R. I. Pro cæremoniis observandis notandum est, quod Sacerdos cum dicit : *Memento, Domine, famulorum, famularumque tuarum*, manus ante pectus extensas lente jungit et paululum attollit, ita ut, incepta junctione et elevatione ad verbum *Memento*, junctæ sint ad summitatem pectoris ad verbum *tuarum*, easque junctas tenet ante eamdem summitatem prope mentum, quin illud tangant. (Cfr. Q. 167, 2°, Nota.) Capite tunc profunde inclinato, clausisque oculis, facit commemorationem vivorum Christi fidelium. Post brevem moram, erecto capite, disjunctisque manibus et ante pectus extensis, prosequitur Orationem.

II. De ipsa Commemoratione, pro quibus, et quo ordine, et modo fiat, notatur :

Commemoratio pro vivis, ad litteras *N. et N.*, fit, in

quantum privata Sacerdotis est Oratio, ad suam voluntatem. Congruus et æquus ordo videtur, si Sacerdos memoriam faciat : 1° sui ; 2° eorum qui stipendium dederunt, seu erga quos ratione stipendii, aut applicationis Missæ fructus obligatur (ita faciendo simul opportune, renovat intentionem applicationis Sacrificii) ; 3° suorum parentum, consanguineorum, amicorum, et aliorum ad suam voluntatem.

Commemoratio hæc fieri potest vel voce secreta, vel mente tantum. Litteræ *N. et N.* appositæ Sacerdotem monere videntur, ut eorum exprimat nomina, pro quibus peculiariter intendit orare, sed hoc non requiritur.

Quod si Sacerdos pro pluribus orare intendit, potest ante Missam, ne circumstantibus sit morosus, in animo sibi proponere omnes pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum vivorum Commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.

Breviter fiat hæc Commemoratio, non tamen momentaneo tantum temporis spatio : Memento, ne *Memento* fiat in momento, ait Gavantus. (*Thesaurus sacrorum rituum*, Pars 2, Tit. VIII, n. 3.) Spatium sub quo recitari potest Oratio Dominica videtur congrua mensura.

Exemplum Commemorationis ante Missam instituendæ traditur in variis precum libris. (Cfr. *Manuale Clericorum*, ad usum alumnorum Seminarii Mechliniensis. Editio secunda, anni 1898, pag. 148.)

(Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, Q. 166, II.)

Q. 231. *Quænam observanda sunt pro recitatione Orationis quæ incipit* **Communicantes** *?*

R. I. Sacerdos stans manibus ante pectus extensis, prosequitur Orationem quæ inscribitur *Infra Actionem*, et quæ incipit *Communicantes*. (Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, Q. 168.)

II. Sex sunt Festa, in quibus, et per quorum Octavas proprium *Communicantes* dici debet, scilicet :

1° Feria V in Cœna Domini ;

2° Sabbato sancto, in Festo Paschatis, et per Octavam usque ad sequens Sabbatum inclusive :

3° In Vigilia Pentecostes, in Festo Pentecostes, et per Octavam usque ad sequens Sabbatum inclusive ;

4° In Festo et per Octavam Nativitatis Domini ;

5° In Festo et per Octavam Epiphaniæ ;

6° In Festo et per Octavam Ascensionis Domini.

Quando proprium *Communicantes* dici debet, Sacerdos omittit illud quod ponitur in ipso Canone, et posita dextera super Altare, sinistra vertit folia, ut reperiat proprium quod post relativas Præfationes describitur. (De hac Oratione *Communicantes* propria ulterius quædam notantur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani, Q. 169.)

III. Inclinationes capitis occurrunt, quædam semper, quædam aliquando faciendæ infra hanc Orationem, scilicet :

1° Cum dicit *Jesu Christi*, Sacerdos semper caput profunde inclinat versus Crucem.

2° Ad nomen B. Mariæ Virginis, Sacerdos semper facit capitis inclinationem mediocrem versus librum, aut si in loco principali Altaris habeatur simulacrum vel imago B. Mariæ Virginis, versus hanc imaginem. (Cfr. Q. 165, II.)

3° Occurrunt in hac Oratione varia nomina Sanctorum, Apostolorum scilicet, et duodecim Martyrum.

Ad dubium : « An debeat Sacerdos pronuncians in Canone Missæ nomen alicujus Sancti, de quo factum est Officium, vel saltem Commemoratio, facere inclinationem capitis ? » S. Rituum Congregatio censuit respondendum : « Affirmative. » (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 20, antiq. 4526, ad 34.)

a) Fit ergo inclinatio in Festo horum Sanctorum, sive de ipsis dicatur Missa, sive fiat de eis tantum Commemoratio specialis, si, ex. gr., Festum eorum est ritus simplicis, aut ad ritum simplicem fuit redactum, et de alio Officio dicatur Missa. (Decret. 13 Februarii 1892, n. 3767, ad 25.) Fit etiam inclinatio infra Octavam Festi horum Sanctorum, quando de Octava dicitur Missa, aut fit Commemoratio ; Octava enim est continuatio Festi. Sed ex præfato Decreto deducitur inclinationem non esse faciendam in Vigiliis Festorum istorum Sanctorum quæ Vigiliam habent, etiamsi de Vi-

gilia dicatur Missa, aut fiat Commemoratio. (Cfr. Q. 205.)

b) Sed fieri potest, quod de Sanctis in hac Oratione nominatis infra eorum Octavam non fiat Commemoratio specialis, ratione ritus classici Festi de quo Missa dicitur. Ex. gr., infra Octavam SS. Apostolorum Petri et Pauli occurrit, 2 Julii, Festum duplex 2 classis Visitationis B. Mariæ Virginis ; infra Octavam S. Laurentii, Martyris, occurrit, 15 Augusti, Festum duplex 1 classis Assumptionis B. Mariæ Virginis ; infra Octavam S. Stephani, Martyris, aut S. Joannis, Apostoli et Evangelistæ, occurrit, 1 Januarii, Festum duplex 2 classis Circumcisionis Domini ; — hæc Festa tantæ sunt celebritatis ut rejiciant Commemorationem diei infra Octavam SS. Petri et Pauli, S. Laurentii, S. Stephani, S. Joannis. In tali casu, etiamsi in Missa Festi occurrentis omittenda sit Commemoratio diei infra Octavam, nihilominus, ubi in Festi Missa, et nominatim hic in Canone pronuntiandum venit nomen Sancti Octavam habentis, infra ejus Octavam caput inclinari debet ad ejus nomen. Ratio est quia hæc Sancti Octava in casu non ex toto evanescit seu cessat, sed tantum aliquale impedimentum per accidens supervenientis Festi invenit quominus ejus Commemoratio in Missa Festi fiat. Si autem hujusmodi Octava abrumperetur et evaneseeret ex toto, ex. gr., superveniente Quadragesima infra quam omnis Octavæ celebratio omnino cessare debet, aut suspensa remaneret, uti in Missis de *Requiem*, quæ prorsus nihil commune habent cum Officio diei, jam Commemoratio Octavæ per se non fieret, et proinde inclinatio omitteretur ad nomen Sancti in Missa occurrentis. — Ita statutum fuit per sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « An infra Octavam alicujus Sancti Octavam habentis, cujus nec Officium recitatur nec fieri Commemoratio per accidens potest, caput inclinari debeat, quando dicti Sancti nomen occurrit in Missa ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret 19 Junii 1903, *Ordinis Fratrum Minorum*, ad 1 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 455 ; et præclarum Commentarium super hoc Decreto, ibidem, pag. 456.)

c) Fit inclinatio capitis ad nomina horum Sanctorum

versus librum ; sed si in loco principali Altaris habeatur statua vel imago Sancti qui nominatur, ad hanc caput inclinatur. (Cfr. Q. 165, II.)

d) Nominantur in hac Oratione, post B. Mariam Virginem, primum Sancti duodecim Apostoli ; notatur Sanctum Jacobum primo loco positum, esse Majorem, cujus Festum celebratur 25 Julii, et secundo loco nominatum esse Minorem, cujus Festum celebratur 1 Maji ; — deinde nominantur duodecim Sancti Martyres sequentes : Quinque Romani Pontifices : Linus, cujus festus dies occurrit 23 Septembris ; Cletus, 26 Aprilis ; Clemens, 23 Novembris ; Xystus, probabiliter hujus nominis S. Pontifex II, 6 Augusti ; (nomen ejus exprimitur sermone græco, antiquitus magis usitato pro latino Sixto) ; Cornelius, 16 Septembris ; — Septem Martyres : Cyprianus, 16 Septembris ; Laurentius, 10 Augusti ; Chrysogonus, 24 Novembris ; Joannes et Paulus, 26 Junii ; Cosmas et Damianus, 27 Septembris. (Cfr. plura de his dicta in Tractatu de Rubricis Missalis Romani, Q. 167, in Nota.)

IV. Ad conclusionem hujus Orationis *Per eumdem*, Sacerdos manus ante pectus jungit.

232. Hanc igitur. — Dicto *Amen* in fine præcedentis Orationis, Sacerdos ducit manus junctas usque super medium pallæ, ibique eas expandit ex parte parvorum digitorum super oblata, ita ut palmæ sint apertæ versus ac supra Calicem et Hostiam. — Indices utriusque manus sint juncti a parte eorum laterali ; et pollices remaneant dexter super sinistrum in modum Crucis positi, supra manus, non vero infra manus. (S. Rituum Congregatio, Decret. 4 Augusti 1663, n. 1275, antiq. 2241, ad 5.) — Manus pallam non tangant, sed ab ea circiter duorum digitorum spatio teneantur. — Caveatur etiam ne cubiti indecore extendantur aut eleventur, sed corpori prope pectus, quantum fieri potest, adhærentes teneantur. — Ita tenens manus, Sacerdos dicit Orationem *Hanc igitur*. Ad ejus conclusionem *Per Christum*, manus supra Calicem et Hostiam claudit, et clausas ante pectus refert et tenet.

Aliquando hæc Oratio propria dicitur, ut notatur in Tractatu de Rubricis Missalis Romani, Q. 170.

233. QUAM OBLATIONEM. — Junctas tenens manus, Sacerdos prosequitur, et dicit Orationem *Quam oblationem*. Sinistra reposita super Altare, extra Corporale, ad verbum *quæsumus*, cum dein dicit *benedictam, adscriptam, ratam*, communiter signat ter super Hostiam et Calicem simul (Q. 168, 2°, 7), dicens ad primæ Crucis lineam rectam *bene-*, ad transversam *-dictam* ; ad secundæ Crucis l. r. *adscri-*, ad tr. *-ptam* : ad tertiæ Crucis l. r. *ra-*, ad tr. *-tam*. Dum dein prosequitur : *rationabilem, acceptabilemque facere digneris : ut nobis*, retenta semper sinistra super Altare, dexteram ducit, de latere pallæ, super Hostiam : sed lentius manum movet, ita ut interea pronuntiare queat hæc verba, quin habeatur inter tertiam Crucem factam, et sequentem faciendam interruptio alia quam necessarius dexteræ motus ; et cum dexteram tenet supra Hostiam ad verba, *ut nobis*, mox Crucem efficit super Hostiam tantum (Q. 168, 2°, 7), dicens ad l. r. *Cor-*, ad tr. *-pus* : reducit deinde dexteram a parte anteriore supra pallam, et Crucem efficit super Calicem tantum, dicens ad l. r. *San-*, ad tr. *-guis* ; statimque jungens ambas manus ante pectus, prosequitur : *fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi*, quod nomen cum dicit, caput profunde Cruci inclinat.

ARTICULUS VII

De Consecratione

§ 1. De Consecratione Hostiæ

TEXTUS. (Tit. VIII.) — 1. Extergit, si opus fuerit, pollices et indices super corporale, et dicit secreto, ut prius : *Qui pridie quam pateretur* : et accipiens pollice et indice dexteræ manus Hostiam, et eam cum illis, ac indice et pollice sinistræ manus tenens, stans erectus ante medium Altaris, dicit : *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas*, elevansque ad cœlum oculos, et statim demittens, dicit : *et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem*, caputque aliquantulum inclinans, dicit : *tibi gratias agens*, et tenens Hostiam inter pollicem et indicem sinistræ manus, dextera producit signum Crucis, super eam, dicens : *benе* † *dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens : Accipite, et manducate ex hoc omnes.*

2. Cum autem finierit supradicta verba, cubitis super Altare positis, stans capite inclinato, distincte, reverenter, et secreto profert verba consecrationis super Hostiam ; et Hostiam pollicibus et indicibus tantum tenens, dicit : *Hoc est enim Corpus meum.* Quibus prolatis, Celebrans tenens Hostiam inter pollices et indices prædictos super Altare, reliquis manuum digitis extensis, et simul junctis, genuflexus eam adorat. Tunc se erigens, quantum commode potest, elevat in altum Hostiam, et intentis in eam oculis (quod et in elevatione Calicis facit) populo reverenter ostendit adorandam : et mox sola manu dextera ipsam reverenter reponit super Corporale in eodem loco unde eam levavit, et deinceps pollices et indices non disjungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere, vel tractare debet usque ad ablutionem digitorum post Communionem.

3. Reposita Hostia consecrata super Corporale, genuflexus ipsam veneratur. Interim dum Celebrans elevat Hostiam, accenso prius intorticio (quod non exstinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in Missa), minister manu sinistra elevat fimbrias posteriores Planetæ, ne ipsum Celebrantem impediat in elevatione brachiorum ; quod et facit in elevatione Calicis : et manu dextera pulsat campanulam ter ad unamquamque elevationem, vel continuate quousque Sacerdos deponat Hostiam super Corporale, et similiter postmodum ad elevationem Calicis.

234. 1. Qui pridie quam paterETUR. — Sacerdos, facta capitis inclinatione ad nomen *Jesu Christi,* nulla mora interposita, statim dicit : *Qui pridie quam paterETUR* ; quæ verba dum profert, extremitates interiores pollicis et indicis utriusque manus extergit, semel vel bis ducendo eas leviter super utramque plicaturam lateralem anteriorem Corporalis. — Rubrica dicit « si opus fuerit » ; convenit tamen ut semper fiat, ut minimus pulvis digitis forte adhærens extergatur.

Nota. I. Non pauci ex nostris Sacerdotibus, seniorum traditione et exemplo, antequam incipiant ritum Consecrationis, regulariter dextera amovent aliquantulum Calicem e medio versus partem Epistolæ, intra limites Corporalis, eo prætextu ut commode legere e Tabella possint ea quæ pro Consecratione dicenda sunt.

Experientia unusquisque certior fieri poterit, hanc amotionem Calicis necessariam non esse. Rubrica ea de re silet : auctores plures hujusmodi praxim ignorant ; pauci eam timide et conditionate, si nempe adsit necessitas, proponunt ; quidam eam aperte improbant.

Regulariter hoc facere certo est improbandum : ergo non fiat.

Attamen, si aliquando necessitas adesset, ex eo quod Sacerdos alias e Tabella legere non posset, quia vel Altare minus profundum est et Calix satis altus, vel ritus Consecrationis impressus habetur in inferiore Tabellæ parte, tunc Sacerdos, facta capitis inclinatione ad nomen *Jesu Christi*, sinistram ponere super Altare et dextera Calicem aliquantulum e medio versus partem Epistolæ amovere poterit.

II. Similiter improbanda est praxis quorumdam, qui, antequam Consecrationis ritum incipiant, prius tussint, se emungunt, manicas elevant, etc. : quæ omnia jam fiunt non ex necessitate, uti probatur ex eo quod regulariter fiunt, sed ex quadam scrupulosa anxietate. Caveamus ab omni singularitate.

2. Accepit panem. — Indice sinistræ manus premit aliquantulum Hostiæ partem superiorem super Corporale, ita ut pars inferior paululum elevetur, et accipit Hostiam inter pollicem et indicem dexteræ manus, in eo loco ubi impressi habentur pedes Crucifixi.

3. In sanctas ac venerabiles manus suas. — Mox pollice et indice sinistræ manus accipit Hostiam ad eumdem locum, ita ut pollices et indices utriusque manus se contingant : et infra Hostiam jungit reliquos digitos extensos utriusque manus, et ipsas manus usque ad pulsum ; ita Hostiam, non quasi jacentem, neque omnino erectam, sed ad faciem Sacerdotis conversam, sustinet paulum a Corporali elevatam, ne manus attingant Corporale ; et ipse Sacerdos stat corpore et capite erectis.

4. Et elevatis oculis in cœlum ad Te Deum Patrem suum omnipotentem. — Interea dum omnia hæc verba dicit, oculos ad cœlum, id est, ad Crucem elevat, et deinde, his verbis dictis, eos demittit.

5. Tibi gratias agens. — Caput profunde inclinat.

6. Benedixit. — Dexteram amovet ab Hostia, quam sola sinistra tenere eodem modo continuat, et producit signum Crucis super Hostiam (Q. 168, 2°, 7), unitis et extensis omnibus dexteræ digitis (pollice et indice nondum junctis), dicens ad lineam rectam *bene-*, ad transversam *-dixit*.

7. Fregit, deditque discipulis suis, dicens : Accipite, et manducate ex hoc omnes. — Hostiam accipit iterum inter pollicem et indicem dexteræ manus, eamque tenet utraque manu ut supra dicitur ad

n. 3, et mox cubitos ponit super Altare, non integros ad nodum usque, sed ita ut pro medietate ponantur super plicaturas laterales anterioris partis Corporalis ; manus Hostiam tenentes et junctas (ut supra n. 3) tenet supra mediam plicaturam anteriorem (quam tamen tangere nullatenus possunt), ita ut Consecratio fiat super sacram petram. Caput inclinat profunde, et etiam humeros, quantum necesse est ut cubiti reponi possint super Altare. Pedes tenet unitos et æqualiter dispositos (Q. 171, I).

8. Profert tunc verba Consecrationis super Hostiam, eo modo ut infra dicetur ad Q. 236.

9. Quibus verbis prolatis, caput erigit ; cubitos extra Altare retrahit ; manus junctas et eodem semper modo S. Hostiam tenentes reducit ad partem anteriorem Corporalis, ibique retinet usque ad pulsos ; genuflectit dextero genu, oculis ad S. Hostiam intentis, adorans eam, cum majori reverentia, et ideo cum aliquali morula (dicit enim Rubrica : « genuflexus adorat »), sed absque ulla inclinatione capitis. — Si vero aliquis æstimaret morulam in genuflexione non esse præscriptam a Rubrica, quæ simpliciter adorationem per genuflexionem requirit, admittere tamen debet hanc genuflexionem in casu a Rubrica saltem intendi factam ea cum gravitate et reverentia, quæ aliqualem morulam importat, ut possit dici pro adoratione facta.

10. Tunc se erigit, et jam totaliter erectus (non prius), S. Hostiam populo reverenter ostendit adorandam : manibus usque ad pulsum semper unitis, eam lente elevat in linea recta supra Corporale, ita ut capitis verticem sufficienter excedat, quo videri ac adorari a populo possit, intentos interea semper in eam oculos tenens ; caveat brachia, seu potius cubitos, immodice expandere. Post unum vel aliud momentum, S. Hostiam eadem linea recta, junctis semper eodem modo manibus, lente demittit. Cum S. Hostia est prope Corporale, retrahit sinistram quam ponit super Corporale (Q. 167, 5°, B) et sola manu dextera S. Hostiam reverenter reponit super medium plicaturæ anterioris Corporalis unde eam levavit, omnem motum corporis sedulo vitans ; dexteram eodem modo super Corporale reponit

quemadmodum deposita jam est sinistra, et dextero genu flexo rursus S. Hostiam veneratur, et se erigit.

Deinceps usque ad ablutionem digitorum, Sacerdos pollices et indices non disjungit, nisi quando S. Hostiam tangere vel tractare debet, et in omnibus agit sicuti describitur Q. 167, ad 1. — Cum Rubrica præscribit manus super Altare esse ponendas, ponuntur semper super Corporale, ut describitur Q. 167, 5°, B.

§ 2. De Consecratione Calicis

Textus. (Tit. VIII.) — Celebrans adorato Sacramento, surgit, et discooperit Calicem, in quem, si opus sit, extergit digitos, quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhæreat ; et stans erectus dicit : *Simili modo postquam cœnatum est*, et ambabus manibus accipiens Calicem juxta nodum infra cuppam, et aliquantum illum elevans, ac statim deponens, dicit *accipiens et hunc præclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas etc.* Cum dicit : *item tibi gratias agens,* caput inclinat ; cum dicit : *benedixit,* sinistra Calicem infra cuppam tenens, dextera signat super eum ; et prosequens : *dedilque discipulis suis etc.,* et ambabus manibus tenens Calicem, videlicet sinistra pedem, dextera nodum infra cuppam, cubitis super Altare positis, et capite inclinato, profert attente, continuate, et secreto, ut supra, verba consecrationis Sanguinis : *Hic est enim Calix etc.* Quibus dictis, reponit Calicem super Corporale, dicens secreto : *Hæc quotiescumque feceritis etc.,* genuflexus Sanguinem reverenter adorat. Tum se erigit, et accipiens Calicem discoopertum cum Sanguine ambabus manibus, ut prius, elevat eum, et erectum quantum commode potest, ostendit populo adorandum : mox ipsum reverenter reponit super Corporale in locum pristinum, et manu dextera palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.

235. 1. Sacerdos erectus ab adoratione S. Hostiæ, ponit super pedem Calicis sinistram, scilicet extremitates interiores medii digiti et annularis, et dextera accipiens pallam inter digitum medium et indicem pollici unitum, eam aufert a Calice atque reponit contra Tabellam a parte Epistolæ.

2. Simili modo postquam cœnatum est. — Sacerdos, cum hæc dicit, elevat manum utramque usque ad cuppam Calicis, ita ut pollices et indices teneantur super medium cuppæ, et palmæ ac reliqui digiti extensi respiciant parietem cuppæ exteriorem ; indices et pollices leviter extergit, ut si quod S. Hostiæ fragmentum

digitis adhæreat, extergatur et in Calicem decidat. Rubrica quidem dicit hanc extersionem esse faciendam « si opus sit » ; cum autem non facile semper dignoscatur an aliquod fragmentum digitis adhæreat, monent auctores hoc ad cautelam semper esse faciendum, in præsenti jam casu, et etiam postea, quoties Sacerdos Sanctam Hostiam tetigerit, et Calix detectus fuerit. Digiti sunt extergendi, juxta Rubricam, id est leviter confricandi ; caveat Sacerdos digitis pluries percutere Calicis oram, posset enim Calix everti.

3. ACCIPIENS ET HUNC PRÆCLARUM CALICEM IN SANCTAS AC VENERABILES MANUS SUAS. — Accipit ambabus manibus (inter indicem pollici junctum et reliquos digitos) Calicem, dextera tenens eum infra cuppam supra nodum, sinistra juxta nodum, eumque elevat aliquantum (circiter quatuor digitorum spatio a Corporali) et statim deponit, retinens eum eodem modo ambabus manibus.

4. ITEM TIBI GRATIAS AGENS. — Caput inclinat profunde versus S. Hostiam.

5. BENEDIXIT. — Sinistra tenens eodem modo Calicem infra cuppam juxta nodum, dextera signat super eum (Q. 168, 2°, 7), dicens ad lineam rectam *bene-*, ad transversam-*dixit*.

6. DEDITQUE DISCIPULIS SUIS, DICENS: ACCIPITE, ET BIBITE EX EO OMNES. — Iterum ambabus manibus tenet Calicem sed alio modo, scilicet dextera ad nodum, sinistra vero ad pedem, ita ut pollex et index juncti sint supra — , reliqui digiti infra pedem ; eumque parumper elevat supra medium Corporalis, et paululum ad se inclinat ; mox cubitos ponit super Altare et super plicaturas laterales anterioris partis Corporalis, ut supra dictum fuit pro Consecratione Hostiæ : caput inclinat profunde, et etiam humeros, quantum necesse est ut cubiti reponi possint super Altare.

7. Profert tunc verba Consecrationis super Calicem, eo modo ut infra dicetur ad Q. 236.

8. HÆC QUOTIESCUMQUE FECERITIS, IN MEI MEMORIAM FACIETIS. — Cum hæc dicit, Calicem reponit super medium Corporalis ; caput erigit, manus extensas super Corporale deponit, genuflectit dextero genu, ado-

rans reverenter et cum aliqua morula S. Sanguinem, sed absque ulla capitis inclinatione.

9. Tum se erigit, et totaliter jam erectus, ambabus manibus accipit Calicem, dextera ad nodum, sinistra ad pedem, suppositis tribus sinistræ ultimis digitis infra pedem, et S. Sanguinem populo reverenter ostendit adorandum ; ideo, Calicem lente elevat in linea recta supra Corporale, quantum commode potest, ita ut saltem cuppa verticem capitis sufficienter excedat, et videri a populo possit (quod erit, si pes elevetur usque ad oculos), intentosque interea semper in eum oculos tenet. Post unum vel aliud momentum, Calicem eadem linea recta lente demittit, et reponit super Corporale. Sinistram ponit super pedem, et dextera pallam reponit super Calicem.

10. Manus super Corporale extensas reponit et dextero genu flexo, rursus S. Sanguinem veneratur, et se erigit.

In elevatione Calicis cavere debet Sacerdos, ne manipulo tangat S. Hostiam cum demittit Calicem : non ideo tamen versus sinistram ducat Calicem, demittens eum linea, non recta, sed curva.

Q. 236. *Quomodo proferenda sunt verba Consecrationis ?*

R. Missale requirit ut dicantur attente et reverenter, secreto, distincte et continuate. Dicitur : *reverenter* : Sacerdos attendat, ne ullum motum capitis vel oris indecorum faciat ; ne Hostiam vel Calicem ori, aut os Hostiæ vel Calici nimis admoveat ; — *secreto* : ita ut Sacerdos seipsum quidem audiat per auditum etiam exteriorem, sed a circumstantibus non audiatur ; — *attente* et *distincte* : ita ut omnes syllabas uniuscujusque verbi pronuntiet perfecte, non tamen nimiopere cum aliqua vehementia aut emphasi, sed naturaliter ; — *continuate* : scilicet : relate ad ipsa verba Consecrationis, quæ proferenda sunt unico tractu, non interposita morula inter unam et alteram vocem ; et insuper, relate ad præcedentia : *Manducate ex hoc omnes*, et *Bibite ex eo omnes*, ne tollatur verborum connexio. — Ob periculum errandi verba legenda sunt e Tabella, et non sunt proferenda memoriter.

De prolatione in sensu assertivo, et non solum narrativo, dicitur in Theologia. (Tractatus de Eucharistia, n° 17, Q. 4.)

ARTICULUS VIII

De Canone post Consecrationem usque ad Orationem Dominicam

Textus. (Tit. IX.) — 1. Reposito Calice, et adorato, Sacerdos stans ante Altare, extensis manibus ante pectus, dicit secreto : *Unde et memores etc.* Cum dicit : *de tuis donis, ac datis,* jungit manus ante pectus : et cum dicit : *Hostiam † puram, Hostiam † sanctam, Hostiam † immaculatam,* manu sinistra posita super Altare intra Corporale, dextera signat ter communiter super Hostiam et Calicem, et semel super Hostiam tantum, et semel super Calicem tantum, dicens : *Panem † sanctum vitæ æternæ, et Calicem † salutis perpetuæ* : deinde stans ut prius, extensis manibus. prosequitur : *Supra quæ propitio etc.* Cum dicit : *Supplices te rogamus etc.,* inclinat se ante medium Altaris, manibus junctis super illo positis. Cum dicit : *ex hac Altaris participatione,* osculatur Altare, manibus hinc inde super Corporale positis. Cum dicit : *sacrosanctum Filii tui,* jungit manus : et dextera signans semel super Hostiam tantum, et semel super Calicem, sinistra super Corporale posita, dicit : *Cor † pus, et San † guinem sumpserimus,* et cum dicit : *omni benedictione † cœlesti,* seipsum signat a fronte ad pectus signo Crucis, sinistra posita infra pectus, et prosequitur : *et gratia repleamur.* Cum dicit : *Per eumdem,* jungit manus.

2. Cum dicit : *Memento Domine famulorum famularumque tuarum etc.,* extensis, et junctis manibus ante pectus, usque ad faciem elevatis, et intentis oculis ad Sacramentum super Altare, facit commemorationem fidelium Defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo, ut dictum est de commemoratione vivorum. Qua commemoratione facta, stans ut prius extensis manibus prosequitur : *Ipsis Domine, et omnibus in Christo etc.,* et in fine ad : *Per eumdem,* jungit manus, et caput inclinat.

3. Cum dicit : *Nobis quoque peccatoribus,* vocem aliquantulum elevat, et dextera manu pectus sibi percutit, sinistra posita super Corporale, et prosequitur secreto : *famulis tuis etc.* stans manibus extensis, ut prius. Cum dicit : *Per Christum Dominum nostrum. Per quem hæc omnia, Domine, semper bona creas,* jungit manus ante pectus : deinde manu dextera ter signans communiter super Hostiam, et Calicem, dicit *sancti † ficas, vivi † ficas, bene † dicis, et præstas nobis.* Postea discooperit manu dextera Calicem, et genuflexus Sacramentum adorat : tum se erigit, et reverenter accipit Hostiam inter pollicem, et indicem dexteræ manus, et cum ea super Calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat ter a labio ad labium,

dicens : *Per † ipsum, et cum † ipso, et in † ipso.* Et similiter cum Hostia signat bis inter Calicem, et pectus, incipiens a labio Calicis, et dicit : *est tibi Deo Pa † tri omnipotenti, in unitate Spiritus † sancti.* Deinde tenens manu dextera Hostiam super Calicem, sinistra Calicem, elevat eum aliquantulum simul cum Hostia, dicens : *omnis honor, et gloria,* et statim utrumque deponens, Hostiam collocat super Corporale, et si opus sit, digitos extergit, ut supra ; ac pollices, et indices ut prius jungens, Calicem palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat.

237. 1. Unde et memores. — Sacerdos, erectus ab adoratione S. Sanguinis, stans extensis manibus ante pectus (Q. 167, 4°), secreto dicit : *Unde et memores, etc.* Cum dicit : *de tuis donis, ac datis,* jungit manus ante pectus (Q. 167, 1°), et mox sinistra posita super Corporale, dextera signat : 1° ter communiter super Hostiam et Calicem (Q. 168, 2°, 7), dicens ad primæ Crucis lineam rectam *Hostiam,* ad transversam *puram* ; ad secundæ Crucis l. r. *Hostiam,* ad tr. *sanctam* ; ad tertiæ Crucis l. r. *Hostiam,* ad tr. *immaculatam* ; — 2° semel super S. Hostiam tantum, adducta super eam dextera (Q. 168, 2°, 7), dicens ad l. r. *Panem,* ad tr. *sanctum* ; et postquam dixerit : *vitæ æternæ* ; — 3° semel super Calicem tantum, dicens ad l. r. *Calicem,* ad tr. *salutis* ; et iterum manus extendit ante pectus.

2. Supra quæ propitio. — Dicit hanc Orationem manibus ante pectus extensis.

3. Supplices te rogamus. — Sacerdos manus jungit et ponit super Altaris oram (Q. 167, 3°), ita ut parvi digiti frontem Altaris tangant, residuo manuum inter Altare et se retento, et junctis apicibus pollicis et indicis utriusque manus (Q. 167, 1°) ; et corpus profunde inclinat (Q. 165, I).

Nota. Sacerdos debet manus junctas super Altare ponere consueto ut alias modo ; et non intra Corporale, ut pollices et indices retineantur intra limites Corporalis. Ad dubium : « An Sacerdos ponere debeat manus intra Corporale dum dicit Orationem *Supplices te rogamus,* et Orationes ante Communionem ? » S. Rituum Congregatio censuit respondendum : « Servandas esse Rubricas, quæ jubent manus ponendas esse super Altare, non intra Corporale. » (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572. ad 21, antiq. 4526, ad 35.)

Ita stans, Sacerdos dicit memoriter, ne indecore

elevet caput ad legendum, Orationem *Supplices*. Dictis verbis *ut quotquot*, manus extendit super corporale (Q. 167, 5°, B), et cum dicit *ex hac Altaris participatione*, Altare osculatur (Q. 166, 2°) ; ad verba *Sacrosanctum Filii tui*, erigit se et jungit manus ; ad verbum sequens *Corpus*, sinistra super Altare posita, dextera signat semel super Hostiam, dicens ad lineam rectam *Cor-*, ad transversam *-pus* ; item ad verba *et Sanguinem*, signat semel super Calicem, dicens ad l. r. *et San-*, ad tr. *-guinem*. Continuat dicens *sumpserimus*, et sinistra infra pectus posita, seipsum signat a fronte ad pectus (Q. 168, 1°), dicens ad f. *omni benedictione*, ad p. *cœlesti*, ad h. s. *et gratia*, ad h. d. *repleamur*. — In hac signatione cavere debet Sacerdos, ne pollices et indices juncti planetam tangant ; ideo sinistræ palma non tota ponatur contra planetam, sed a parte parvi digiti tantum ; et dexteræ tribus ultimis digitis tantum tangat frontem et planetam. — Cum dicit *Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen*, manus ante pectus jungit. Ad vocem *Christum* caput non inclinat.

Q. 238. *Quænam observatur manuum dispositio, inde a principio Orationis Commemorationis pro Defunctis usque ad verba* in somno pacis *? Quomodo stat Sacerdos interea dum Defunctos commemorat ? Quo momento fit hæc Defunctorum memoria, et quid dicendum est de litteris* N. et N. *in Canone appositis ? Quid observat Sacerdos post Defunctorum memoriam ? Quid speciale observatur ad conclusionem hujus Orationis ?*

R. I. Cum Sacerdos dicit : *Memento Domine... in somno pacis*, manus lente extendit ad distantiam humerorum, rejungit et paululum elevat, ita ut, incepta extensione ad verbum *Memento*, junctæ sint ad summitatem pectoris ad verba *in somno pacis* ; easque junctas tenet ante eamdem summitatem, prope mentum, quin illud tangant. Non itaque faciendus est circulus, qui describitur Q. 167, 8°, quique fit ad initium Hymni *Gloria in excelsis* ; vel ad initium Symboli *Credo in unum Deum* ; vel ad alia Sacrificii loca. (Cfr. Q. 167, 2°, Nota.)

II. Sacerdos, junctas tenens manus modo supra descripto, mox caput profunde inclinat, et intentis oculis

super Altare ad S. Hostiam, facit commemorationem Fidelium Defunctorum. De ipsa memoria Defunctorum quomodo fiat dicitur in Quæstione sequenti 239.

III. In Canone describitur hæc Oratio sequenti modo : *Memento, Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N., qui nos præcesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.* Antiquitus solebant proferri ad litteras N. nomina Defunctorum, pro quibus orare Sacerdos volebat, ideoque litteræ istæ in Missali adhuc appositæ manent : attamen usu generali negliguntur hodie istæ litteræ, et dicitur continuate : *famularumque tuarum, qui nos, etc.*, ac commemoratio Defunctorum fit solummodo post verba *in somno pacis.*

IV. Post brevem moram, Sacerdos caput erigit, disjunctisque manibus et ante pectus extensis, prosequitur Orationem.

V. In fine Orationis, cum dicit conclusionem : *Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen*, jungit manus ante pectus, et caput profunde inclinat Sacramento. — Singularis omnino est hæc capitis inclinatio, quæ a Rubrica præscribitur facienda in fine Commemorationis pro Defunctis ad verba conclusionis *Per eumdem Christum etc.*, etiamsi nomen *Jesu* hic non exprimatur ; nullibi enim in Liturgia alias præscripta reperitur hujusmodi capitis inclinatio. Ratio liturgica dari non potest ; rationes mysticas diversi diversas dant ; Benedictus XIV simpliciter omnem explicationem omittit.

Q. 239. *Quomodo fit Commemoratio pro Defunctis ?*

R. Hæc Commemoratio pro Defunctis fit pro iis *qui nos præcesserunt cum signo fidei*, scilicet qui insigniti fuerunt signo Crucis, signaculo Sanctæ Trinitatis ; excluduntur ergo qui extra communionem Ecclesiæ mortui sunt, pro quibus Ecclesia nominatim non orat. Videtur tamen quod Sacerdos possit, secluso omni scandalo, hic privatim orare pro aliquo hæretico defuncto, sub conditione : si forte decesserit in hæresi tantum materiali, adeoque cum signo fidei, et simul fuerit in statu gratiæ.

Congruus et æquus ordo videtur, si Sacerdos memoriam faciet : 1° animarum pro quibus celebrat, vel de-

functorum consanguineorum et affinium illorum qui Missam dici petierunt ; 2° propriorum parentum, consanguineorum, affinium, amicorum, et aliorum, ad suam voluntatem.

Commemoratio hæc fieri potest vel voce secreta, vel mente tantum. Litteræ *N.* et *N.* appositæ Sacerdotem monere videntur, ut eorum exprimat nomina, pro quibus peculiariter intendit orare, sed hoc non requiritur.

Quod si Sacerdos pro pluribus orare intendit, potest ante Missam, ne circumstantibus sit morosus, in animo sibi proponere omnes pro quibus in ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum Defunctorum Commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.

Breviter fiat hæc Commemoratio, non tamen momentaneo tantum temporis spatio ; spatium sub quo recitari potest Oratio Dominica videtur congrua mensura.

Exemplum Commemorationis ante Missam instituendæ traditur in variis precum libris. (Cfr. *Manuale Clericorum*, ad usum alumnorum Seminarii Mechliniensis. Editio secunda, anni 1898, pag. 149.)

(Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, Q. 178.)

Q. 240. *Quænam observanda sunt pro recitatione Orationis quæ incipit* Nobis quoque peccatoribus *?*

R. I. Sacerdos manum sinistram ponit super Corporale, et dexteræ tribus ultimis digitis percutit sibi pectus, cum dicit voce media (Q, 170, 2°) tria verba : *Nobis quoque peccatoribus.* (Caveat ne pollice et indice junctis tangat Planetam.) Mox extendit manus ante pectus, et prosequitur secreto *famulis tuis, etc.*

Nota. In Rubrica Canonis hoc loco desideratur accurata distinctio inter hujus Orationis verba quæ dicenda sunt secreto, et ea quæ elevata voce dici debent ; nemo tamen concludat ex hac Rubrica totam Orationem esse dicendam voce parum elata ; nam ex aliis Missalis Rubricis certo constat tria verba tantum, nempe *Nobis quoque peccatoribus,* debere et posse dici media voce, sequentia autem ejusdem Orationis usque ad finem esse dicenda omnino voce secreta ; id aperte innuunt tum Rubricæ Generales Missalis (Tit. XVI, n. 1), tum Ritus servandus in celebratione Missæ (Tit. IX, n. 3).

Occasione novæ editionis Missalis Romani, S. Rituum Con-

gregationis Secretarius eidem S. Congregationi sequens proposuit dubium circa hanc Canonis Rubricam : « An ad clariorem hanc postremam Rubricam reddendam, post verba : *Nobis quoque peccatoribus,* addi possit inter parenthesim brevis hæc adnotatio : *et prosequitur secreto* ? » S. Congregatio dubium definivit ut sequitur : « Non expedire. » (Decret. 25-27 Septembris 1860, n. 3103, antiq. 5309, ad 1.) — S. Congregatio definivit profecto non expedire, tum ut Canon Missæ omnino immutatus et intactus remaneat, tum quia ea quæ observanda sunt proponuntur clare satis et aperte in aliis Missalis Rubricis quæ supra citantur.

II. Occurrunt in hac Oratione nomina quædam Sanctorum et Sanctarum, ad quæ, cum Sacerdos ipsa pronuntiat, aliquando inclinatio capitis facienda est, nempe cum de ipsis dicitur Missa in eorum Festo aut per Octavam, vel fit specialis Commemoratio ; quæ inclinatio fit versus librum, nisi in loco principali Altaris habeatur simulacrum vel imago Sancti, ad quam tunc caput inclinatur.

Quæ observanda veniunt pro hac inclinatione ulterius exponuntur in præcedenti Q. 231 (III, 3°, a, b, c).

III. Indicantur hic nomina et dies festi Sanctorum et Sanctarum, qui recensentur in hac Oratione. Sunt 1° **octo Sancti Martyres** : Joannes, scilicet Baptista (cfr. Nota), cujus dies Festi varii occurrunt, 24 Junii cum Octava, et 29 Augusti ; Stephanus, protomartyr, 26 Decembris cum Octava, et 3 Augusti ; Mathias, Apostolus, 24 aut 25 Februarii ; Barnabas, Apostolus, 11 Junii ; Ignatius, 1 Februarii ; Alexander, pontifex, 3 Maji ; Marcellinus, presbyter, et Petrus, exorcista, 2 Junii ; sunt 2° **septem Sanctæ Martyres** : Felicitas et Perpetua, 7 Martii ; Agatha, 5 Februarii ; Lucia, 13 Decembris ; Agnes, 21 et 28 Januarii ; Cæcilia, 22 Novembris ; Anastasia, 25 Decembris, in Missa quæ dicitur in aurora.

(Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, Q. 179.)

Nota. Expedite definiri haud posse videtur, quinam sit ille Joannes, qui in hac Canonis Oratione nominatur. Sed plura argumenta evincunt veriorem esse sententiam illorum auctorum qui putant hic nominari Joannem Baptistam. Decreta S. Rituum Congregationis hac super re expuncta fuerunt e nova editione Decretorum, anni 1898, et omissum pariter fuit Suffragium quod argumenta in favorem S. Joannis Baptistæ exponebat, quodque reperitur in præcedenti Decretorum editione (1857, Vol. III, pag. 234). Non obstante his omissionibus, valorem suum reti-

nent argumenta in favorem S. Joannis Baptistæ prolata, et donec S. Rituum Congregatio aliter declaraverit, proponitur caput esse inclinandum ad nomen Joannis in Festis et per Octavam S. Joannis Baptistæ.

IV. Ad conclusionem hujus Orationis *Per Christum Dominum nostrum*, Sacerdos manus ante pectus jungit. — Nota quod hic ad vocem *Christum* caput non est inclinandum, et quod vox *Amen* non potest adjungi.

241. PER QUEM HÆC OMNIA. — Sacerdos, manibus ante pectus junctis, incipit hanc Orationem, et cum dicit : *bona creas*, sinistram ponit super Corporale, et ad verba *sanctificas, vivificas, benedicis*, ter dextera signat communiter super Hostiam et Calicem simul, dicens ad primæ Crucis lineam rectam *sancti-*, ad transversam *-ficas* ; ad secundæ Crucis l. r. *vivi-* ad tr. *-ficas* ; ad tertiæ Crucis l. r. *bene-*, ad tr. *-dicis* ; et prosequitur : *et præstas nobis*. Statim sinistram ponit super Calicis pedem, et dextera amovet pallam a Calice et deponit contra Tabellam ; depositis manibus extensis super Corporale, dextero genu flexo, Sacramentum adorat.

242. PER IPSUM. — 1. Erectus a genuflexione, Sacerdos reverenter accipit S. Hostiam in dextera manu, sequenti modo : indice sinistræ manus poterit premere aliquantum super Corporale S. Hostiæ oram ad locum ubi repræsentatur manus dextra Crucifixi impressi, ut Hostia ex altera parte paulum a Corporali ita elevetur ; et S. Hostiam mox accipit inter dexteræ pollicem et indicem, ad oram, circiter ad locum ubi repræsentatur brachium et manus sinistra Crucifixi impressi. Statim ac S. Hostiam tenet, dexteram elevat supra Calicem, advertens ut reliqui digiti manus teneantur extensi extra cuppam, conversi ad parietem cuppæ exteriorem ; et sinistra tenet Calicem circa nodum infra cuppam.

2. Cum dicit : *Per ipsum, et cum ipso, et in ipso*, ter cum S. Hostia, quam rectam tenet, signum Crucis efficit supra Calicem, ducens eam intra limites circumferentiæ cuppæ, nempe a labio Calicis posteriori ad labium anterius pro lineis rectis, et a labio sinistro ab labium dexterum pro lineis transversis, quin tamen labia Cali-

cis tangat. Ad primæ Crucis lineam rectam dicit *per*, ad transversam *ipsum* : ad secundæ Crucis l. r. *et cum*, ad tr. *ipso* ; ad tertiæ Crucis l. r. *et in*, ad tr. *ipso*.

3. Post hæc tria signa Sacerdos, tenens semper sinistra Calicem ad nodum infra cuppam, cum S. Hostia, quam eodem semper modo tenet, similiter signat bis inter Calicem et pectus suum, incipiens a labio Calicis, et efficiens ante Calicem ad eamdem altitudinem duas Cruces ejusdem longitudinis et latitudinis quam præcedentes ; ante Crucis efformationem dicit *est tibi Deo* ; ad primæ Crucis l. r. *Pa-*, ad tr. *-tri* : dum reducit S. Hostiam ad Calicis labium dicit *Omnipotenti, in unitate* ; et ad secundæ Crucis l. r. *Spiritus*, ad tr. *sancti*.

4. Facto ultimo Crucis signo, Sacerdos reducit manu dextera S. Hostiam per lineam rectam supra medium Calicis ; tunc elevat sinistra Calicem, et simul dextera S. Hostiam, ad altitudinem circiter quatuor digitorum ab Altaris mensa, dicens interea *omnis honor, et gloria*.

5. Attendere debet Sacerdos ut, dum S. Hostiam tempore præcedentis ritus tenet, dexteræ manus digiti medius, annularis et parvus extensi habeantur, et cuppam Calicis non tangant dum signa Crucis fiunt ; attamen, cum elevatur S. Hostia simul cum Calice, poterit parvus digitus teneri ad cuppæ Calicis oram exteriorem.

6. Postquam dixit verba *omnis honor, et gloria*, Sacerdos Calicem deponit super Altare, simul S. Hostiam ab elevatione deponens, quam tamen adhuc retinet dextera super medium Calicis ; sed repositis ita Calice et S. Hostia, mox sinistram ponit super Corporale, et dextera sola collocat S. Hostiam super Corporale ante Calicem. Utriusque manus pollicem et indicem supra Calicem leviter extergit, ut fragmenta, si quæ digitis adhæreant, deponantur in Calicem ; sinistram ponit super Calicis pedem, dum dextera accipit pallam, eaque Calicem cooperit ; utramque manum deponit super Corporale, et genu dextero flexo, Sacramentum adorat.

Nota. Olim ad hanc Missæ partem Sacerdos in altum elevabat S. Hostiam et Calicem ita ut a populo possent videri et adorari ; sed ex quo invaluit, sæculo XII, occasione hæresis Berengarii, usus elevandi S. Hostiam, ac deinde Calicem, immediate post peractam

Consecrationem, hæc præsens elevatio, etsi vetustior, minus solemnis facta fuit, cum non amplius S. Hostia et Calix populo ostendantur adoranda. Ex antiquo ritu retentus fuit in quibusdam regionibus usque hodie mos pulsandi ad hanc præsentem elevationem campanulam. (Cfr. Benedictus XIV, *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*. Lib. II, Cap. XVIII, n. 16.) Ex ignorantia, vel ex levitate, nonnulli ministri præpostere campanulam pulsant non ad ipsam elevationem, sed ad præcedentia Crucis signa.

(Cfr. Conferentiæ Ecclesiasticæ Archidiœceseos Mechliniensis, anno 1890, ex Liturgia Q. II.)

ARTICULUS IX

De Oratione Dominica, et aliis usque ad Agnus Dei.

Textus. (Tit. X.) — 1. Celebrans, cooperto Calice, adoratoque Sacramento, erigit se, et manibus extensis hinc inde super Altare intra Corporale positis, dicit intelligibili voce : *Per omnia sæcula sæculorum,* et cum dicit : *Oremus,* jungit manus, caput Sacramento inclinans. Cum incipit : *Pater noster,* extendit manus, et stans oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem. Responso a ministro : *Sed libera nos a malo,* et a Celebrante, submissa voce : *Amen,* manu dextera, pollice et indice non disjunctis, Patenam aliquantulum purificatorio extergens, eam accipit inter indicem et medium digitos ; quam tenens super Altare erectam, sinistra super Corporale posita, dicit secreto : *Libera nos, quæsumus etc.*

2. Antequam Celebrans dicat : *Da propitius pacem,* elevat manu dextera Patenam de Altari, et seipsum cum ea signat signo Crucis, dicens : *Da propitius pacem in diebus nostris.* Cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus ; deinde Patenam ipsam osculatur, et prosequens : *ut ope misericordiæ tuæ etc.,* submittit Patenam Hostiæ, quam indice sinistro accommodat super Patenam, discooperit Calicem, et genuflexus Sacramentum adorat ; tum se erigens, accipit Hostiam inter pollicem et indicem dexteræ manus, et cum illis, ac pollice et indice sinistræ manus eam super Calicem tenens, reverenter frangit per medium, dicens : *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum,* et mediam partem, quam inter pollicem et indicem dexteræ manus tenet, ponit super Patenam ; de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit cum pollice et indice dexteræ manus particulam, prosequens : *Qui tecum vivit et regnat etc.,* et eam inter ipsos dexteræ manus pollicem et indicem

retinens, partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit mediæ super Patenam positæ, interim dicens : *in unitate Spiritus sancti Deus ;* et particulam Hostiæ, quam in dextera manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligili voce dicit : *Per omnia sæcula sæculorum.* ℟. *Amen ;* et cum ipsa particula signans ter a labio ad labium Calicis, dicit : *Pax Domini sit semper vobiscum.* Responso per ministrum : *Et cum spiritu tuo,* particulam, quam dextera manu tenet, immittit in Calicem dicens secreto : *Hæc commixtio, et consecratio Corporis etc.* Deinde pollices et indices super Calicem aliquantulum tergit, et jungit, Calicem palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat, surgit, et stans junctis manibus ante pectus, capite inclinato versus Sacramentum, dicit intelligibili voce : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi ;* et dextera percutiens sibi pectus, sinistra super Corporale posita, dicit : *miserere nobis,* et deinde non jungit manus, sed iterum percutit sibi pectus, cum dicit secundo : *miserere nobis,* quod et tertio facit, cum dicit : *dona nobis pacem.*

Q. 243. *Quæ sunt, inde a conclusione Canonis, et dum recitatur Oratio Dominica, diversæ manuum positiones ? Qua voce hæc dicuntur ? Quid pro oculis est observandum ?*

R. I. Sacerdos ab adoratione SS. Sacramenti erectus, manibus extensis hinc inde intra Corporale positis (Q. 167, 5°, B), dicit intelligibili, seu clara voce : *Per omnia sæcula sæculorum.* Minister respondet : *Amen.* Cum dein Sacerdos dicit *Oremus,* manus jungit ante pectus, et caput profunde Sacramento inclinat ; capite erecto prosequitur : *Præceptis etc.,* quæ legit e libro. Cum incipit : *Pater noster,* extendit manus per totam Orationem.

II. Hæc clausula *Per omnia sæcula etc.,* refertur ad præcedentem doxologiam : *Per ipsum, et cum ipso, etc.,* eamque complet. Ut autem omnes Sacrificio circumstantes eadem vota reddere, unanimemque præbere valeant assensum omnibus quæ Sacerdos secreto in Canone protulit, et a Deo postulavit, rumpitur silentium, et alta voce pronuntiantur hæc ultima Canonis verba ; quibus minister nomine populi respondet : *Amen,* hac voce significans tum suum consensum, tum consequendi finis desiderium. Eadem intelligibili, seu clara voce Sacerdos dicit tum præfatiunculam, tum ipsam Orationem Dominicam usque ad verba : *inducas in tentationem* ; minister eadem voce respondet ; *Sed libera nos a malo* ; Sacerdos vero subjungit, sed submissa voce : *Amen.*

III. Sacerdos legit e Missali conclusionem Canonis et præfatiunculam, sed cum incipit : *Pater noster etc.*, oculos intendit ad Sacramentum, seu Sacram Hostiam in Altari positam, usque ad finem Orationis Dominicæ.

Q. 244. *Quomodo Sacerdos ante Orationem* Libera *extergit Patenam ?*

R. Sacerdos, dicto *Amen*, manu dextera, pollice et indice non disjunctis, inter indicem et medium digitum (Q. 167, 1°) accipit Patenam, eamque totaliter extrahit de sub Corporali, et simul sinistræ digitum medium super oram Patenæ juxta Corporale ponit, ut firma remaneat, dum dextera eam exterget : ad extergendum Patenam dexteræ digitos medium, annularem et parvum ponit super purificatorium quod Patenam tegit, illudque circumducit bis vel ter per totam partem concavam Patenæ. Quo facto, sinistræ digitum medium imponit purificatorio, Patenam dextera accipit inter digitos indicem et medium, et extrahit de sub purificatorio, ita ut illud repositum remaneat juxta Corporale, in parva ab ipso distantia ; sinistram reponit super Corporale more solito, et dextera Patenam tenet juxta Corporale, illud inter et purificatorium erectam, palma super eam posita, cum parte concava versus S. Hostiam, seu medium Altaris. — Si in ora partis concavæ incisa habetur imago vel Christi, vel Crucis, congruenter Sacerdos eo modo tenebit Patenam, ut imago sit ad summitatem prope indicem.

245. Libera. — 1. Sacerdos, cum dextera tenet patenam, incipit secreto Orationem *Libera nos*. Ad nomen B. Mariæ caput mediocriter inclinat versus librum, vel imaginem in loco principali Altaris positam ; item minimam facit capitis inclinationem ad nomina SS. Petri, Pauli et Andreæ, qui hic nominantur, quando de ipsis dicitur Missa aut fit specialis Commemoratio, in eorum Festis, vel per Octavam, non autem in eorumdem Festorum Vigiliis.

2. Cum dixit *et omnibus Sanctis*, Sacerdos sinistram ponit infra pectus, et dextera Patenam tenente se signat a fronte ad pectus, tangendo physice partes cor-

poris signandas cum ora Patenæ a parte concava versus faciem et pectus conversæ, dicens ad frontem *da propitius*, ad pectus *pacem*, ad humerum sinistrum *in diebus*, ad humerum dextrum *nostris* ; tum nihil dicens Patenam osculatur in extremitate seu ora concava, prope indicem ; si incisa habetur in parte concava figura vel Christi, vel Crucis, poterit hanc osculari.

Rubrica non indicat in quo Patenæ loco Sacerdos ipsam debet osculari ; sed ad dubium : « Utrum Patena osculanda sit a Celebrante cum dicitur *Da pacem Domine in diebus nostris,* in medio, aut in extremitate partis superioris, aut in qua parte, cum Rubrica de Ritu celebrandi Missam Tit. X, num. 2, id non explicet ? » S. Rituum Congregatio respondit et declaravit : « Patenam in extremitate, seu ora Patenæ congruentius osculandam. » (Decret. 24 Julii 1683, n. 1711, antiq. 3025, ad 5.)

3. Prosequens dein Orationem *ut opc misericordiæ tuæ etc.*, Sacerdos sinistræ manus indice a pollice disjuncto parum premit super Corporale sacram Hostiam, in ea parte qua impressum habetur brachium dextrum Crucifixi ; mox supponit Patenæ partem dexteræ manui oppositam sub Hostiam a parte brachii sinistri Crucifixi, ac sinistræ manus indice Hostiam accommodat super medium Patenæ, ita ut Hostia tota (et non pro parte tantum) reposita sit super Patenam ; dein sinistra super Corporale more solito posita, dextera deponit Patenam cum S. Hostia prope pedem Calicis, juxta locum in quo S. Hostia super Corporale posita fuit, ne adhæreant partibus Patenæ externis fragmenta quæ fortasse remanerent super mediam Corporalis partem.

Nota. Rubrica non expresse assignat locum in quo deponenda est Patena cum S. Hostia ; dicit enim tantum quod Sacerdos « submittit Patenam Hostiæ » ; an ergo Patena ita supponenda est S. Hostiæ ut ipsa deponatur in eo Corporalis medio loco ubi S. Hostia hucusque reposuit ?

Quidam auctores affirmant, et docent Patenam esse deponendam in medio Corporalis, et non a latere ; proponuntque illam sententiam uti communiorem, ac Rubricæ, et praxi Romanæ consentaneam. Aliqui dicunt Patenam ita esse in medio Corporalis collocandam, ut ejus superior extremitas super pedem Calicis ex anteriori hujus parte sit elevata, « ad hoc ut commodius capiatur, et ad hoc ut fragmenta, si quæ sunt super

Corporali, colligantur, et non adhæreant ejusdem Patenæ partibus externis. » Hæc verba sunt Cajetani Merati, in suis Additionibus ad Gavantum (Editio Romana, anni 1736, Tom. I, pag. 580). Alii addunt ita esse faciendum, ne fragmenta, in elevanda Hostia super os Calicis pro sequenti fractione, et in reponendis Hostiæ partibus post fractionem, decidant extra Patenam.

Liceat animadvertere parvi momenti videri rationem periculi ne fragmenta S. Hostiæ decidant quando elevatur super os Calicis, imo quando reponuntur ejus partes super Patenam. Majoris momenti videtur consideratio quod, si Patena deponitur in medio Corporalis, vel etiam pro parte super pedem Calicis, timendum est ne fragmenta, quæ esse possunt super Corporale, adhæreant, quod timet Merati, ejusdem Patenæ partibus externis. Forsan ætate Merati Corporale erat majoris extensionis, ita ut Patena potuerit reponi in medio Corporalis, Calicem inter ejusve pedem et locum ubi hucusque in Corporali deposita remansit S. Hostia; sed nostra ætate communiter hujusmodi depositio Patenæ non est practica, defectu sufficientis spatii.

Cum itaque Rubrica expresse non assignet locum, et aliqua libertas in casu relinquatur (cfr. Ephemerides Liturgicæ, XIII, 1899, pag. 46), proposita fuit Rubricæ interpretatio deponendi Patenam cum S. Hostia prope pedem Calicis, juxta locum in quo S. Hostia super Corporale posita fuit, et non in medio, scilicet in eo ipso loco, ne fragmenta, si quæ sunt super Corporalis medio, adhæreant Patenæ partibus externis.

4. Sacerdos mox sinistram ponit super pedem Calicis, dextera aufert pallam a Calice, et repositis manibus super Corporale (dextera non in loco solito sed juxta Patenam), genu dextero flexo Sacramentum adorat.

Q. 246. *Expone ritum servandum in fractione S. Hostiæ.*

R. 1. Sacerdos ab adoratione SS. Sacramenti erectus, dextræ manus indice S. Hostiam caute ducit e medio Patenæ versus medium Corporalis usque ad extremam Patenæ oram, et mox, quasi eodem momento, S. Hostiam accipit sinistra, et statim e sinistra reponit in dexteram, ita ut teneatur dextra in ea parte ubi impressum habetur brachium sinistrum imaginis Crucifixi; sola dextera elevat S. Hostiam supra Calicis medium, eoque statim adducit sinistram qua accipit S. Hostiam ad locum impressi brachii dextri, utraque manu itaque S. Hostiam tenens.

2. Reverenter et paulatim tunc Sacerdos frangit S. Hostiam in duas partes, in linea recta per medium (ubi impressa fuit ante Missam linea, cfr. Q. 179), incipiens

a parte superiori ; interea dum eam frangit dicit secreto : *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum* (caput profunde inclinans Sacramento) *Filium tuum* ; et mox, retenta sinistra cum medietate S. Hostiæ super Calicem, reponit dextera fractam partem super medium Patenæ.

3. Frangit dein, dextera, a medietate quam sinistra retinuit, particulam a parte inferiori (quartam scilicet circiter partem hujus medietatis, quæ signata fuit ante Missam ; cfr. Q. 179), interea dicens secreto : *Qui tecum vivit et regnat*, et hanc particulam super Calicem dextera tenens, deponit sinistra partem majorem super medium Patenæ juxta alteram medietatem, eo modo ut Hostiæ rotunditas, excepta particulæ parte, servetur, interim dicens : *in unitate Spiritus sancti Deus.*

Rubrica non indicat a qua parte medietatis S. Hostiæ debeat particula frangi ; ad dubium : « An pars inferior Hostiæ præcidi debeat, an vero superior, ante *Pax Domini sit semper vobiscum* ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Inferior præcidi debet. » (Decret. 4 Augusti 1663, n. 1275, antiq. 2241, ad 6.)

247. Depositio particulæ in Calice. — Sacerdos, postquam sinistra deposuit partem alteram S. Hostiæ super Patenam, mox sinistra tenet Calicem ad nodum, et dextera particulam supra Calicem, et dicit clara voce : *Per omnia sæcula sæculorum.* Minister respondet : *Amen.* Dein Sacerdos dicit : *Pax Domini etc.*, et interea efficit cum particula triplex signum Crucis intra limites circumferentiæ cuppæ, nempe a labio ad labium supra Calicem, dicens ad primæ Crucis lineam rectam *Pax*, ad transversam *Domini* ; ad secundæ Crucis l. r. *sit*, ad tr. *semper* ; ad tertiæ Crucis l. r. *vobis-*, ad tr. *-cum.* Digiti medius , annularis et parvus extensi tenentur extra Calicem, et signa Crucis fiunt cum motu totius manus, et non tantum pollice et indice. Cum minister respondit *Et cum spiritu tuo*, Sacerdos particulam, quam dextera tenet, relinquit, ita ut decidat in Calicem, et dicit secreto : *Hæc commixtio, etc.*, ad verba *Jesu Christi* caput profunde inclinans. Dicta hac Oratione, et non antea, Sacerdos utriusque manus indicem et pollicem supra Calicem leviter extergit ; deinde sinistram

ponit super Calicis pedem, et dextera cooperit Calicem palla ; utramque manum deponit super Corporale, et genu dextero flexo Sacramentum adorat.

248. AGNUS DEI. — Sacerdos ab adoratione SS. Sacramenti erectus, jungit manus ante pectus, et caput profunde inclinans versus Sacramentum, dicit voce clara : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi* ; dein, posita sinistra super Corporale, cum dicit *miserere nobis*, dexteræ tribus ultimis digitis percutit sibi pectus, cavens ne pollice et indice junctis tangat Casulam. Retenta sinistra super Corporale, cum repetit *Agnus Dei.... mundi*, lente dexteram a pectore retrahit aliquantulum, absque ullo brachii motu, et item ad pectus reducit, ita ut, cum secundo dicit *miserere nobis*, secundo pectus percutiat. Idem facit cum tertio dicit *Agnus Dei.... mundi* ; et cum dicit *dona nobis pacem*, tertio pectus percutit.

ARTICULUS X

De Orationibus ante Communionem usque ad factam Communionem

TEXTUS. (Tit. X.) — 1. Tunc manibus junctis supra Altare positis, oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secreto : *Domine Jesu Christe etc.* Qua Oratione finita, si est daturus pacem, osculatur Altare in medio, et instrumentum pacis ei porrectum a ministro juxta ipsum ad dexteram, hoc est, in cornu Epistolæ, genuflexo, et dicit : *Pax tecum.* Minister respondet : *Et cum spiritu tuo.* Si non adsit qui hujusmodi instrumento pacem recipiat a Celebrante, pax non datur, etiamsi illius datio Missæ conveniat, nec osculatur Altare, sed dicta præmissa Oratione, statim subjungit alias Orationes ut in Ordine Missæ.

2. Quibus Orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, et se erigens dicit secreto : *Panem cœlestem accipiam etc.* ; quo dicto, dextera manu accipit de Patena reverenter ambas partes Hostiæ, et collocat inter pollicem et indicem sinistræ manus, quibus Patenam inter eumdem indicem et medium digitos supponit, et eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi super Patenam inter pectus et Calicem, parum inclinatus, dextera tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevata : *Domine non sum dignus* ; et secreto prosequitur : *ut intres etc.* Quibus tertio

dictis, ex sinistra accipit ambas partes prædictas Hostiæ inter pollicem et indicem dexteræ manus, et cum illa supra Patenam signat seipsum signo Crucis, ita tamen, ut Hostia non egrediatur limites Patenæ, dicens : *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen* : et se inclinans, cubitis super Altare positis, reverenter easdem ambas partes sumit : quibus sumptis, deponit Patenam super Corporale, et erigens se, junctis indicibus et pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit, et aliquantulum quiescit in meditatione sanctissimi Sacramenti. Deinde depositis manibus dicit secreto : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi ?* et interim discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si qua sint in eo, Patenam quoque diligenter cum pollice et indice dexteræ manus super Calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

3. Post extersionem Patenæ, junctis pollicibus et indicibus, Calicem dextera manu infra nodum cuppæ accipit, sinistra Patenam, dicens : *Calicem salutaris etc.,* et signans se signo Crucis cum Calice, dicit : *Sanguis Domini nostri etc.,* et manu sinistra supponens Patenam Calici, stans reverenter sumit totum Sanguinem cum particula in Calice posita. Quibus sumptis, dicit secreto : *Quod ore sumpsimus etc.,* et super Altare porrigit Calicem ministro in cornu Epistolæ, quo vinum fundente, se purificat : deinde vino et aqua abluit pollices et indices super Calicem, quos abstergit purificatorio, interim dicens : *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi etc.* Ablutionem sumit, et extergit os, et Calicem purificatorio : quo facto purificatorium extendit super Calicem, et desuper Patenam ac super Patenam parvam pallam ; et plicato Corporali, quod reponit in bursam, cooperit Calicem velo, et bursam desuper ponit, et collocat in medio Altaris, ut in principio Missæ.

249. Orationes ante Communionem. — Sacerdos manus jungit et ponit super Altaris oram (Q. 167, 3°), corpus mediocriter inclinat (Q. 165, I), oculos intendit ad S. Hostiam, et secreto dicit Orationes tres assignatas ante Communionem. In his Orationibus ad nomen Jesu non est facienda peculiaris capitis inclinatio, cum hæc in media corporis inclinatione jam inclusa habeatur.

Si forte Sacerdos in Missa privata daturus est pacem post primam ex tribus Orationibus, observabit ea quæ postea describuntur in Nota III ad Q. 276.

Nota. Ad dubium : « An Sacerdos ponere debeat manus intra Corporale, dum dicit Orationem *Supplices te rogamus,* et Orationes ante Communionem ? » S. Rituum Congregatio censuit re-

spondendum : « Servandas esse Rubricas, quæ jubent manus ponendas esse super Altare, non intra Corporale. » (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 20, antiq. 4526, ad 35.)

250. DOMINE NON SUM DIGNUS. — 1. Postquam dixit Orationes, Sacerdos erectus ab inclinatione, manus extensas imponit super Corporale, et genu dextero flexo Sacramentum adorat. Mox se erigens dicit secreto : *Panem cœlestem accipiam, et nomen Domini invocabo.*

2. Statim Sacerdos sinistro indice adducit ambas S. Hostiæ juxtapositas partes ad oram Patenæ, ita ut dextero indice et pollice possit eas accipere in superiori parte, et e Patena levare ; mox collocat ambas easdem partes, ita juxtapositas ut S. Hostia appareat quasi rotunda, inter pollicem et indicem sinistræ, eo modo ut S. Hostia teneatur circa medium ; et dextera supponit Patenam inter indicem et medium sinistræ, cavens ne sinistra Patenam teneat ab ea parte in qua S. Hostia prius posita fuit. Tenens ita S. Hostiam et Patenam in sinistra ante pectus, supra Corporale, quatuor circiter digitis ab Altari elevatam, ne manus Corporale attingat, corpus mediocriter inclinat (Q. 165, I), et dexteræ tribus ultimis digitis percutit pectus suum (cavens ne pollice et indice junctis tangat Casulam), interea dicens voce aliquantulum elevata, seu mediocri (Q. 170, 2°) : *Domine non sum dignus*, et secreto prosequens : *ut intres sub tectum etc.*

3. Dum Sacerdos secreto dicit : *ut intres sub tectum etc.*, lente dexteram a pectore retrahit aliquantulum, absque ullo brachii motu, et item ad pectus reducit, ita ut, cum secundo dicet : *Domine non sum dignus*, secundo pectus percutiat. Idem ut supra repetit, ut tertio pectus percutiat, cum tertio dicet : *Domine non sum dignus*. Hæc verba ter dicuntur voce mediocri, reliqua autem ter voce secreta. Cum tertio pectus percussit, Sacerdos lente dexteram a pectore retrahit, ut se paret ad S. Hostiam accipiendam.

251. SUMPTIO S. HOSTIÆ. — 1. Postquam tertio dixit : *Domine.... anima mea*, Sacerdos ab inclinatione se erigit ; tunc dextera accipit e sinistra S. Hostiæ medietatem minorem in superiori sua parte, eamque du-

cit super alteram majorem, ita ut majori particulæ sit superposita, et utriusque extremitates inferiores sint conjunctæ ; tum dextera e sinistra accipit ambas particulas ad extremitates inferiores, et tenens sinistra Patenam eodem modo ab Altari elevatam, cum S. Hostia supra Patenam signat seipsum signo Crucis, quin tamen ullo modo S. Hostia aliquam corporis partem tangat ; efformat primo lineam rectam, ab altitudine summi pectoris usque ad Patenam, cum dicit secreto : *Corpus Domini nostri,* caput profunde inclinans versus Sacramentum ad verba *Jesu Christi* (Decret. S. Rituum Congregationis, 24 Septembris 1842, n. 2850, antiq. 4950, ad 1) ; dein efformat lineam transversam, intra limites Patenæ, cum dicit : *custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.*

2. Deinde Sacerdos corpus mediocriter inclinat, cubitos super Altare reponit quin ipsos extendat, sinistra Patenam eodem modo a Corporali elevatam tenet subtus S. Hostiam, et dextera ponens ambas S. Hostiæ partes superpositas in linguam, reverenter eas sumit. — Advertat Sacerdos ne S. Hostiam sumens linguam extra os emittat ; caveat item ne ipsam Hostiam dentibus masticet, curet autem ut species sacræ humescant inter palatum et linguam ; si forte palato S. Hostia adhæserit, lingua eam amovere studeat ; si quædam particula tantum remanserit, eam postea S. Sanguinem et ablutionem sumendo deglutiat.

3. Sumpta S. Hostia. Sacerdos se erigit, sinistra deponit Patenam super Corporale, aliquantum e medio versus cornu Evangelii, pollices et indices super Patenam leviter extergit, et mox junctis manibus ante faciem (Q. 167, 2°, Nota), erectus, aliquantulum quiescit in meditatione SS. Sacramenti, nempe per spatium quo posset recitari « Pater noster ».

Nota. Dicitur quod Sacerdos post sumptionem S. Hostiæ pollices et indices super Patenam leviter extergit ; etiamsi Rubricæ aliis locis semper præscribant extersionem hanc, quoties Sacerdos S. Hostiam attigerit, si opus sit, scilicet, si aliquod fragmentum digitis adhæreat ; hic loci tamen de hoc Rubrica nihil dicit. In aliis locis hæc extersio facienda præscribitur super Calicem, in illis casibus detectum ; hic autem ad sumptionem

S. Hostiæ Calix detectus non est ; quare plures auctores dicunt pollices et indices in hoc casu esse extergendos super Patenam, quæ ipsa mox extergenda erit ; si enim fragmenta digitis possunt adhærere. diceres in præsenti casu id posse fieri potius quam in præcedentibus. Aliqui auctores tamen putant, ex eo quod Rubrica hic nihil præscribit, digitos non esse extergendos super Patenam immediate post S. Hostiæ sumptionem, sed tantum postea cum ante sumptionem S. Sanguinis ipsa Rubrica id faciendum jubet. Si finis extersionis inspicitur, melius ad cautelam videtur extergere digitos super Patenam immediate post S. Hostiæ sumptionem, quam, si forte quædam digitis particulæ seu fragmenta adhæreant. ipsa ad digitos retinere dum fit meditatio, et præsertim cum palla a Calice aufertur.

252. Collectio particularum. — 1. Meditatione peracta, Sacerdos dicit secreto : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi,* et nihil amplius ; interim deponit sinistram super Calicis pedem, dextera amovet a Calice pallam, eamque reponit contra Tabellam ; et manum utramque ponens super Corporale, genu dexterum flectit, et statim surgit.

2. Accipit Patenam inter sinistræ indicem et medium, ad eumdem locum quo supra, nempe quem S. Hostia non tetigit ; diligenter eam inspicit, et si qua S. Hostiæ fragmenta animadvertit, eadem in Calicem mittit, tenens Patenam quasi erectam supra Calicem, et leviter tangens indice dextero fragmenta, ita ut e Patena in Calicem decidant.

Nota. Hic loci proponitur quæstio, an Calix pro fragmentis colligendis aliquantulum e medio Corporalis sit removendus ? Rubrica de hoc nihil dicit ; et ideo auctores quidam negant id fieri posse. Experientia tamen unumquemque Celebrantem mox docet, fragmenta, si quæ sint in Corporali relicta. non ita facile super Patenam colligi, si Calix in medio Corporalis relinquitur.

Ubi removendus est e medio Corporalis Calix ? Nulla datur ratio Calicem removendi e medio versus unum aut aliud latus, et quidem minus hoc convenire in casu videtur, quia continet S. Sanguinem ; ideo removeatur Calix e medio Corporalis versus Tabellam, seu Altaris Crucem. ita ut remaneat ipse positus in medio longitudinis Corporalis.

Quando removendus est Calix e medio Corporalis ? Quorumdam praxis est removere Calicem jam antequam S. Hostiam accipiant, immediate antequam dicant : *Domine non sum dignus etc.* ; ne, in præscripta corporis inclinatione mediocri, palla Calicis impedimentum sit pro facili S. Hostiæ sumptione. — Auctores quidam dicunt Calicem e medio removendum postquam,

facta meditatione, Sacerdos Calicem detexit, antequam genuflectat. — Alii dicunt Calicem amovendum post hanc genuflexionem. — Aliorum tandem praxis est removere Calicem eo solummodo momento, quando hoc necessarium est pro fragmentorum collectione in Corporali, et quando hæc extersio est incipienda, nempe postquam, detecto Calice et facta genuflexione, Sacerdos diligenter Patenam inspexit, et fragmenta, si quæ in ea sint, in Calicem misit; et isti, statim postquam cum Patena collegerunt fragmenta super Corporale, antequam Patenam super Calicem abstergant, Calicem reponunt in medio Corporalis.

Pro praxi, cum fragmenta esse colligenda certo Rubrica præscribat, sed quo meliori, securiori, ac magis congruenti modo id fiat ipsa non determinet; cum aliunde constet in omnibus nostris Altaribus necessariam judicari Calicis remotionem, ut meliori queat fieri modo fragmentorum collectio; pauca enim Altaria, et etiam Corporalia magna satis sunt ut sufficiens detur locus; — omnibus consideratis et perpensis, proponitur facienda remotio Calicis e medio Corporalis versus Altaris Crucem; et proponitur facienda hæc remotio eo præcise momento quo fit particularum collectio in Corporali, et pro illo tempore tantum quo fit hæc collectio. Ita faciendo, utraque Patenæ extersio super Calicem, tum prior, in quantum necessaria erit, tum altera, fieri potest super Calicem in medio Corporalis adhuc positum, aut jam repositum; et vitari potest ne, pro extersione Patenæ super Calicem, Sacerdos debeat nimium extendere brachia, cum periculo ducendi Manipulum usque super Corporale.

Nemo jam pro hac proposita praxi eousque strictiorem observantiam ducat, ut ratione motus Calicis requirat novam genuflexionem; hæc in casu dici potest non requiri, imo dici debet non permitti.

3. Sacerdos, inspecta Patena, eaque si opus est, diligenter extersa, mox sinistram Patenam tenentem reponit super Corporale extra medium Corporalis, juxta locum in quo reposita ante fuit S. Hostia, et dextera accipit Calicem ad nodum, eumque paulum removet e medio Corporalis versus Crucem, seu Tabellam, in medio tamen longitudinis Corporalis; tunc accipit Patenam inter indicem et medium dexteræ, ad eumdem locum quo eam sinistra tenuit; sinistram ponit super Corporale et diligenter illud inspicit, ut fragmenta, si qua sint, animadvertat et colligat: sinistra accipit, inter indicem pollici conjunctum et medium, Corporale ad oram ejus anteriorem, et paululum elevat, dum dextera Patenam fere planam leviter ducit ter vel quater super mediam plicaturam anteriorem Corporalis.

4. Quo facto, sinistra e dextera accipit Patenam a parte opposita illi quacum particulæ collectæ fuerunt ; mox dextera reponit Calicem in medio Corporalis ; sinistram cum Patena elevat supra Calicem, ita ut inferior Patenæ ora teneatur supra Calicis medium ; diligenter tunc dexteræ indice fragmenta, si qua sint, immittit in Calicem eodem modo quo supra, totamque Patenæ superficiem concavam indicis extremitate interiore extergit, ducens indicem circiter quater vel quinquies in tot diversis superficiei partibus a parte Patenæ superiori versus inferiorem et Calicem : caveat in hac actione, ne omnes digitos dexteræ extendat, seu separet ab invicem, sed attendat ut medius, annularis et parvus remaneant extensi quidem sed conjuncti ; tandem reponit super Corporalis plicaturam anteriorem, a parte Evangelii, sinistram quacum Patenam planam tenet ; et supra Calicis medium leviter extergit indicem et pollicem dexteræ, ne quid fragmentorum in eis remaneat, eosque iterum conjunctos tenet.

5. Præscripto modo agens, Sacerdos adhibuerit congruentem diligentiam et advertentiam in colligendis fragmentis, ne quid fragmentorum remaneat ; vitanda omnino est hac in re eorum nimia et superflua diligentia, qui Corporale ita radunt, ut filamenta et fragmenta Corporalis aut aliarum rerum colligant ; et Patenam abstergendo ac reabstergendo, circumstantes tædio afficiunt tempusque inutiliter conterunt. — Quidam Sacerdotes, anxii potius quam diligentes, Patenam ducunt et reducunt super Corporale ex omni parte usque vigesies ! Dein revolvunt Corporale super Patenam, et revera..... omnia jam faciunt ut fragmenta super Patenam non colligantur ; insuper Patenam extergunt super Calicem nimium diligenter ! Ad quid etenim usque vigesies, et amplius, Patena indice abstergitur ? Servetur modus præscriptus diligenter, et omnia diligenter satis facta fuisse unusquisque certus esse poterit.

Nota. Quæri potest an necessario facienda sit collectio fragmentorum ? Rubrica dicit quod Sacerdos « inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si qua sint in eo » ; sicut in præcedentibus aliquoties præscripsit post tactum S. Hostiæ extergendos esse digitos « si opus sit », « quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhæreat. »

Experientia mox unumquemque docet Sacerdotem, diligenter et prudenter actiones suas peragentem, fragmenta S. Hostiæ non raro quidem reperiri super Patenam inde a fractione S. Hostiæ : rarissime vero colligendas esse particulas in Corporali, in quo S. Hostia reposuit.

Attamen, etiamsi diligenter inspecto Corporali non appareant fragmenta, nemo cum certitudine judicare se posse existimet, aliquando minutissimas particulas non effugere oculos : ideoque, propter dignitatem Sacramenti, nemini superfluum videatur, in quacumque celebratione semper extergere Corporale, sed simpliciori qui supra descriptus fuit modo : sicuti etiam semper exterguntur digiti, etsi semper opus non sit.

Quod si Sacerdos super Corporale vel Patenam animadvertat materias extraneas, ex. gr., filamenta, subtilissimas ceræ particulas, istas extra Corporale vel Patenam seponat, quo meliori potuerit modo, ex. gr., extremitate digiti medii eas auferens ; sed numquam istas in Calicem immittere potest. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, III, 1889, pag. 674.)

253. Sumptio S. Sanguinis. — 1. Sacerdos retinet sinistram, qua Patenam tenet planam, super Corporale ; dextera accipit Calicem infra nodum, et dicit secreto : *Calicem salutaris..... salvus ero.*

Nota. Ex eo quod in Ordine Missæ Oratio : *Quid retribuam Domino etc.*, tota descripta reperiatur absque interruptione, erronee non pauci hanc totam jam dicunt ad genuflexionem et ad fragmentorum collectionem ac Patenæ extersionem. Ritus celebrandi Missam clare et distincte præscribit, prima verba : *Quid retribuam... retribuit mihi*, esse dicenda ad genuflexionem cum discooperitur Calix : reliqua vero, scilicet : *Calicem salutaris etc.*, tantum dici posse, quando Sacerdos « post extersionem Patenæ, Calicem dextera manu infra nodum cuppæ accipit. » — Non omnia quæ in Ritu celebrandi Missam præscribuntur facienda, reperiuntur descripta in Ordine Missæ ; Ritus exhibet præcipue cæremonias peragendas, Ordo Missæ vero preces dicendas ; sed in Ordine pro facilitate multæ cæremoniæ iterum, brevius tamen, describuntur ; nemo tamen existimet, ex eo quod in Ordine Missæ unus alterve ritus omittatur, hunc non esse servandum.

2. Dicta Oratione *Calicem salutaris..... salvus ero*, et non ante, Sacerdos, retenta sinistra super Corporale ut supra, dextera Calicem a Corporali elevat, et se signat signo Crucis cum Calice supra medium Corporalis, efformans lineam rectam ab altitudine summi pectoris usque prope mensam Altaris, cum dicit secreto : *Sanguis Domini nostri*, caput profunde inclinans ad nomen

Jesu Christi (cfr. Q. 251, 1), et efformans lineam transversam ad latitudinem pectoris cum dicit : *custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.*

3. Statim Calicem ori applicat, et simul sinistram cum Patena ab Altari levat, et supponit Patenam planam Calici prope mentum : et stans erecto capite, sumit reverenter totum S. Sanguinem, cum particula S. Hostiæ in Calice posita, unico haustu ; vel duobus haustibus, si necesse fuerit, quin tamen in casu Calicem ab ore amoveat ; sine aspiratione, sine elevatione capitis versus cœlum ; aliquantum immorando priusquam Calicem ab ore amoveat, ut, quantum potest, reliquiæ omnes S. Sanguinis in os effluant ; non ideo tamen pes Calicis ita elevetur ut altitudinem oculorum superet, indecens enim esset, si pes Calicis a circumstantibus supra Sacerdotis caput posset videri.

254. Purificatio Calicis. — 1. Sumpto S. Sanguine, Sacerdos non debet aliquantulum quiescere in meditatione SS. Sacramenti, quemadmodum id præscriptum habetur post sumptionem S. Hostiæ (cfr. Q. 251, 3). Rubrica nihil de meditatione post S. Sanguinis sumptionem dicit, sed describit quid, eo sumpto, mox pro Calicis purificatione sit servandum. — Ad dubium : « An Sacerdos post sumptionem Pretiosissimi Sanguinis debeat parumper immorari in adoratione, prout fit post sumptionem Sacræ Hostiæ ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Serventur Rubricæ. » (Decret. 24 Septembris 1842, n. 2850, antiq. 4950, ad 2.) Qui meditationem sumpto S. Sanguine instituerit, ritum aliquem jam adderet, et eo ipso Rubricam non servaret. Caveat tamen Sacerdos ab omni præcipitantia in porrigendo Calice pro purificatione.

Inevitabiliter, etiam post diligentissimam sumptionem, quædam reliquiæ S. Sanguinis remanent in Calicis pariete et fundo ; nihilominus statim post sumptionem purificatio Calicis facienda est. Ad dubium : « Post sacrosancti sumptionem Sanguinis et ante ablutionem, quædam consecrati vini particulæ in Calice manent ; quæritur : an in casu ablutio sumenda sit, vel iterum admovendus sit Calix ori Celebrantis, ut eæ reliquiæ

Sanguinis singillatim sumantur ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Servetur Rubrica Missalis. » (Decret. 12 Julii 1901, *Colimen.*, ad 4 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 462.) Itaque sumatur S. Sanguis reverenter, ut Rubrica præscribit, et diligenter uti propositum fuit, et sufficit ut statim post sumptionem purificatio Calicis fieri possit.

2. Sacerdos igitur, sumpto S. Sanguine, statim, absque meditatione, dicit secreto : *Quod ore sumpsimus etc.*; et interim sinistram, qua Patenam continuo retinet, reponit super Corporale a parte Evangelii ; et non discedens e medio Altaris, dextera tenet Calicem a parte Epistolæ super Altare, ita tamen ut pes Calicis Altare non attingat, (aut si ministri statura id non sinit, ante Altare), porrigens eum ministro, qui vinum infundit in tanta quantitate, quanta fuit infusa ad Offertorium ; Sacerdos pauxillum elevat Calicem cum sufficit quantitas infusa ; statim reducit Calicem super medium Corporalis, et semel, aut ad summum bis circumducit prudenter et lente vinum in Calice, ut sacræ species cuppæ adhærentes commisceantur vino purificationis, illoque abluantur seu purificentur partes cuppæ, quas sacræ species attigerunt.

Nota. Rubrica dicit quod Sacerdos « super Altare porrigit Calicem ministro in cornu Epistolæ » ; hæc verba « in cornu Epistolæ » non intelligenda sunt quasi Sacerdos pro hac actione deberet e medio discedere et stare in cornu Epistolæ ; sed simpliciter indicant ministrum stare cum ampullis ad latus Sacerdotis a parte Epistolæ ; ita ut discessus e medio non requiratur.

3. Mox Sacerdos iterum sinistra supponit Patenam ori prope mentum, et sumit purificationem ex eadem Calicis parte, ex qua S. Sanguinem sumpsit, ac eodem modo, quo supra S. Sanguinem sumpsit, quin Calicis labium in ore circumducat aut lambere videatur.

4. Citant Gavantus et Benedictus XIV ordinationem S. Pii V, factam in epistola ad Archiepiscopum Tarraconensem, die 8 Januarii 1571, qua præscribit ut eadem vini quantitas infundatur ad purificationem, in qua fuerunt species Sanguinis ; et ut purificatio eadem Calicis parte sumatur, qua Sanguis fuit sumptus. « Mi-

rare, quæso, exclamat Gavantus, Sanctissimi Pontificis etiam in minimis diligentiam. »

Nota. Relate ad purificationem Calicis, quam Rubrica jubet faciendam vino, juvat hic describere ex Decretis S. Rituum Congregationis duo Indulta quoad usum vini in purificatione.

1. Sacerdos N., Romæ residens, Summo Pontifici exponit, quod ob graves ægritudines quas passus est, aqua semper uti cogitur, et a vino ita abhorret ut nec ipsius odorem sustinere possit ; ad vitandas igitur perturbationes stomachi quæ in Missæ celebratione ei accidere possent, Apostolicam dispensationem humiliter exposcit ut, peracta sumptione SS. Sanguinis, aqua tantum uti valeat pro Calicis purificatione. » Summus Pontifex Pius IX, referente S. Rituum Congregationis Secretario, attentisque expositis : « De speciali gratia benigne commisit Reverendissimo Domino Cardinali Urbis Vicario, ut constito de veritate expositorum per authenticas probationes, petitum Indultum oratori largiatur extendendum quoad eadem salutis perdurent incommoda. » Decret. 5 Januarii 1847, n. 2926, antiq. 5061.)

2. Sacerdos N. a Summo Pontifice ex gratia postulat facultatem ad faciendam cum sola aqua purificationem Calicis, et ablutionem digitorum in Sacrificio Missæ, propter repugnantiam ad vinum ob difficultatem digerendi illud, ob quas causas non utitur vino extra Missæ Sacrificium. » Summus Pontifex Pius IX, referente S. Rituum Congregationis Secretario : « De speciali gratia annuit ; dummodo preces veritati nitantur. » (Decret. 5 Martii 1847, n. 2947, antiq. 5092.)

255. Ablutio digitorum. — 1. Sumpta purificatione, Sacerdos sinistra deponit Patenam super Corporale, versus partem Evangelii, et dextera Calicem in medio Corporalis ; accipit ambabus manibus Calicem ad cuppam, ita ut indices et pollices conjuncti parumque inclinati sint supra medium cuppæ Calicis, et reliqui digiti ponantur contra cuppæ parietem exteriorem.

2. Ita sustinens Calicem, Sacerdos aliquantum se convertit ad ministrum stantem juxta ipsum ad dexteram, hoc est in cornu Epistolæ (vide Notam infra) ; Calicem tenet ante Altare, ut minister commode valeat infundere quemadmodum præscribitur (quod jam commode facere non posset Calice retento super Altare). Tunc minister infundit super pollices et indices, idest, super eorum digitorum extremitates, seu partes quæ S. Hostiam attegerunt, primo parum vini, dein satis aquæ, ita ut quantitas aquæ simul et vini sit circiter

eadem quam quantitas vini pro purificatione Calicis prius sumpta ; sed pro præsenti ablutione major erit pars aquæ quam vini ; Sacerdos pauxillum elevat Calicem quando sufficit utriusque quantitas infusa ; interim incipit secreto : *Corpus tuum, Domine, etc.*

3. Dum illam Orationem prosequitur, Sacerdos conversus ad Altare, Calicem reponit super Corporale ; excutit leviter pollices et indices a guttis supra Calicem, et accipit manu dextra purificatorium, quo mox utriusque manus digitos abstergit.

4. Sacerdos, abstersis digitis, dextera purificatorium ponit super sinistræ indicem, ita ut ab utraque manus sinistræ parte æqualiter dependeat, et sinistram deponit super Altare extra Corporale ; simul dextera accipit Calicem ad nodum inter pollicem et reliquos digitos, et supra medium Corporalis semel, aut ad summum bis circumducit prudenter et lente vinum et aquam in Calice ; apposita sinistra cum purificatorio contra summitatem pectoris, seu sub mento, sumit ablutionem ex eadem iterum parte, ex qua primum purificationem sumpsit, ac eodem modo.

Nota. Plures auctores præscribunt Sacerdotem debere e medio Altaris versus cornu Epistolæ discedere pro digitorum ablutione. Nec Rubrica, nec ullum S. Rituum Congregationis Decretum, nec ulla ratio aut necessitas illud exigunt.

Rubrica dicit quod Sacerdos « porrigit Calicem ministro in cornu Epistolæ » ; sed illud præscribit tam pro præcedenti purificatione Calicis quam pro præsenti ablutione digitorum ; attamen nullus ex auctoribus pro Calicis purificatione exigit discessum ad cornu Epistolæ ; quare ergo exigendus foret pro digitorum ablutione ? — Verba « in cornu Epistolæ », uti jam dictum fuit in Nota ad n. 2 præcedentis Quæstionis, referuntur ad ministrum, ejusque locum indicant, qui locus recte intelligitur : juxta Celebrantem, ad ejus dexteram, ut clare patet ex alio textu Rubricæ. (Cfr. Ritus, Tit. X, n. 3, cujus vide textum n. 1 hujus Articuli.)

Nulla ratio requirit Celebrantis discessum e medio ; nam hæc digitorum ablutio non est ablutio a sordibus, sicut post Offertorium, sed fit ad cautelam pro sacris particulis, quæ forte digitis adhærent ; vel fit ex majori reverentia, ut manus, quæ Sanctissimum Christi Corpus tractaverunt, antequam aliam quamcumque rem jam attingere audeant, prius hac infusione ad hoc præparentur.

Auctores omnes docent quod in Missa solemni Celebrans pro hac digitorum ablutione non debet e medio discedere, quia

Rubrica non præscribit Subdiacono ut ipse pro infusione ad cornu Epistolæ se retrahat et Celebranti locum cedat ; Subdiaconus tamen stat ad dexteram Celebrantis : nonne idem est locus ministri in Missa privata, nempe « juxta ipsum ad dexteram, hoc est, in cornu Epistolæ » ?

Ergo, donec S. Rituum Congregatio aliter declaraverit, non perperam servabitur interpretatio Rubricæ supra posita.

256. Extersio Calicis. — Sacerdos, sumpta ablutione, deponit Calicem supra medium Corporalis, et sumit dextera unam extremitatem purificatorii, quacum labia leviter abstergit ; deinde purificatorium ponit super Calicem ita ut dependeat ab utroque latere ; et premens extremitatibus digitorum dexteræ manus purificatorium usque ad fundum et in pariete, et pollice partem ejusdem purificatorii contra cuppam exterius, Calicem, quem sinistra ad nodum paulum elevatum et inclinatum tenet, extergit et exsiccat, circumducendo, leviter sed diligenter, bis vel ter purificatorium per parietem Calicis interiorem totum, et per exteriorem in ea parte qua sumptiones factæ fuerunt. Cumque pars illa purificatorii, qua extersio interioris partis cuppæ primum fit, sæpius statim madefacta reperiatur, ita ut exsiccatio perfecta cuppæ non obtineatur (cujus causa sæpe est subtilis qualitas lintei), ideo congruum erit, purificatorium bis vel ter circumductum e cuppa extrahere, et illud a parte opposita, adhuc sicca, iterum intromittere, ac bis vel ter per parietem circumducere.

Ita faciendo perfecte exsiccatus erit Calix ; quidam nimium laborant in hac actione, et Calicem non tantum exsiccant, sed videntur velle auferre inaurationem cuppæ ! Caveat etiam Sacerdos a nimio brachiorum motu et nimia eorumdem extensione ; quidam enim videntur velle ad volatum se parare ! Omnia fiant diligenter et decore.

257. Velatio Calicis. — 1. Sacerdos extersum Calicem reponit super medium Corporalis, purificatorium utraque manu ita extendit super Calicem ut extremitates ab utraque parte dependeant ; dextera accipit cochlear, illudque reponit super purificatorium ; sinistra imponit Patenam, et dextera pallam ; dextera accipit Calicem, et reponit a parte Evangelii extra Corporale

Quoad modum quo purificatorium hic poni debet super Calicem notatur : Ad dubium : « Facta in Missa digitorum ablutione post Communionem, debetne Sacerdos plicare purificatorium ; an illud expansum seu non plicatum imponere Calici ? » S. Rituum Congregatio rescribere rata est : « Servetur Rubrica. » (Decret. 4 Septembris 1875, n. 3368, antiq. 5627.) In præcedenti Decretorum editione rescriptum erat : « Consulendi probati interpretes Rubricarum. » Rubrica dicit (Ritus, Tit. X, n. 5) quod Sacerdos « purificatorium extendit super Calicem. »

Purificatorium est linteum in sua longitudine ordinarie bis duplicatum (cfr. Q. 82), quod Sacerdos ad præparationem Calicis « super ejus os ponit » (Ritus, Tit. I, n. 1), utique in sua latitudine ita super Calicis os extensum, ut pendeat a latere ab utraque parte oris Calicis. (Cfr. Q. 178.) Non perperam æstimabitur hic post Communionem requiri a Rubrica purificatorii extensionem non aliam quam quæ ad Calicis præparationem, nempe in latitudine usuvenit, et non intendi extensionem lintei totalem in longitudine et latitudine, qua Calix totus ex omni parte usque ad pedem cooperiretur.

2. Mox ambabus manibus plicat Corporale modo indicato in Q. 178 ; dextera accipit bursam, eamque in medio Altaris sinistra apertam tenet ; dextera recondit in bursam Corporale, eo modo ut fimbria partis ultimo plicatæ sit juxta aperturam bursæ ; istamque relinquit planam super Altare.

3. Dextera accipit velum Calicis de cornu Epistolæ, et ambabus manibus illud tenens ad extremitates superiores, eo cooperit Calicem adhuc positum a parte Evangelii, ita ut anterior pars usque ad pedem sit operta ; mox utraque etiam manu ponit super velum bursam cum apertura versus partem Calicis posteriorem.

Ad dubium : « Utrum Calix in fine Missæ debeat totus velari in parte anteriori, prout ab initio Missæ ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Ante versiculum, quod dicitur Communio, cooperiendum velo Calicem in anteriori parte, prout ante Confessionem. » (Decret. 1 Martii 1698, n. 1991, antiq. 3459, ad 1; cfr. etiam Decret. 12 Januarii 1669, n. 1379, antiq. 2464.)

4. Tandem sinistra accipit Calicem ad nodum, dextera bursæ imposita, eumque collocat in medio Altaris ut in principio Missæ.

Nota. Quidam Sacerdotes jam collocant Calicem in medio Altaris postquam reposuerunt Corporale in bursam, antequam Calicem velo cooperiant. Non agunt isti juxta Rubricam ; hæc

enim expresse præscribit quod Sacerdos coopertum jam velo Calicem, et bursa desuper posita, collocat in medio Altaris ut in principio Missæ.

ARTICULUS XI

De Communione, et Orationibus post Communionem dicendis

Textus. (Tit. xi.) — 1. Celebrante purificato, dum Calicem collocat in Altari, liber Missalis defertur per ministrum ad cornu Epistolæ, et collocatur, ut in Introitu. Ipse autem minister genuflectit juxta cornu Evangelii, ut in principio Missæ. Deinde Celebrans stans junctis manibus legit Antiphonam, quæ dicitur Communio ; qua lecta, junctis itidem manibus ante pectus, vadit ad medium Altaris, et eo osculato vertit se ad populum a manu sinistra ad dexteram, et dicit : *Dominus vobiscum,* et per eamdem viam redit ad librum, dicit Orationes post Communionem, eisdem modo, numero, et ordine, ut supra dictæ sunt Collectæ. Quibus finitis, claudit librum, et jungens manus ante pectus, revertitur ad medium Altaris, ubi eo osculato vertit se ad populum, et dicit ut supra : *Dominus vobiscum* ; quo dicto, stans junctis manibus ante pectus versus populum, dicit, si dicendum est : *Ite Missa est,* et per eamdem viam revertitur ad Altare. Si vero non sit dicendum, dicto *Dominus vobiscum,* revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium Altaris, ubi stans versus ad illud, junctis ante pectus manibus, dicit : *Benedicamus Domino.* In Missis autem Defunctorum eodem modo stans versus Altare, dicit : *Requiescant in pace.*

2. In Quadragesima autem a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV majoris Hebdomadæ in feriali Officio, postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat : *Dominus vobiscum,* stans in eodem loco ante librum dicit : *Oremus. Humiliate capita vestra Deo,* caput inclinans, et extensis manibus, subjungit eadem voce Orationem super populum, ibidem positam, qua finita osculatur Altare, et vertens se ad populum dicit : *Dominus vobiscum,* et alia ut supra.

258. Antiphona « Communio ». — Postquam Calicem in medio Altaris collocavit, Sacerdos manus ante pectus jungit, et accedit ad cornu Altaris sinistrum, id est Epistolæ, in quo repositus fuit liber Missalis ; quærit in Missali Antiphonam Missæ quæ *Communio* dicitur, et junctis ante pectus manibus eam legit clara voce. Dein iterum accedit ad medium Altaris, junctis manibus.

259. Postcommunio. — 1. Ante Altaris medium cum pervenit, manus disjungit, et ponit extensas super Altaris mensam (Q. 167, 5°, A), ac simul osculatur Altare in medio. Erectus, manibus ante pectus junctis, demissisque ad terram oculis, vertit se a sinistro latere ad dexterum versus populum, remanens in medio Altaris; et totaliter conversus, stans, extendit manus et eas statim rejungit ante pectus, dicens interim clara voce: *Dominus vobiscum.*

2. Accedit ad Missale, dicit Orationes post Communionem, eisdem mòdo, numero, et ordine, ut supra dictæ fuerunt Collectæ ante Epistolam. (Cfr. Art. III, QQ. 203-207.)

3. Postquam Orationis, aut si plures dictæ fuerunt, ultimæ Orationis conclusionem totam recitavit, Sacerdos ambabus manibus claudit librum, eumque ponit in medio pulpiti clausum, eo modo ut apertura medium Altaris respiciat. — Si aliud Evangelium in fine erit dicendum quam Initium Evangelii S. Joannis, finita Oratione, Sacerdos vertit folia ad Evangelium quod erit dicendum, et librum apertum relinquit. — Junctis mox ante pectus manibus, redit ad medium Altaris.

Nota. In Quadragesima, id est, a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV Majoris Hebdomadæ inclusive, quædam specialis Rubrica est observanda in Missis quæ dicuntur de Feria, seu conformes Feriali Officio. Etenim postquam in his Missis Sacerdos dixit omnes Postcommuniones, eodem ordine quo dictæ fuerunt Orationes ante Epistolam, et Secretæ, cum suis solitis conclusionibus, addenda est insuper et alia Postcommunio omnino distincta, quæ vocatur Oratio « super populum ». — De ratione hujus Orationis agitur in Tractatu de Rubricis Missalis, Q. 112, Nota 3°, et Q. 193, II. — Itaque Sacerdos, dictis omnibus Postcommunionibus, remanet in eodem loco ante Missale, consueto modo iterum dicit *Oremus,* inclinans profunde caput versus Crucem, manusque extendens et rejungens; et mox manibus junctis, dicit: *Humiliate capita vestra Deo,* interim caput profunde inclinans versus Missale; — vel potius, ut stricte teneatur littera Rubricæ quoad inclinationem, caput profunde inclinans Cruci, manusque extendens et rejungens ad *Oremus*; et inclinatum versus Crucem caput tenens, usque dum manibus junctis addiderit: *Humiliate capita vestra Deo*; — et extensis illico manibus, conversus ad Missale, capite erecto, subjungit Orationem « super populum » in Missali positam, eodem omnino modo quo dictæ fuerunt Postcommuniones. —

Hæc specialis Rubrica, ut dictum fuit, non est observanda nisi in Missis quæ dicuntur de Feria in Quadragesima ; non autem in Missis de Dominicis, aut de Festis, quæ hoc tempore dicuntur. — Ea dicta, Sacerdos observat omnia quæ supra notantur.

4. In medio Altaris, manus disjungit et ponit super Altare, illud osculatur, vertit se ad populum, et dicit, ut supra : *Dominus vobiscum*, eadem observans quæ supra n. 1 præscripta fuerunt.

260. Ite Missa est. — Cum dixit *Dominus vobiscum*, Sacerdos, manibus ante pectus junctis remanens conversus ad populum, clara voce dicit : *Ite Missa est* ; et per eamdem viam convertit se ad medium Altaris. Si *Ite Missa est* non sit dicendum, Sacerdos convertit se eodem modo, per eamdem viam, ad medium Altaris, postquam dixit *Dominus vobiscum*, et stans versus ad illud, junctis ante pectus manibus, dicit : *Benedicamus Domino*.

ARTICULUS XII

De Benedictione in fine Missæ, et Evangelio sancti Joannis

Textus. (Tit. xii.) — 1. Dicto *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, ut supra, Celebrans ante medium Altaris stans junctis manibus super eo, et capite inclinato, dicit secreto : *Placeat tibi, sancta Trinitas etc.* Quo dicto, extensis manibus hinc inde super Altare positis, ipsum in medio osculatur : tum erigens se, adhuc stans versus illud, elevat ad cœlum oculos et manus, quas extendit, et jungit, caputque Cruci inclinans, dicit voce intelligibili : *Benedicat vos omnipotens Deus*, et junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum a sinistro latere ad dexterum, extensa manu dextera, junctisque digitis, et manu sinistra infra pectus posita, semel benedicit populo dicens : *Pater, et Filius,* † *et Spiritus sanctus.* ℟. *Amen* ; et circulum perficiens accedit ad cornu Evangelii, ubi dicto *Dominus vobiscum*, et ℟. *Et cum spiritu tuo*, pollice dextero signans primum signo Crucis Altare, seu librum in principio Evangelii, deinde frontem, os et pectus, dicit : *Initium sancti Evangelii secundum Joannem*, vel : *Sequentia sancti Evangelii*, ut dictum est in Rubricis generalibus, et ℟. *Gloria tibi Domine*, junctis manibus legit Evangelium : *In principio*, vel aliud ut convenit. Cum dicit : *Et verbum caro factum est*, genuflectit versus cornu Evangelii, et surgens prose-

quitur ut prius : quo finito minister stans a parte Epistolæ respondet : *Deo gratias.*

2. Si Celebrans in Altari vertit faciem ad populum, non vertit se, sed stans ut erat, benedicit populo, ut supra in medio Altaris : deinde accedit ad cornu Evangelii, et dicit Evangelium S. Joannis.

3. Quibus omnibus absolutis, exstinguuntur per ministrum candelæ : interim Sacerdos accipit sinistra Calicem, dexteram ponens super bursam, ne aliquid cadat, descendit ante infimum gradum Altaris, et ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat (vel. si in eo est tabernaculum SS. Sacramenti. genuflectit), et facta reverentia, accipit biretum a ministro, caput cooperit, ac præcedente eodem ministro, eo modo quo venerat, redit ad Sacristiam, interim dicens Antiphonam *Trium puerorum,* et Canticum *Benedicite.* Si vero sit dimissurus paramenta apud Altare, ubi celebravit, finito Evangelio prædicto, ibidem illis se exuit, et dicit Antiph. *Trium puerorum,* cum Cantico, et aliis Orationibus, ut suo loco ponuntur.

261. Placeat. — Sacerdos post *Ite Missa est,* vel *Benedicamus Domino,* stans ad Altare conversus, junctas manus ponit super Altaris oram (Q. 167, 3°), et capite profunde inclinato (Q. 165, II), recitat secreto Orationem : *Placeat tibi, sancta Trinitas, etc.*

262. Benedictio. — Dicta Oratione *Placeat,* Sacerdos extendit manus, et hinc inde super Altare reponit ; Altare in medio osculatur. Mox se erigit, et manus jungit ante pectus ; deinde oculos elevans ad Crucem, manus extendit et elevat usque ad humeros, rejungit ante faciem, reducit ante pectus (Q. 167, 8°), dum etiam oculos demittit, et caput profunde Cruci inclinat ; interea dicens clara voce : *Benedicat vos omnipotens Deus.* Manus junctas ante pectus tenens, demissis ad terram oculis, vertit se a sinistro latere ad dexterum versus populum, et totaliter conversus, ponit sinistram infra pectus, et dextera extensa et erecta, parvo digito converso ad populum junctisque reliquis digitis, benedicit populo (Q. 168, 2°), dicens *Pater, et Filius* ad lineam rectam, quæ efformatur ab altitudine frontis usque ad pectus, dein *et Spiritus sanctus* ad lineam transversam, quæ efformatur ad altitudinem et distantiam humerorum.

263. Ultimum Evangelium. — 1. Postquam dederit Benedictionem, Sacerdos jungit manus, et conti-

nuans circulum, per suam dexteram accedit ad cornu Evangelii, ac se convertit ad librum vel Tabellam, ubi stat oblique, nempe facie ad cornu Altaris dexterum conversa, eodem omnino modo sicut ad primum Evangelium (Q. 210, I).

Dubium : « Rubricam Missalis (Tit. XII, n. 1) non usquequaque claram interpretantur auctores, et professores Liturgiæ sacræ docent ultimum Evangelium in fine Missæ eodem prorsus modo dicendum esse prout primum, id est, Sacerdote oblique stante, sive parum per suam sinistram converso ad populum. Cum tamen alii, præsertim seniores, Sacerdotes negent talem esse sensum hujus Rubricæ ; quæritur : Num ultimum Evangelium a Sacerdote oblique stante recitari debeat ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 30 Augusti 1892, n. 3792, ad 5.)

2. Junctis manibus, Sacerdos dicit clara voce *Dominus vobiscum* ; dein dicit *Initium sancti Evangelii secundum Joannem*. Cum dicit *Initium*, disjungens manus, ponit sinistram extensam super Altare, et dextero pollice signo Crucis signat Altare in cornu Evangelii, dexteram tenens totam extensam, ex parte palmæ ad Altare conversam. (Si Evangelium legit e libro Missali, servat omnia præscripta ad Q. 210, II.) Dein signat frontem, os et pectus, ac legit Evangelium eodem modo, qui præscribitur Q. 210, II. Cum in Evangelio dicit : *Et verbum caro factum est*, manus disjungit et hinc inde super Altare ponit extensas, et dexterum genu flectit versus cornu Evangelii ; dein surgens prosequitur : *et habitavit etc.* Idem observaret, si in alio Evangelio ob quædam verba esset genuflectendum. Evangelio finito, non osculatur ejus principium, neque dicit : *Per Evangelica dicta*. Si Evangelium legit e libro Missali, eo lecto, Sacerdos librum claudit ambabus manibus, eumque ponit in pulpiti medio clausum cum apertura versus medium Altaris.

264. Discessus ab Altari. — 1. Post Evangelium, Sacerdos manibus junctis accedit ad medium Altaris ; accipit in manu sinistra Calicem ad nodum, ita ut pars Calicis, non cooperta velo, sit versus pectus, et dexteram imponit bursæ. Tunc caput profunde inclinat Cruci

(cfr. infra Q. 269, I, 1°, 17), convertit se ad cornu Epistolæ, seu per suam dexteram, paulumque recedens e medio ad partem Evangelii, et descendit de Altari ante infimum gradum.

Nota. Ubi plures sunt Altaris gradus, Sacerdos caute descendat, et ideo lentius descendat. — Aliqui, cum gradus descendunt, manus fere ad distantiam humerorum extendunt, sola sinistra tenentes Calicem, ac dexteram quasi in aere pendulam tenentes ; alii manus non extendunt, et Calicem utraque manu tenent, sed brachia, et manus, et Calicem protendunt, ita ut liceat ipsis pectus inter et Calicem inspicere gradus per quos descendunt ; alii tandem cum descendunt, Calicem utraque manu tenent, non vero ante pectus sed ad sinistrum latus, dum caput inclinant et protendunt versus dexterum latus. — Risum movet indicatio hujus agendi modi omnino singularis ; unusquisque tamen velit attendere, ne unam alteramve hujusmodi praxim adhibeat ; certior ac tutior gressus non requirit singularia.

2. Sacerdos cum descendit usque ad planum ante Altaris gradus, convertit se ad Altare per latus dexterum, seu versus partem Epistolæ, et mox Altari debitam facit reverentiam (Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Februarii 1666, n. 1333, ad 7, antiq. 2363, ad 9) ; scilicet : vel capitis inclinationem profundam, si Crux tantum ponitur in Altari ; non vero profundam corporis inclinationem, sicut in accessu (Q. 192, II, d, Nota) ; — cujus rationem dant auctores, quod dignior tunc est Sacerdos, quippe qui Corpore Domini nostri Jesu Christi refectus Christophorus est ; — vel genuflexionem unius genu super pavimentum ante gradus, si in Altari habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, aut exposita est in loco principali Reliquia S. Crucis, aut Dominicæ Passionis.

3. Facta reverentia, et erectus, Sacerdos dextera accipit biretum et caput cooperit ; repositaque super bursam dextera, eo modo quo venerat, redit ad Sacristiam. — Si Sacristiæ janua habetur retro post Altare, et æque per Epistolæ ac per Evangelii partem habetur accessus, Sacerdos ab Altari discedit per partem Epistolæ, ut redeat ad Sacristiam. (Cfr. Q. 184, et Decretum S. Rituum Congregationis ibi descriptum.)

Nota. Quæ supra explicantur de discessu ab Altari,

proposita sunt juxta Rubricas Missalis quæ præscribunt discessum ab Altari immediate post ultimum Evangelium quo terminatur Missa. Nonnumquam vero occurrunt varia facienda immediate post ultimum Evangelium ante discessum ab Altari; imo hodiedum regulariter recitari debent quædam Preces a Celebrante post quamcumque Missam sine cantu celebratam. De his omnibus agitur in Sectione III hujus Libri II, QQ. 322, 323, 324.

265. Epilogus. — Hic terminatur expositio mirabilis illius complexus cæremoniarum, qui constituit Ritum celebrationis Sanctissimi Missæ Sacrificii.

Multæ sunt ac variæ cæremoniæ ; auctores quidam numeraverunt plus quam quingentas præscriptiones successive in unius Missæ celebratione servandas. Propterea autem huic Sanctissimæ Actioni tot tamque varias addixit Sancta Ecclesia cæremonias et preces, ut tanto majori majestate, religione, et reverentia hoc supremum Opus a Sacerdotibus perficeretur. « Studiosa Divinæ Legis Ecclesia Romana paulatim protulit de thesauro suo nova pietatis monumenta, et quoddam velut ex auro lapidibusque pretiosis religiosi officii Sancto Sacrificio fabrefecit diadema. » (Rupertus, Abbas Tuitiensis, *De divinis Officiis Libri XII*, apud Migne, Tom. 170.)

Et isti multi, ac decora majestate conspicui Sanctissimæ Actionis ritus, quorum apparatu magnifico ornata Sponsa Christi tamquam Regina stat in vestitu deaurato, circumdata varietate, non nudæ et vacuæ sunt actiones, sed et minimi eorum omnes vitæ, significationis, et profundæ sapientiæ ac spiritus plenissimæ ; per quos, ceu totidem visibilia Religionis et pietatis signa, dum Deus digne colitur, simul mentes fidelium ad rerum divinarum contemplationem sustollantur, sicque instruantur, ac ædificentur, et ad sanctitatem et cœlestem beatitudinem adducantur.

Utinam nostrum propositum sit et maneat, præscriptas ab Ecclesia cæremonias usque ad minimas maximi æstimare, religiose et ferventer addiscere, et semper usque ad mortem perfecte exsequi.

« Ecce, Sacerdos factus es, et ad celebrandum con-

secratus ; vide nunc, ut fideliter et devote in suo tempore Deo Sacrificium offeras, et te ipsum irreprehensibilem exhibeas. » (*De imitatione Christi*, Lib. IV, Cap. 5, n. 2.)

Priusquam exponantur in Sectione III ea quæ sunt observanda post Missæ celebrationem, adjunguntur Sectioni II variæ Appendices, in quibus proponuntur diversæ instructiones, tum pro ipsa Missa privata, tum pro Missis quæ in quibusdam circumstantiis a ritu consueto privatæ Missæ plus minusve differentes sunt celebrandæ.

APPENDICES

I. Summarium Cæremoniarum Missæ

266. Ad juvandum memoriam in cæremoniis Missæ addiscendis et retinendis, plerique auctores proponunt Summarium præcipuarum quæ in celebratione Missæ observari debent cæremoniarum ; quod Summarium etiam summopere convenit Sacerdotibus, ad instituendum interdum examen utrum accuratissima diligentia maneat servata in cæremoniis debito modo et loco exsequendis ; nam consuetudo quotidianæ celebrationis ipsos diligentiores non raro reddit in uno alterove puncto infideles. Ideo in hac Appendice proponuntur summatim illæ Missæ partes, in quibus unaquæque ex præcipuis ac pluries occurrentibus cæremoniis observanda venit. Modus ipsas peragendi jam fuit descriptus in Articulo II Notitiæ præliminaris Libri II, ad Quæstiones in parenthesi pro singulis cæremoniis indicatas.

§ 1. Genuflexio

267. — I. **Genuflexio duplex** (cfr. Q. 164, I) in Missa privata numquam occurrit facienda, nisi per accidens, scilicet :

1. Quando Sacerdos, inter eundum ad Altare, transit

ante Altare ubi Missa celebratur infra Consecrationem et Elevationem ; vel ubi Sacra Communio distribuitur ; vel ubi SS. Sacramentum in Throno est expositum ; vel quando obviat Sacerdoti SS. Sacramentum deferenti. (Cfr. Q. 186, 4, B ; 5, 6, 7.) Idem est observandum inter redeundum ad Sacristiam post Missam celebratam. — Animadvertat Sacerdos quæ in locis citatis, et insuper QQ. 190 et 191, notantur de bireto in his genuflexionibus.

2. Exposito SS. Sacramento, fit in accessu ad Altare ante Missam, et in recessu ab Altari post Missam, ante gradus Altaris super pavimentum. (Cfr. Q. 192, II.)

3. Quando in Hebdomada majori legitur Passio Domini, ad verba *emisit spiritum*, vel *exspiravit*, vel *tradidit spiritum*, Sacerdos debet genu utrumque flectere, et genuflexus pausare aliquantulum.

4. Si infra Missam in Altari ubi Sacerdos celebrat, SS. Sacramentum in Tabernaculo hujus Altaris servatum aliqua de causa ab alio Sacerdote accedente movetur, agendum erit secundum dicenda postea in Appendice IV Sectionis III hujus Libri. (Cfr. Q. 340.)

II. Genuflexio simplex (cfr. Q. 164, II) fit :

1. Quando Sacerdos, inter eundum ad Altare, transit ante Altare in quo habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso ; vel in quo Reliquiæ S. Crucis, aut Dominicæ Passionis loco principali sunt expositæ. (Cfr. QQ. 186, 3 ; 188.) Idem est observandum inter redeundum ad Sacristiam post Missam celebratam. — Animadvertat Sacerdos quæ in locis citatis, et insuper QQ. 190 et 191, notantur de bireto in his genuflexionibus.

Nota. Hæc genuflexio non est facienda, quando Sacerdos, inter eundum ad Altare, transit ad Altare ubi Missa celebratur inde ab Elevatione facta usque ad Communionem ; nisi forsan in aliquo speciali casu. (Cfr. Q. 186, 4. C.)

2. Si in Altari, ad quod celebraturus est Sacerdos, sit Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso ; aut si Reliquia S. Crucis, vel Dominicæ Passionis sit loco principali exposita ; fit in accessu ad Altare ante Missam, et in recessu ab Altari post Missam ; et hæc genuflexio fit super pavimentum ante gradus.

3. Antequam Sacerdos signo Crucis incipit Missam, si in Altari expositum est SS. Sacramentum ; si in Altari habetur Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso ; si in Altari Reliquia SS. Crucis, vel Dominicæ Passionis loco principali est exposita ; et tunc fit in infimo gradu Altaris.

4. Quoties in Missa privata dicitur : *Flectamus genua.*

5. Quotiescumque in Epistola, Tractu, Evangelio, præscribitur genuflexio. (Cfr. QQ. 207, 211.)

6. In Symbolo ad verba : *Et incarnatus.... homo factus est.*

7. Ante et post Elevationem S. Hostiæ et S. Sanguinis.

8. Quoties, post Elevationem, Sacerdos movet Hostiam et Calicem, genuflexio fit ante et post motum ; scilicet : *a*) postquam discooperuit, et postquam cooperuit Calicem ad *Per ipsum, etc.* ; et ad Fractionem S. Hostiæ ; *b*) antequam dicit : *Panem cœlestem accipiam etc.* ; *c*) aperto Calice, antequam colligit particulas.

9. In Evangelio S. Joannis, ad verba : *Et verbum caro factum est.*

§ 2. Inclinatio corporis

268. — I. **Inclinatio corporis profunda** (Cfr. Q. 165, I) fit :

1. In accessu ad Altare, post datum biretum ministro, ante infimum Altaris gradum ; modo non sit facienda genuflexio in casibus qui notantur ad Q. 267 (I, 2 ; II, 2).

2. Priusquam Missa incipitur signo Crucis, ante infimum Altaris gradum ; modo non sit facienda genuflexio, nempe exposito SS. Sacramento, aut eodem incluso in Tabernaculo ; aut si Reliquia S. Crucis vel Dominicæ Passionis sit exposita loco principali Altaris. (Cfr. QQ. 195 ; 267, II, 3.)

3° Infra *Confiteor*, usque ad *Amen*, inclusive, postquam minister absolvit *Misereatur*.

4. Infra *Munda cor ; Jube Domine ; Dominus sit etc.*, ante Evangelium.

5. Ad *Te igitur*, initio Canonis, usque ad verbum *petimus*, inclusive.

6. Ad *Supplices te rogamus*, usque ad verbum *quotquot*, inclusive.

II. Inclinatio corporis mediocris (Cfr. Q. 165, I) fit :

1. Ad versiculos : *Deus tu conversus etc.*, usque ad *Oremus*, inclusive.

2. Ad Orationem : *Oramus te Domine*, usque ad verbum *reliquiæ*, inclusive.

3. Infra Orationem : *In spiritu humilitatis.*

4. Infra Orationem : *Suscipe, sancta Trinitas.*

5. Ad Trisagion *Sanctus*, usque ad verbum *Benedictus*, exclusive.

6. Infra tres Orationes ante Communionem.

7. Infra Orationem *Domine, non sum dignus*, ter repetitam.

8. Ad sumptionem S. Hostiæ.

§ 3. Inclinatio capitis

269. — I. Inclinatio capitis profunda (cfr. Q. 165, II) præscribitur, vel 1° ob peculiaria motiva, plerumque ratione verborum quæ dicuntur ; vel 2° ratione transitus ante medium, aut accessus ad medium, aut recessus e medio Altaris in quo Missa celebratur.

1° Ad peculiaria quædam puncta, scilicet :

1. Ad Crucifixum in Sacristia, immediate ante egressum.

2. Quando Sacerdos, inter eundum ad Altare, transit ante Altare majus Ecclesiæ, modo non sit facienda genuflexio in casibus qui supra n. 267 notantur ; vel ante Altare in quo Reliquiæ S. Crucis aut Dominicæ Passionis sunt in custodia reconditæ. (Cfr. QQ. 186, 1 ; 188.) Idem est observandum inter redeundum ad Sacristiam post Missam celebratam. — Animadvertat Sacerdos quæ in locis citatis, et insuper QQ. 190 et 191, notantur de bireto in his inclinationibus.

3. Ad *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto*, quoties occurrit, scilicet ad finem Psalmi *Judica*, ad Introitum, et ad finem Psalmi *Lavabo.*

4. Infra Hymnum *Gloria in excelsis*, ad verba : *Deo* (in primo versiculo Hymni) ; *Adoramus te : Gratias agimus tibi ; Jesu Christe ; Suscipe deprecationem nostram ; Jesu Christe.*

5. Ad *Oremus*, quoties dicitur, scilicet : ante Colle-

ctas ; ante Offertorii Antiphonam ; ante Orationem Dominicam ; ante Postcommuniones.

6. Ad SS. Nomen *Jesu*, quotiescumque occurrit.

7. Infra Symbolum *Credo*, ad verba : *Deum* (in primo versiculo Symboli) ; *Jesum Christum ; simul adoratur.*

8. In initio Præfationis, cum dicitur ℣. *Gratias agamus*, ad verba : *Deo nostro* ; non vero per totum hunc Versiculum.

9. Ad utrumque *Memento*, dum Sacerdos facit commemorationem.

10. Ante utramque Consecrationem, ad verba : *Tibi gratias agens.*

11. Ad verba utriusque Consecrationis (nisi nimia Altaris depressio humerorum etiam inclinationem exigat, ut cubiti possint super Altare poni).

12. Ad verba : *Per eumdem Christum Dominum nostrum*, ante *Nobis quoque peccatoribus.*

13. Infra Orationem : *Agnus Dei*, ter repetitam.

14. Ad verba : *Jesu Christi*, ubi ante sumptionem Sacerdos seipsum signat cum S. Hostia, et cum Calice.

15. Infra Orationem : *Placeat tibi, sancta Trinitas.*

16. Ad verbum *Deus*, post *Benedicat vos omnipotens.*

17. Dicto ultimo Evangelio, postquam manibus accepit Calicem, et antequam se convertat ad descendendum. Inclinationem in hoc casu « non præscribi neque prohiberi » declaravit S. Rituum Congregatio. (Decret. 18 Junii 1885, n. 3637, ad 8, antiq. 5942, ad 12 ; describitur infra (2°, Nota), et ad Q. 324, sub n. 1.) Præferendum videtur eam facere.

18. Ante discessum ab Altari, ante infimum gradum.

19. Ad Crucifixum in Sacristia, post regressum ab Altari.

2° Ratione transitus ante medium, aut accessus ad medium, aut recessus e medio Altaris, in quo Missa celebratur, Rubricæ stricte duas tantum præscribunt faciendas inclinationes :

1. Aperto Missali, quando Sacerdos in medium est reversus, antequam descendit.

2. Si ipse Celebrans, ante *Munda cor etc.*, transfert librum Missalem a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, cum transit ante medium Altaris. Et pro hoc casu

hic notare juvat quod, etiamsi in Altari adesset Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso, ratione hujus transitus ante Altaris medium non est facienda simplex genuflexio ante Tabernaculum. Etenim ad dubium : « Si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti..... utrum in Missa privata debeat Sacerdos genuflectere, quando, defectu ministri, ipse transfert Missale a cornu Epistolæ ad cornu Evangelii, et vicissim ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 14 Januarii 1898, n. 3975, Dubium II, ad 1.)

Nota. Notandum vero est, quod præter has inclinationes, plures auctores ex antiquis admittant et probent alias, faciendas etiamsi a Rubricis expresse non præscriptæ sint : nempe quandocumque Celebrans ante medium Altaris transit, ad medium accedit, aut ab eo recedit, nisi hoc momento juxta Rubricas fieri debeat inclinatio hac major, aut osculum Altaris, vel nisi jam mox Celebrans sit inclinandus.

Isti auctores probant inclinationes hujusmodi non esse contra observantiam Rubricarum : 1° quia ex duobus casibus in quibus Rubricæ expresse inclinationem præscribunt legitime concludi potest eamdem inclinationem esse faciendam in aliis casibus qui ad duos prædictos referri possunt ; sicque putant illas inclinationes non esse veras additiones regulis ab Ecclesia præscriptis, sed tantum supplementa silentii Rubricarum ; — 2° ex eo quod, si Missa celebratur coram SS. Sacramento exposito, in omnibus his casibus ab omnibus certo genuflexio simplex præscribitur ; congruit igitur capitis inclinatione in iisdem casibus Crucem Altaris venerari ; — 3° ex sequenti responso S. Rituum Congregationis pro casu de quo postea (Q. 324) dicetur ; etenim ad dubium : « Sacerdos, expleta Missa, debetne se inclinare Cruci Altaris, antequam descendat ad præscriptas preces recitandas ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Inclinationem, de qua in casu, non præscribi neque prohiberi. » (Decret. 18 Junii 1885, n. 3637, ad 8, antiq. 5942, ad 12.)

Plurimi tamen ex recentioribus negant inclinationes istas esse faciendas, innixi tum praxi Romanæ, quæ est optima interpres Rubricarum, tum præsertim se-

quenti Decreto S. Rituum Congregationis (12 Novembris 1831, n. 2682, ad 27, antiq. 4669, ad 28) : « Aliqui Rubricistæ volunt, quotiescumque.... acceditur ad medium Altaris, vel ab ipso receditur, caput Cruci esse inclinandum ; alii sentiunt, hujusmodi inclinationes tunc tantum faciendas, quum a Rubricis præscribuntur. Quæritur, quandonam hujusmodi inclinatio sit facienda ? » Et S. Congregatio rescribendum censuit : « Serventur Rubricæ. » Cum vero, aiunt, Rubricæ alias omnes inclinationes prætermittant, præter duas faciendas, *a*) priusquam Sacerdos descendit ad Missam incipiendam, et *b*) si transit ante medium Altaris, ipsemet portans Missale, — eas nos quoque prætermittere debemus, si ad regulas per Ecclesiam præscriptas nil addere volumus ; quod certo est prohibitum.

Inclinationes istæ, de quibus disputatur, et quæ non fuerunt præscriptæ in explicatione Rituum Missæ proposita in secunda Sectione hujus Libri, sunt sequentes :

1. In accessu ad Altare, deposito Calice ad cornu Evangelii.

2. Collocato Calice in medio Altaris, antequam Sacerdos tendit ad cornu Epistolæ, ut præparet et signet Missale.

3. Post *Introitum*, in medio, antequam dicit *Kyrie eleison*.

4. Post *Kyrie eleison*, si legendæ sint Prophetiæ, antequam accedit ad cornu Epistolæ.

5. Si legi debet Passio D. N. Jesu Christi in Hebdomada Majori, quando accedit ad medium, et recedit de medio, etiamsi ipse non debeat transferre librum Missalem.

6. Post oblationem Hostiæ, deposita Patena, antequam accedit ad cornu Epistolæ, ut vinum et aquam in Calicem infundat.

7. Impositis aqua et vino in Calicem, et deposito purificatorio, quando accessit ad medium, antequam accipit Calicem.

8. Dicta Oratione *Veni sanctificator*, antequam recedit ad cornu Epistolæ ut manus lavet.

9. Dicto *Orate fratres*, quando perfecit circulum.

10. Quando, post sumptionem et purificationem Ca-

licis, ad digitorum ablutionem faciendam se vertit ad cornu Epistolæ, antequam Calicem ambabus manibus accipit; et item, postquam, digitis ablutis, Calicem deposuit, antequam purificatorium ad digitos abstergendos accipit.

11. Antequam Celebrans, cooperto Calice, recedit de medio ad cornu Epistolæ, ad legendum Antiphonam *Communio*.

12. Conversus ad Altare, antequam dicit *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace*.

II. **Inclinatio capitis media** (cfr. Q. 165, II) fit versus librum, ad Sanctissimum Nomen Beatæ Mariæ Virginis, quoties occurrit. Si in loco principali Altaris habetur B. Mariæ V. imago, fit versus hanc imaginem.

III. **Inclinatio capitis minima** (cfr. Q. 165, II) fit:

1. Quando Sacerdos, inter eundum ad Altare, transit ante Reliquias Sanctorum, modo sint insignes, et sint solemniter super Altare expositæ; vel obviat Episcopo; vel Sacerdoti obviat qui post celebrationem redit ad Sacristiam; vel pertransit eos qui in Choro ad Officium sunt congregati. (Cfr. QQ. 188, 189.) Idem est observandum inter redeundum ad Sacristiam post Missam celebratam. Animadvertat Sacerdos quæ in locis citatis, et insuper QQ. 190 et 191, notantur de bireto in his inclinationibus.

2. Ad nomen Sancti, de quo dicitur Missa, vel de quo fit in alia Missa Commemoratio specialis (cfr. Q. 165, II); sive in ejus die Festo, sive per Octavam, etiamsi de Octava Officium non recitetur, nec fieri Commemoratio per accidens possit (Decret. S. Rituum Congregationis, 19 Junii 1903, *Ordinis Fratrum Minorum*, ad 1); non vero in Vigilia Festi alicujus Sancti (Decret. 18 Februarii 1892, n. 3767, ad 25); neque umquam in Missis de *Requiem* quæ hisce diebus celebrantur. Et hæc inclinatio fit quotiescumque nomen Sancti occurrit in Missa, sive in Introitu (Q. 200), sive in Orationibus (Q. 205), sive in Epistola (Q. 208), sive in Evangelio (Q. 211), — non tamen in titulis Epistolæ et Evangelii —, sive in Canone (QQ. 231, 240), sive alibi; et fit versus librum, nisi in loco principali Altaris ponatur

ejusdem Sancti imago, quia tunc inclinatio fit versus istam imaginem.

3. Ad nomen Papæ, in Oratione propria, et in Canone ; et fit versus librum.

4. Ad nomen Episcopi, si pro eo specialis Oratio dicitur ; et etiamsi præsens sit Episcopus, fit versus librum, etiam in Canone (cfr. Q. 228, Nota) ; alias vero ad nomen Episcopi numquam fit inclinatio, quando ejus nomen infra Canonem occurrit.

§ 4. Osculum Altaris

270. — Osculum Altaris (cfr. Q. 166, 2°) præscribitur :

1. Ad verba *Quorum reliquiæ — hic sunt*, in Oratione *Oramus te Domine*.

2. Antequam Sacerdos se ad populum convertit, dicturus *Dominus vobiscum* ; scilicet : *a*) ante Collectas ; — *b*) ante Antiphonam Offertorii ; — *c*) ante Postcommuniones ; — *d*) dictis Postcommunionibus.

3. Ante *Orate fratres*.

4. Ad verba *Petimus — uti accepta habeas*, in Oratione *Te igitur*.

5. Ad verba *Ut quotquot — ex hac Altaris*, in Oratione *Supplices te rogamus*.

6. Si dat pacem post primam ex tribus Orationibus ante Communionem, priusquam osculatur instrumentum pacis.

7. Post Orationem *Placeat*.

§ 5. Prolatio verborum

271. — I. Voce clara (cfr. Q. 170, 1°) dici debent :

1. Preces quæ dicuntur ante gradum Altaris, in initio Missæ, a signo Crucis usque ad *Oremus*, inclusive, ante Orationem *Aufer a nobis*.

2. Introitus, *Kyrie*, *Gloria*.

3. *Dominus vobiscum* et *Oremus*, quoties occurrunt ; Collectæ ; item *Flectamus genua* et *Levate* ; Prophetiæ, Lectiones et Epistola, Graduale, Versus, Tractus, Sequentia.

4. Evangelium ; Symbolum ; Antiphona *Offertorium*.

5. Præfatio, incipiendo a *Per omnia sæcula sæculorum* (quæ sunt ultima verba conclusionis ultimæ Secretæ), usque ad *Sanctus* exclusive.

6. *Per omnia sæcula sæculorum. Oremus. Præceptis etc.; Pater noster... in tentationem.*

7. *Per omnia sæcula sæculorum; Pax Domini etc.; Agnus Dei etc.*

8. Antiphona *Communio*; Postcommuniones; item *Humiliate capita vestra Deo.*

9. *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace.*

10. *Benedicat vos etc.*; ultimum Evangelium.

II. Voce media (cfr. Q. 170, 2°) dici debent :

1. *Orate fratres* (hæc duo verba tantum).

2. Totum Trisagion *Sanctus*, et *Benedictus.*

3. Verba tria *Nobis quoque peccatoribus.*

4. Verba quatuor *Domine, non sum dignus*, ter repetita.

III. Voce secreta (cfr. Q. 170, 3°) pronuntiantur preces quæcumque, quæ nec clara, nec mediocri voce dicendæ præscribuntur.

§ 6. Oculi

272. — I. Oculi elevantur et statim demittuntur (cfr. Q. 169, II) :

1. Ante verba *Munda cor meum.*

2. Ante verba *Suscipe sancte Pater.*

3. Dum dicuntur verba *Veni sanctificator.*

4. Ante verba *Suscipe, sancta Trinitas.*

5. Ad verba *Deo nostro*, in versiculo Præfationis *Gratias agamus*, non vero ad verba *Gratias agamus Domino.*

6. Ante verba *Te igitur.*

7. Ad verba *elevatis oculis ad Te*, ante Consecrationem Hostiæ.

8. Ad verba *Benedicat vos*, ante Benedictionem in fine Missæ.

II. Oculi elevantur continuate :

1. Infra totam Orationem *Offerimus tibi*, ad Calicis oblationem.

2. Ad SS. Sacramentum, infra elevationem S. Hostiæ, et S. Calicis.

III. Oculi intenduntur in SS. Sacramentum :

1. Infra Memento Defunctorum, dum privatim Sacerdos orat.

2. Per totam Orationem Dominicam, incipiendo a *Pater noster*.

3. Infra tres Orationes ante Communionem.

§ 7. Manuum positiones

273. — I. Manus junctæ tenentur ante pectus (cfr. Q. 167, 2°) :

1. A principio, collocato Calice super Corporale, usque ad hymnum *Gloria* inclusive ; excipe, dum Sacerdos Missale accommodat, se signat, pectus percutit, dicit *Oremus*, et osculatur Altare.

2. Ante et post *Dominus vobiscum*.

3. Ante *Oremus*, et, dicta hac voce, antequam manus extenduntur pro dicenda Oratione.

4. Ad conclusionem Orationum (ad Collectas, Secretas et Postcommuniones), scilicet : « cum dicit : *Per Dominum nostrum*, easque junctas tenet usque ad finem ; si concluditur Oratio *Qui tecum*, vel *Qui vivis*, cum dicit : *in unitate*, jungit manus. » (Ritus, Tit. V, n. 1.)

5. Ad *Munda cor*, Evangelium, *Credo*, Antiphonam Offertorii.

6. Ad Psalmum *Lavabo*, cum tendit ad cornu Epistolæ, et quando manus extersit.

7. Ante et post *Orate fratres*.

8. In Præfatione, cum dicit : *Gratias agamus Domino*, usque dum prosequitur : *Vere dignum etc.*

9. A *Sanctus*, usque ad *Benedictus* exclusive.

10. Sub utroque Memento, et post sumptionem S. Hostiæ (ubi elevatæ tenentur usque ad faciem).

11. Ad conclusionem Orationum *Communicantes*, *Hanc igitur*, *Supplices*, *Nobis quoque peccatoribus* ; et signatis oblatis in fine Orationis *Quam oblationem*.

12. Ante *Pater noster*, dum dicit : *Oremus. Præceptis etc.*

13. Ad primum *Agnus Dei*, usque ad *miserere nobis* ;

et in Missis de Requiem, infra *Agnus Dei* ter repetitum.

14. Ad Antiphonam Communionis.

15. Ad ultimum Evangelium.

16. Demum ante omnem signationem, seu benedictionem alicujus rei, nisi sinistra sit impedita. (Ritus, Tit VII, n. 5.)

II. Manus junctæ ponuntur super Altaris oram (cfr. Q. 167, 3°) :

1. Ad Orationem : *Oramus te, Domine,* usque ad verba *quorum reliquiæ* exclusive.

2. Infra Orationem : *In spiritu humilitatis.*

3. Infra Orationem : *Suscipe, sancta Trinitas.*

4. Ad Orationem : *Te igitur,* usque ad verba *uti accepta habeas* exclusive.

5. Ad Orationem : *Supplices te rogamus,* usque ad verba *ex hac Altaris* exclusive.

6. Infra tres Orationes ante Communionem.

7. Infra Orationem : *Placeat tibi, sancta Trinitas.*

III. Manus extensæ ante pectus tenentur (cfr. Q. 167, 4°) :

1. Infra Orationes omnes, scilicet Collectas, Secretas et Postcommuniones, usque ad conclusionem *Per Dominum,* vel usque ad verba *in unitate,* si conclusio est *Qui tecum,* vel *Qui vivis.*

2. In Præfatione, a verbis *Sursum corda,* usque ad verba *Gratias agamus* ; et a verbis *Vere dignum,* usque ad finem.

3. In Canone Missæ fere semper, nisi exceptio exprimatur.

4. Dum incipit *Pater noster,* usque ad responsum *Amen.*

IV. Manus extensæ super Altare ponuntur (cfr. Q. 167, 5°, A, B) :

1. Quoties Sacerdos osculatur Altare.

2. Quoties genuflectit ad Altare, excepta genuflexione immediate ante S. Hostiæ elevationem.

3. Ad Præfationis versus *Per omnia, Dominus vobiscum.*

4. Ad versiculum *Per omnia,* ante *Pater noster.*

V. Manus ante pectus junctæ extenduntur et statim rejunguntur (cfr. Q. 167, 7°) :

1. Ad *Oremus*, quotiescumque dicitur (excipe ante *Pater noster*, ubi manus elevantur et junguntur).

2. Ad *Dominus vobiscum*, quando dicitur ad populum versus.

3. Ad *Orate fratres*.

VI. Manus ante pectus junctæ extenduntur, elevantur, junguntur et demittuntur (cfr. Q. 167, 8°) :

1. Ad verba *Gloria in excelsis Deo.*

2. Ad verba *Credo in unum Deum.*

3. Ad verba *Veni sanctificator omnipotens æterne Deus.*

4. Ante verba *Te igitur*, in initio Canonis.

5. Ad verba *Benedicat vos omnipotens Deus.*

Nota. Ad Memento mortuorum, Sacerdos manus extendit, jungit et usque ad summitatem pectoris elevat, tenetque elevatas per totam commemorationem ; sed non efformat quasi circulum, sicuti ad præcedentes cæremonias. (Cfr. Q. 239.)

VII. Manus sinistra super Altare ponitur (vel extra Corporale, vel super Corporale, cfr. Q. 167, 5°, A et B) :

1. Quando efformatur signum Crucis super librum ad Introitum in Missis de Requiem.

2. Quando Calix ad Offertorium extra Corporale deponitur, et palla ac Patena a Calice amoventur ante Hostiæ oblationem.

3. Ad verba *Nobis quoque peccatoribus*.

4. Infra Orationem : *Libera nos*, usque ad verba *da propitius*.

5. Ad verba *Miserere nobis*, post primum *Agnus Dei*, usque ad verba *dona nobis pacem* inclusive.

6. Ad sumptionem S. Sanguinis, sinistra Patenam tenens ponitur super Corporale infra Orationem *Calicem salutaris*, infra signum Crucis cum Calice, et dum, sumpto S. Sanguine, Calix porrigitur ad infundendum purificationis vinum.

7. Dum fit signum Crucis super Altare, ad *Initium S. Evangelii secundum Joannem.*

8. Quoties dextera occupatur ad efformanda signa Crucis super oblata.

9. Quoties dextera manu Missalis folia vertuntur.

VIII. Manus sinistra infra pectus ponitur : *a) Ante Consecrationem, et post digitorum ablutionem,* ita ut tota extensa, unitis omnibus digitis, ponatur a parte palmæ super Casulam infra pectus, extra spatium in quo efformatur Crucis signum ; — *b) inde a Consecratione, usque ad ablutionem digitorum,* ita applicatur infra pectus, ut parvus tantum digitus Planetam tangat, et palma sit aliquantum conversa ad faciem Celebrantis, ne pollex et index uniti Planetam attingant. — Ponitur infra pectus:

1. Quoties Celebrans seipsum signat, vel a fronte ad pectus, vel in fronte, ore et pectore.

2. Dum percutitur pectus, ad *Confiteor.*

3. In fine Missæ, quando populus benedicitur.

4. Quoties dextera sola occupata est, et sinistra nequit super Altare poni.

II. De Missa cantata

Q. 274. *Quæ Missa dicitur* cantata *?*

R. Missa cantata dicitur ea quæ, media inter solemnem et privatam, de utraque participat : cum solemni habet cantum ; cum privata vero convenit in hoc quod incensum in ejus celebratione non adhibetur, et quod celebratur sine Ministris sacris Diacono et Subdiacono ; de cætero a privata plerosque mutuatur ritus.

Nota. Missæ cantatæ plures in nostra Diœcesi celebrantur ; et sunt Parochiæ in quibus quotidie per annum, paucis diebus exceptis, Missæ solent cantari.

Ex nonnullis S. Rituum Congregationis Decretis concludebant olim auctores, quod duæ vel plures Missæ eadem die, in eadem Ecclesia, de eodem Officio cantari non poterant ; sensum hujusmodi Decretorum declaravit eadem S. Congregatio per sequens Decretum : « Cum per plura particularia Decreta, jam alias edita, Sacra Rituum Congregatio declaravit in eadem Ecclesia eademque die plures non posse cantari Missas de eodem Officio ; in præsenti, ut plurium votis satisfiat, opportunum ac propemodum necessarium judicat ulterius declarare, quemadmodum reapse declarat : Plures Missas de eodem Sancto vel Mysterio in eadem Ecclesia prohibitas, illas esse quæ, præter Conventualem numquam in Collegialibus Ecclesiis omittendam, in officiatura chorali concinuntur, vel aliquam cum eadem relationem dicunt. Quapropter præfatas Missas sive ad petitionem viventium, sive ex fundatione, dummodo ante vel post ab-

solutum chorale Officium, ac sine ulla cum eo relatione concinantur, non esse vetitas. Contrariis non obstantibus quibuscumque. » (Decret. 30 Junii 1896, n. 3921.)

Ergo in pace remaneant super hoc puncto omnes nostri Parochi, et Ecclesiarum Rectores.

Q. 275. *Quid de ministris in Missa cantata notandum est?*

R. I. In Missa cantata unus acolythus seu minister ut in Missa privata sufficit ; attamen etiam possunt inservire duo acolythi seu ministri, toga talari et superpelliceo induti, qui genuflectunt tempore Missæ in infimo gradu ab utraque parte Evangelii et Epistolæ ante Altare, et officium implent ministri qui Missæ privatæ inservit. (Cfr. Tomus V, Cæremoniale, Q. 17.)

II. In Missa cantata potest etiam præter acolythos admitti aliquis Minister, indutus, non Paramentis sacris Diaconi aut Subdiaconi, sed superpelliceo ; qui nonnullas functiones peragit proprias tum Diacono, tum Subdiacono, tum Cæremoniario in Missa solemni. Ex sequenti Decreto S. Rituum Congregationis patet quæ sint hujusmodi Ministri functiones : Ad dubium : « An celebrans Missam cum cantu sine Ministris adhibere possit plures quam duas candelas, et Ministrum qui folia vertat et Calicem discooperiat ipsumque mundet, vinum et aquam infundat, eumdemque Calicem infra actionem palla cooperiat et discooperiat juxta opportunitatem, necnon ipsum tergat post Communionem, suisque ornamentis instruat ; vel celebrare debeat ut in Missis sine cantu, omnia supra enunciata a semetipso peragendo et non ope Ministri ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam. » (Decret. 25 Septembris 1875, n. 3377, antiq. 5637, ad 1.)

Cum vero solemne fuerit semper in Ecclesia præceptum, ne Vasa sacra, quæ continent SS. Sacramentum, attrectentur nisi a Clericis qui sunt in Sacris constituti (cfr. Q. 79) ; cumque Corporalia, Pallas et purificatoria post usum tangere etiam non liceat nisi Clericis in Sacris constitutis, et hæc quidem ab iisdem ablui debeant priusquam a laicis lavanda tradantur (cfr. Q. 87) ; — cumque Calix post Communionem et purificatorium adhuc madida sint saltem aqua ablutionis sa-

crarum Specierum ; ideo ad dubium : « Utrum iste Minister debeat esse in Sacris constitutus ? » S. Congregatio rescripsit : « Affirmative, si debeat etiam Calicem abstergere. » (Decret. 6 Decembris 1901, *Ploccn.* ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 700.) Et postea, ad dubium : « An in Missa..... juxta morem.... possit fungi munere Assistentis etiam simplex Clericus, cetera in prædicto Decreto notata perficiendo, dummodo non abstergat Calicem ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 18 Aprilis 1902, *Ordinis Minorum Capuccinorum*, ad 1 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 132.)

Quænam a Celebrante sint observanda, quando in Missa cantata admittit Ministrum assistentem, describuntur in Tomo V, « Cæremoniale », Q. 110.

Hujusmodi Ministrum adhiberi in Missa privata, qui Missale aperiat et inveniat Missam, qui præparet Calicem et ipsum extergat in fine post ablutionem, non posse respondit S. Rituum Congregatio. (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 5 et 6, antiq. 4526, ad 11 et 12.)

Q. 276. *Quæ notanda veniunt specialiter observanda in celebratione Missæ cantatæ ?*

R. 1. Pro Missa cantata plures quam duas candelas accendi posse, patet ex Decreto citato ad Quæstionem præcedentem, ad II ; accenduntur candelæ saltem quatuor, et apud nos generatim sex. (Cfr. Q. 63, 3°.)

2. Sacerdos, nisi habeat Ministrum de quo dictum fuit in Quæstione præcedenti ad II, ipse regulariter defert Calicem ad Altare ; attamen si aliqua functio ad Altare perageretur immediate ante Missam, ex. gr., Aspersio aquæ benedictæ diebus Dominicis, accedet Sacerdos manibus junctis ; et in tali casu, opportuno tempore, ante initium Missæ, Calix præparabitur in Altari, et aperietur Missale suo loco.

3. Hæc Missa regulariter celebratur sicut Missa privata. Ad Confessionem Celebrans non se convertit ad acolythos, vel ad Ministrum, quando dicit : *vobis fratres, vos fratres, Misereatur vestri.* Satius videtur dicere *Kyrie eleison* in medio Altaris. Celebrans intonat *Gloria in excelsis*, et cantat Orationes ut in Missa solemni.

4. Notanda est Rubrica sequens pro Epistola (Ritus, Tit. VI, n. 8) : « Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis. » Hoc Ritus præscriptum adimplere optime poterit Minister de quo agitur in Quæstione præcedenti, ad II ; quid vero agendum sit, si nullus adsit Lector, ut sæpissime, imo regulariter accidit in plerisque Ecclesiis, id a Rubrica non præscribitur. — Proposito dubio : « Sufficitne ut in casu legatur tantum Epistola ab ipso Celebrante ; vel ab eodem debet cantari ? » S. Rituum Congregatio rescripsit mentem suam esse, « quod satius erit quod ipsa Epistola legatur sine cantu ab ipso Celebrante. » (Decret. 23 Aprilis 1875, n. 3350, antiq. 5604.) Et iterum proposito dubio : « In Missis cum cantu absque Ministris, deficiente Lectore qui Epistolam canat, potest vel debet Celebrans eam canere ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Servetur Rubrica Missalis (Ritus servandus, Tit. VI, n. 8) et Decretum n. 3350, 23 Aprilis 1875. » (Decret. 5 Martii 1904, *Ceneten.*, ad 2 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 166.)

5. Celebrans ipse debet cantare Evangelium, eodem tono quo Diaconus in Missa solemni ; intonat *Credo*, si dicendum sit ; absoluto a cantoribus Symbolo, cantat *Dominus vobiscum*, et *Oremus*, ante Offertorium ; cantat Præfationem, *Pater noster*, *Per omnia* cum *Pax Domini* ; post Communionem cantat Orationes, deinde *Dominus vobiscum* ; et proprio tono *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, vel *Requiescant in pace*.

Nota. I. Non abs re erit hic loci describere duo Decreta S. Rituum Congregationis, relativa ad cantum Celebrantis in Missa cantata, et etiam in Missa solemni.

1. Quoad organorum pulsationem quando canitur Præfatio, aut Oratio Dominicalis : « Proposito dubio : An in cantu Præfationis et Orationis Dominicalis, quoties Missæ decantantur, Organa pulsari queant ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Obstat Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. 28, § 9, quod servandum est. » (Decret. 27 Januarii 1899, n. 4009.)

Cæremoniale Episcoporum loco in Decreto citato dicit de Organo : « In Missa solemni pulsatur alternatim, cum dicitur *Kyrie eleison,* et *Gloria in excelsis, etc.* in principio Missæ : item finita Epistola, item ad Offertorium ; item ad *Sanctus etc.* alternatim, ac deinceps usque ad *Pater noster* ; sed ad elevationem Sanctissimi Sacramenti pulsatur organum graviori et dulciori sono : et post elevationem poterit immediate motettum aliquod opportunum cantari ; item ad *Agnus Dei etc.* alternatim ac deinceps usque ad Postcommunionem ac in fine Missæ. — Sed cum dicitur Symbolum in Missa non est alternandum cum organo, sed illud integrum per chorum cantu intelligibili proferatur. »

Obstat itaque Cæremoniale Episcoporum Organi pulsationi dum canitur Præfatio, et Oratio Dominica, non expresse, sed in quantum has Missæ partes non numerat inter illas ad quas Organum pulsatur.

2. « A Sacra Rituum Congregatione postulaverunt plurimi : Utrum intonationes Hymni Angelici ac Symboli, necnon singulæ modulationes a Celebrante in Missa cantata exequendæ, videlicet Orationum, Præfationis, Orationis Dominicæ etc. cum relativis responsionibus ad Chorum pertinentibus, ex præcepto servari debeant prout jacent in Missali ; an mutari potius valeant juxta consuetudinem quarumdam Ecclesiarum ? » S. Congregatio censuit rescribendum : « Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam ; et quamcumque contrariam consuetudinem esse eliminandam. » (Decret. 14 Martii 1896, n. 3891.) Cfr. Sacra Liturgia, Tomus V, Cæremoniale, Appendix II, ubi agitur de Cantu in Divinis Officiis.

Nota. II. Sicut in Missa solemni, Celebrans, dum a cantoribus cantatur *Kyrie eleison*, Hymnus *Gloria in excelsis*, et Symbolum, sedere potest in scamno a parte Epistolæ parato. Igitur postquam legit Hymnum, aut Symbolum, Celebrans caput profunde inclinat ; aut genu dextrum flectit si adsit Tabernaculum cum SS. Sacramento incluso ; et junctis manibus, via breviori per gradus laterales Epistolæ, tendit ad scamnum, ubi sedens accipit biretum et caput cooperit, observans ea quæ pro sessione in Missa solemni præscribuntur. Versus finem Hymni, aut Symboli, detecto prius capite surgit, et biretum tradit ministro ; et manibus junctis,

per planum accedit ante Altaris gradus anteriores, ubi in medio caput profunde inclinat ; aut genu dextrum in infimo gradu flectit si adest Tabernaculum cum SS. Sacramento ; ascendit, et osculato Altari ritu consueto cantat *Dominus vobiscum.*

Si non sedet dum cantantur *Kyrie eleison,* Hymnus et Symbolum, Celebrans, toto tempore quo cantantur, junctis ante pectus manibus remanet ad Altare, caput inclinans ad verba præscripta ; et in Symbolo dum cantatur : *Et incarnatus... et homo factus est,* descendit ad penultimum gradum anteriorem, et in ora suppedanei in medio ante Altare utrumque genu flectit et caput profunde inclinat (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Maji 1846, n. 2915, ad 6, antiq. 5050, ad 8) ; eoque versu absoluto, erectus ad Altare ascendit, et ibi stat ut antea donec finiatur cantus.

Nota III. In Missa cantata pacem dare cum osculo, uti fit in Missa solemni, non potest Celebrans, etiamsi adsit Minister assistens. Sed potest pacem dare cum instrumento pacis, sicuti permittitur in Missis privatis, in quibus tamen fieri non solet nisi præsenti Episcopo. Instrumentum pacis in casu Celebranti porrigitur osculandum a Ministro juxta ipsum ad dexteram genuflexo (Ritus, Tit. X, n. 3) ; et Celebrans postquam dixerit primam ex tribus Orationibus ante Communionem, nempe *Domine Jesu Christe, qui dixisti etc.,* extensis mox manibus super Corporale, osculatur Altare in medio, et statim junctis manibus ante pectus, absque prævia genuflexione, osculatur instrumentum pacis a Ministro ad dexteram ei porrecto, et post osculum dicit : *Pax tecum.* Minister respondet : *Et cum spiritu tuo.* Mox Celebrans manus junctas iterum ponit super Altaris oram, et subjungit duas alias Orationes ante Communionem. — Minister tunc defert instrumentum pacis ad illos quibus pax dari debet, illudque velo prius abstersum illis ad osculandum præbet, sine prævia reverentia, dicens singulis : *Pax tecum,* qui respondent : *Et cum spiritu tuo* ; quo facto Minister reverentiam facit ipsi qui pacem accepit.

Si non adsit qui hujusmodi instrumento pacem reci-

piat a Celebrante, pax non datur. Numquam pax datur in Missis de *Requiem*.

(Cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, QQ. 188, 189.)

Q. 277. *An in Missa cantata permittuntur incensationes requisitæ in Missa solemni?*

R. I. In Missa cantata non permittuntur incensationes requisitæ in Missa solemni ante Introitum, ad Evangelium, ad Offertorium, ad Elevationem; ita pluries rescripsit et declaravit S. Rituum Congregatio; et etiam cum hujusmodi Missa celebratur coram SS. Sacramento super Altare exposito, incensationes in Missa pariter omittendæ sunt, et SS. Sacramentum incensatur tantum postquam in throno fuit collocatum, et antequam deponitur. Sufficiat duo ex pluribus Decretis S. Rituum Congregationis, hac super re datis, hic describere.

1. Ad dubium: « Prohibitum est a S. R. C. adhibere incensum in Missa sine Ministris cantata. Cum autem in hac Diœcesi, et plus vel minus in ceteris Hispaniæ Diœcesibus, desideretur copia Sacerdotum, ita ut rarissimi in Ecclesiis parochialibus (præsertim ruralibus) inveniri possint Sacerdotes ad celebrandum Missam solemnem cum Ministris, sed tantummodo cantatam a solo Sacerdote, et in ea adhibeatur incensum ex consuetudine fere immemoriali, quæ supprimi non posset sine offensione et scandalo populi; quæritur: An saltem ubi sit prædicta consuetudo, tolerari possit usus incensi in Missis quæ cantantur sine Ministris sacris, si hi inveniri non possint? » S. Congregatio rescribere rata est: « Negative, sine speciali indulto. » (Decret. 9 Junii 1884, *Caurien.*, n. 3611, antiq. 5913, ad 6.)

2. Ad dubium: « In Missa quæ cum cantu celebratur, sed sine Ministris sacris, omnes incensationes omittendæ sunt. Usus tamen contrarius prævaluit in his regionibus. Sed quatenus hæc consuetudo non sit tolerabilis, omittendæ ne sunt etiam in Missa quæ cum expositione Venerabilis celebratur? » S. Congregatio respondendum censuit: « In Missa quæ cum cantu, sed sine Ministris celebratur, incensationes omnes omittendæ sunt; si vero, dum hæc Missa cantatur, SSmum Sacramentum super Altare est expositum, incensationes in Missa pariter omittendæ sunt; et SSmum Sacramentum incensatur tantum postquam in throno fuit collocatum, et antequam deponitur. » (Decret. 18 Martii 1874, *De Zacathecas*, n. 3328, antiq. 5581, ad 1.)

II. Unica exceptio admittitur pro incensatione Oblatorum et Altaris, quæ fit in ultima parte Officii Feriæ VI

in Parasceve, ut describitur in Memoriali Rituum Benedicti XIII (Tit. V, Cap. II, § IV) ; quæ incensatio tamquam ritus specialis huic singulari Officio proprius censeri debet, non in exemplum deducenda, eo vel magis quod idem Memoriale in aliis Missis cantatis, ex. gr., Feriæ V in Cœna Domini, Sabbati sancti, nusquam de incenso adhibendo mentionem habeat.

III. Dura videtur pluribus hæc lex, quia in parochiis ruralibus generatim omitti debet semper incensatio Altaris in Sacrificio Missæ, et proinde maximæ solemnitates, quoad celebrationem Missæ, vix distinguuntur a Dominicis ordinariis, imo a diebus per hebdomadam. Animadvertendum est, distinctionem pro diversis per annum diebus optime fieri posse, tum per qualitatem paramentorum, tum per quantitatem ornatuum, tum per varietatem sacri cantus, et alium quemcumque exteriorem apparatum.

Nota. Aliquando, ut exstantis consuetudinis continuatio aliquo jam modo valeat excusari, invocantur concessiones, a Sancta Sede, aut a S. Rituum Congregatione factæ, quibus permittitur incensatio Altaris in Missis cantatis ; sed attentius perspiciendum est, hujusmodi concessiones existere, sed ex Indulto, seu ex speciali gratia, pro determinatis particularibus locis; easque concessiones igitur non posse ad alia loca extendi. — Revera referuntur hujusmodi Indulta ; ex. gr., Indultum concessum Diœcesi Luxemburgensi, 9 Junii 1864, pro Solemnitatibus Paschæ, Pentecostes, et quoties Missæ cum magno apparatu extrinseco celebrantur. (Cfr. *L'Ami du Clergé*, VIII, 1886, pag. 197.) — Item Indultum concessum Diœcesi Urgellensi, 7 Julii 1886, pro Festis duplicibus 1 et 2 classis, et quoties SS. Sacramentum publice est expositum. (Cfr. Fumagalli, *Manuale seu Promptuarium liturgicum*, Alæ, 1889, I, pag. 265.) — Item Episcopi Americæ Latinæ postularunt Indultum : « Ut in Missis vivorum quæ celebrantur cum cantu, in duplicibus primæ et secundæ classis, in Dominicis aliisque diebus solemnibus, et quoties SS. Eucharistiæ Sacramentum publicæ fidelium venerationi patet expositum, quamvis haberi non

possint ministri sacri, liceat thurificationes peragere. » Et SSmus Dnus Leo XIII, in audientia 1 Januarii 1900, preces benigne excipere dignatus est, pro gratia ad decennium. — Item unus et alter Ordo Religiosorum jam gaudet simili Indulto, ex gratia, pro Missis aliqua majori solemnitate celebrari solitis ; ex. gr., Ordo Capuccinorum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 7 Decembris 1888, n. 3697, ad 3.)

Æstimare jam licet, concessis pluribus Indultis hujusmodi, post paucos annos legem per exceptionem tantum observari. Interea tamen, donec gratia omnibus concedatur, lex stat.

Q. 278. *Quid notandum est de cantu a schola, seu cantoribus exsequendo in Missa cantata ?*

Q. I. Missa cantata, quoad ea quæ in ipsa cantari debent a schola, seu cantoribus, æquivalet solemni, et omnia quæ in Missa solemni debent cantari, æque cantari debent in Missa cantata, quemadmodum in Graduali Romano proponuntur. In ipsa, sicuti in solemni, nam eædem sunt pro utraque regulæ, omnia debent cantari quæ ad Missam proprie pertinent ; sive ex Ordinario, nempe *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus* (ante Elevationem), *Benedictus* (elevato Sacramento), *Agnus Dei*; — sive ex Proprio, vel de Communi, nempe Introitus, Graduale, Sequentia, Offertorium, Communio.

Ex iis *Kyrie, Gloria, Sanctus, Agnus Dei,* possunt cantari alternatim cum organo ; Symbolum *Credo* vero integrum cantandum est. (Cfr. verba Cæremonialis Episcoporum, Q, 276, Nota I.)

Disciplina super cantu in Missa statuitur in « Motu proprio SS. D. N. Pii Papæ X, de Musica sacra » (22 Novembris 1903) ; sequentia ex adjuncta Instructione describuntur pro præsenti materia :

« 8. Quum in Sacris Liturgicis singulis textus musices proponendi ac propositionis ordo apprime fuerint constituti, neque licet ordinem hunc subvertere, neque præscriptos textus ad nutum mutare, neque ex integro, vel tantum in parte omittere, nisi forte Rubricæ concedant textus aliquot versus, dum simpliciter in Choro recitantur, suppleri organo. Unum, juxta Ecclesiæ Ro-

manæ consuetudinem, conceditur, post solemnis Missæ ℣. *Benedictus*, Canticulum SS. Eucharistiæ. Permittitur etiam, post rite cantatum Missæ *Offertorium*, reliquum tempus dare brevi canticulo super verba ab Ecclesia approbata. »

« 9. Textus liturgicus canendus est prout exstat in libris, nullo verbo corrupto, nullo postposito, indebitis iterationibus et syllabarum abruptionibus prorsus amotis, atque ita semper, ut ab audientibus percipi possit. »

« 22. Minime licet, cantus sive sonus causa, Sacerdotem ad Altare ultra tempus cæremoniæ liturgicæ conveniens immorari. Juxta ecclesiastica monita, ℣. *Sanctus* in Missa ante Elevationem absolvendus est ; quamquam et ipse Sacerdos, Sacra peragens cantorum rationem habere debet. *Gloria* et *Credo*, ad Gregorianæ traditionis normam, breviora sunto. »

(Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 129 et sqq. ; Instructionis latina versio, uti authentica seu officialis approbata.)

Placet sequentia ex S. Rituum Congregationis Decretis describere relate ad partes Missæ quæ a cantoribus seu schola cani debent :

1. Dubium : « Num in Missis cantatis sine Ministris sacris, organarii et Chorus debeant semper exsequi cantu vel voce intelligibili cum organo omnes partes ex Graduali Romano ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 25 Junii 1898, n. 3994, ad 2.)

2. Dubium : « An in Missa Conventuali cani semper debeant *Gloria, Credo*, totum Graduale, Offertorium, Præfatio et *Pater noster* ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, juxta præscriptum Cæremonialis Episcoporum ; et amplius. » (Decret. 14 Aprilis 1753, n. 2424, antiq. 4233, ad 2.)

3. Dubium : « Cum in Diœcesi Clodien. mos invaluerit in Missis solemnibus, sive cum, sive sine Ministris, quæ cum sonitu organi celebrantur, abstinendi a canendo Graduali, Tractu, Sequentia, Offertorio, *Benedictus*, et Communione ; quæritur an hic mos repugnet vel Rubricis vel Decretis Sacrorum Rituum Congregationis ? » S. Congregatio respondere censuit : « Affirmative ; et detur Decretum diei 14 Aprilis 1753, ad 2. » (Decret. 7 Augusti 1875, n. 3365, antiq. 5622, ad 7.)

4. Dubium : « In tota fere Diœcesi Lucionensi adest consuetudo canendi Missas, quæ infra hebdomadam a diversis fidelibus petuntur, omittendo in Choro *Gloria* et Graduale vel Tractum, nec non Sequentiam vel *Credo*, si dicenda occurrunt ; ea ratione quod cantor unicus omnes Missæ cantus difficillime solus pera-

gere possit, populusque diuturnitatem Missæ præsertim in diebus servilibus ægre sustineat. Quæritur utrum prædictus modus canendi Missas servari possit ; an prout abusus eliminanda sit ejusmodi consuetudo ? » S. Congregatio rescripsit ac servari mandavit : « Consuetudo, de qua in casu, veluti abusus prorsus eliminanda est. » (Decret. 29 Decembris 1884, n. 3624, ad 11, antiq. 5929, ad 12.)

5. Quoad Introitum. Dubium : « An a Cantoribus in Choro incipi possit Introitus Missæ, priusquam Sacerdos eamdem Missam celebraturus ad Altare pervenerit ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative, et amplius. » (Decret. 14 Aprilis 1753, n. 2424, antiq. 4233, ad 7.)

6. Quoad Tractum. Dubium : « An Tractus Missæ Conventualis per integrum dici debeat a Cantoribus ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Tractum integre canendum, quum Organum non pulsatur. » (Decret. 7 Septembris 1861, n. 3108, antiq. 5315, ad 14.)

7. Quoad Sequentiam *Dies iræ* in Missis de *Requiem* cfr. Tractatus de Rubricis Missalis Romani, Q. 318.

8. Quoad Offertorium. Dubium : « Quum pulsatur organum, in Missa cantata, Offertorium..... submissa voce ab uno recitatur in Choro, vel nihil dicitur diebus præsertim ferialibus. » S. Congregatio respondendum censuit : « Dici posse submissa voce, sed non omitti. » (Decret. 10 Januarii 1852, n. 2994, ad 2, antiq. 5166, ad 3.)

Dubium : « Num in Missis Defunctorum cantari necessario debeat Offertorium ? » S. Congregatio rescribere rata est : « Affirmative. » (Decret. 9 Maji 1857, n. 3051, antiq. 5243, ad 1.)

9. Quoad *Benedictus*. Dubium : « Ubi cantus Chori non producatur usque ad Elevationem Hostiæ, *Benedictus qui venit etc.* cantari ne debet post Elevationem ; an immediate post primum *Hosanna in excelsis* ? » S. Congregatio decrevit et servari mandavit : « Cantari debet post Calicis Elevationem. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 31, antiq. 4669, ad 32.) Decretum Generale : S. Congregatio censuit declarare et statuere : « Dum SS. Sacramentum, sive sub una sive sub altera specie elevatur, cantoribus esse omnino silendum, juxta Rubricas, iisdemque Sacramentum cum ceteris adorandum. Quod si peracta ultima Elevatione, quam juxta Rubricas statim *Benedictus* subsequi debet, ad Orationem dominicam usque, aliquid modulari libeat, Sacra Rituum Congregatio id permittit, dummodo de iis, quæ ex Liturgia canenda sunt, nihil prætermittatur, Celebrans a Missa continuanda haud impediatur, et quod concinitur ad Sacramentum pertineat. » (Decret. 22 Maji 1894, n. 3827, ad 3.)

10. Quoad Communionem. Dubium : « Quum pulsatur organum, in Missa cantata.... Communio submissa voce ab uno recitatur in Choro, vel nihil dicitur diebus præsertim ferialibus. » S. Congregatio respondendum censuit : « Dici posse submissa voce, sed non omitti. » (Decret. 10 Januarii 1852, n. 2994, ad 2, antiq. 5166, ad 3.)

11. Quoad *Ite Missa est*. Dubium : « An retinenda vel potius eliminanda sit consuetudo pulsandi tantum organum ad respondendum, dum in Missa cantatur *Ite Missa est* ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Servari posse. » (Decret. 11 Septembris 1847, n. 2951, ad 5, antiq. 5102, ad 6.)

12. Quæ supra de diversis Missæ partibus recensentur, resumuntur in sequenti Decreto Generali, quo S. Congregatio censuit declarare et statuere : « Ea, quæ Cantorum schola exsequi alternatim debet, numquam esse omittenda ; sed vel per integrum cantanda, vel si vocibus jungantur organa, partim concinenda, partim sub organis clara voce legenda, prout Cæremoniale Episcoporum præscribit ; Symbolo excepto, quod per integrum, si recurrat, semper canendum erit. » (Decret. 22 Maji 1894, n. 3827, ad 2.) Hæc quæ per dictum Decretum statuuntur consonant profecto iis quæ ex Motu proprio SS. D. N. Pii X sub n. 8 præcipiuntur.

II. Numquam vero licet tempore Missæ cantatæ aut solemnis, aliquem cantum admiscere in lingua vernacula, etiamsi, ex. gr., Sacra Communio distribueretur per notabile tempus.

« Proprius Romanæ Ecclesiæ sermo latinus est ; itaque in solemnibus Sacris Liturgicis prohibentur omnino cantus vulgari eloquio editi ; eoque magis circa partes variabiles, vel communes tum Missæ, tum Officii. » (Motu proprio 22 Novembris 1903, n. 7.) Super quo S. Rituum Congregatio jam antea statuerat : « Cantiones quascumque vernaculas esse omnino prohibitas in omnibus Missis, quæ vel solemniter vel solum in cantu celebrantur ; ita ut modulationibus, quas liturgico idiomate Rubricæ præscribunt, nulli liceat alias ab illis addere vel immiscere ; et consuetudinem ea de re contrariam, si alicubi invecta fuerit, esse prorsus eliminandam tamquam abusum et corruptelam. » (Decret. Generale 22 Maji 1894, n. 3827, ad 1.)

Juvat sequentia S. Rituum Congregationis Decreta hac super re insuper describere :

1. Ad dubium : « An in Ecclesia a fidelibus intra Missam cani possint, juxta antiquum morem, a nonnullis annis interruptum, preces vel Hymni lingua vernacula compositi in honorem Sancti vel Mysterii, cujus Festum agitur ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, de consensu Ordinarii, quoad Missam privatam ; Negative, quoad Missam solemnem sive cantatam ;..... juxta Decretum diei 21 Junii 1879. » (Decret. 31 Januarii 1896, n. 3880.)

2. Ad dubium : « Num tolerentur cantica in lingua vernacula etiam in Missis quæ cum cantu celebrantur, salvo semper remanente usu cantandi Introitum, *Gloria, Credo, Sanctus* et *Agnus Dei* ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Cantica in vernaculo idiomate in functionibus et Officiis Liturgicis solemnibus non esse toleranda, sed omnino prohibenda ; extra functiones liturgicas servetur consuetudo. » (Decret. 21 Junii 1879, n. 3496, antiq. 5785, ad 1.)

3. Ad dubium : « Licetne aliquid canere lingua vernacula, in Missa solemni, dum Sacra Communio distribuitur per notabile tempus ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 14 Januarii 1898, n. 3975, ad 5.)

Q. 279. Quid dicendum est de cantu tempore celebrationis Missæ privatæ ?

R. A pluribus annis introductus fuit, et hodiedum multum invaluit mos cantionum tempore celebrationis Missæ privatæ : Celebrans servat in omnibus et per omnia Rubricas Missæ privatæ, sed interea cantores, vel etiam fideles in Ecclesia canunt Litanias, Hymnos, Cantica, etc.

Hujusmodi praxis usuvenit præsertim occasione novendialium, mensis Maji in honorem B. Mariæ Virginis, mensis Junii, aut Feriæ VI quæ prima unoquoque in mense occurrit in honorem Divini Cordis, vel in aliis similibus occasionibus, et nata est salutares producere effectus ad fervorem apud fideles excitandum et retinendum.

Cum Celebrans nullo modo interveniat, et hæc Missa privata nihil omnino habeat de solemnitate Missæ cantatæ, sed sit et maneat Missa privata, hoc solum addito quod celebretur sub cantu quem exsequuntur ad libitum suum fideles adstantes, Ecclesia permisit hujusmodi cantiones tempore celebrationis Missæ privatæ cantari.

Textus harum cantionum non debent pertinere ad Missam, sed possunt esse latini sermonis ad libitum, desumpti ex Sacra Scriptura, vel ex Officio, aut ex Hymnis et precibus ab Ecclesia probatis ; imo poterit adhiberi lingua vernacula, modo textus e devotis probatisque compositionibus desumantur, id est, si Ordinarius loci eas compositiones approbaverit, vel probatæ ex laudabili consuetudine fuerint, vel in jam probatis

devotionis libris textus sint inscripti ; cavendum enim semper est, ne in ipsis precibus aut laudibus errores irrepere valeant, vel etiam ne aliquid incongrui audiatur quod locum sanctum dedecet.

Juxta Decretum S. Rituum Congregationis, diei 31 Januarii 1896, cantiones in lingua vernacula tempore Missæ privatæ permittuntur de consensu Ordinarii. (Cfr. Decreti textum in præcedenti Quæstione, ad II, 1.) Si autem, dum Sacra Communio distribuitur, prohibentur per Decretum 14 Januarii 1898 (ibid., 3), prohibitio ista existit tantum ratione Missæ solemnis aut cantatæ ; non vero se extendit ad præsentem casum, et in Missa privata sub cantu celebrata, ad Communionem, dum distribuitur, canere licet cantiones etiam in lingua vernacula.

III. De Officio Celebrantis in Missa solemni

Q. 280. *Quæ Missa dicitur* solemnis ?

R. Missa solemnis communiter dicitur illa quæ, a Sacerdote celebrata, omnem habet solemnitatem cantus, thuris, Ministrorum sacrorum nempe Diaconi et Subdiaconi, earumque cæremoniarum quas præscribunt pro ejus celebratione tum Missale Romanum, tum Cæremoniale Episcoporum. — Cum Missa solemnis celebratur ab Episcopo, tunc vocatur Missa solemnis Pontificalis.

Nota. In nonnullis Ecclesiis exstat consuetudo, quod in Missis solemnibus, quæ in diebus minus solemnibus celebrantur, omittantur quidam ritus Missæ solemnis proprii ; ex. gr., omittitur incensatio, Patena a Subdiacono infra Missam non tenetur, etc. ; quod fit sub prætextu ut habeatur distinctio dies inter et dies quoad solemnitatem. Hujusmodi consuetudines sunt contra Rubricas, talesque numquam approbat S. Rituum Congregatio, quæ aliquando, circa usus ab antiquo contra Rubricas Missæ solemnis servatos, rogata an retineri valeant, rescribendum censuit : « Servandas esse strictim Rubricas Missalis Romani, non obstante contraria consuetudine seu potius corruptela. » (Decret.

24 Martii 1860, n. 3096, ad 4, antiq. 5299, ad 6.) Et speciatim quoad incensationes S. Congregatio declaravit Episcopum tolerare non posse, quod Missæ solemnes, etiam de *Requiem* cantentur « nulla adhibita incensatione. » (Decret. 29 Novembris 1856, n. 3039, antiq. 5228, ad 6.)

Rubricæ non distinguunt dies majoris vel minoris solemnitatis, quoad ritus in Missa solemni servandos. Quod si major a minori solemnitas distingui velit, poterit, servatis strictim ritibus Missæ solemnis propriis, observari, sive in qualitate paramentorum aut supellectilis, sive in ornatu Altaris, etc.

Antequam quis addiscat cæremonias Missæ solemnis, optime jam nosse debet Ritum servandum in celebratione Missæ privatæ. In sequenti expositione Ritus Missæ solemnis omittuntur ea quæ in Sectionibus I et II jam explicata fuerunt pro celebratione Missæ privatæ, nisi opportunum videatur unum alterumve ritum memorari.

Agitur in hac Appendice de eis tantum quæ observari debent a Celebrante ; officia Ministrorum exponuntur in Tomo V qui inscribitur « Cæremoniale ».

Ibidem tamen, etiam pro ipso Celebrante, describuntur, tamquam ingressio, quædam prænotanda circa varias functiones Celebrantis, inter quas eminet Missa solemnis (Q. 105) ; necnon Regulæ circa genuflexiones a Celebrante in variis functionibus faciendas (Q. 106) ; hæc igitur in Appendice præsenti omittuntur.

Præponitur primum textus Rubricarum quem exhibet « Ritus servandus in celebratione Missæ » descriptus in principio Missalis Romani, in quantum textus agit de Celebrante in Missa solemni ; dein illustratur textus necessaria explicatione.

§ 1. De ingressu ad Altare, de principio Missæ et Confessione facienda

Textus. (Tit. II.) — In Missa solemni Missale apertum super Altare, Calix vero, et alia necessaria præparentur in Credentia cooperta linteo, antequam Sacerdos veniat ad Altare. Ipse autem procedit cum Diacono, et Subdiacono, qui capite cooperto simul cum eo tenent manus junctas ante pectus ; Acolythi vero ante eos deferunt candelabra cum candelis accensis, quæ deinde collocantur super Credentia ; et cum pervenerint ante infimum gradum Altaris, ibi medius inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris, antequam ascendat ad Altare, facit cum ipsis (ut infra) Confessionem.

281. — 1. Celebrans sacris paramentis in sacristia indutus, bireto cooperit caput ; cum autem signum fue-

rit datum egrediendi e sacristia, capite nudato, profundam capitis inclinationem præstat Cruci vel imagini principali sacristiæ ; cooperit iterum caput, et manibus ante pectus junctis procedit ad Altare, sequens Diaconum. Ad sacristiæ fores caput dextera detegit, biretumque mox sinistra tenens contra pectus, a Diacono aquam benedictam accipit, se signat, iterumque dextera caput cooperit.

2. Progrediens per Ecclesiam, Celebrans observat omnes reverentias quæ præscribuntur in QQ. 186, 188 et 189, pro diversis casibus hic citatis ; sed cum ipse non deferat Calicem, observat etiam ea quæ dicuntur in QQ. 190 et 191, de detegendo capite cum reverentias præstat.

3. Si Clerus in Choro præsens est, et mos existit ipsum salutandi, Celebrans ingressus Presbyterium (supponitur accessus a parte Epistolæ), mox subsistit, et capite detecto, salutat inclinatione minima eos qui sunt a parte Epistolæ ; parum deinde progressus, salutat eos qui sunt a parte Evangelii ; postea, cooperto capite, procedit versus medium ante Altare.

4. Ante infimum gradum Altaris Celebrans caput detegit, biretumque tradit Diacono, deinde profunda corporis inclinatione Crucem Altaris salutat ; — aut, si in Altari est Tabernaculum SS. Sacramenti, vel si in Altari exposita est palam, et in loco principali Altaris, Reliquia S. Crucis, aut Dominicæ Passionis, dexterum genu flectit in pavimento (cfr. Cæremoniale, Q. 106, III, IV) ; — et incipit statim Missam.

5. Notat Missale (Rubricæ generales, Tit. XVI, n. 3), quod ea quæ in Missa privata dicuntur clara voce, in Missa solemni, si non debent cantari, « a Celebrante dicuntur submissa voce » ; hæc tamen submissa vox intelligitur talis quæ a Ministris possit intelligi.

6. Ad Confessionem cum Celebrans profert verba *vobis fratres*, et *vos fratres*, et *Misereatur vestri*, paululum se convertit ad Ministros, primum ad dexteram dein ad sinistram, quin tamen erigat se de inclinatione cum dicit *vobis fratres, vos fratres*, aut inclinet caput cum dicit *Misereatur vestri*.

7. Facta Confessione, ascendit cum Ministris ad me-

dium Altaris : ubi, dicto *Oramus te, Domine*, osculatur Altare.

§ 2. De Altaris thurificatione

Textus. (Tit. IV.) — 1. In Missa solemni Sacerdos, facta Confessione, ascendit cum ministris ad medium Altaris : ubi dicto *Oramus te Domine*, et osculato Altari, ponit incensum in thuribulum, ministrante Diacono naviculam, et Thuriferario thuribulum ; Diaconus parum inclinatus versus Celebrantem dicit : *Benedicite Pater Reverende*, et osculatur cochlear, et manum Celebrantis ante et post. Celebrans ter incensum ponit in thuribulum, dicens interim : *Ab illo benedicaris, etc.* et deposito cochleari, producens manu dextera signum Crucis super thus in thuribulo, illud benedicit. Postea Diaconus, dimissa navicula, accipit thuribulum, et dat Celebranti, osculata prius catenularum summitate, et manu illius dextera : qui, facta Cruci profunda reverentia, eam ter incensat, nihil dicens : et facta iterum Cruci reverentia, incensat Altare, ter ducens thuribulum æquali distantia, prout distribuuntur candelabra, a medio ejus usque ad cornu Epistolæ : ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, bis ducto thuribulo : et conversus ad Altare, elevans manum incensat ejus planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens thuribulum usque ad medium : ubi facta Cruci reverentia, procedendo thurificat aliud latus Altaris triplici ductu usque ad cornu Evangelii ; et pariter incensata inferiori et superiori parte ipsius cornu Evangelii duplici ductu, adhuc stans ibidem, elevat thuribulum, et ter incensat superiorem tabulæ partem versus medium Altaris, ut fecit in cornu Epistolæ : deinde manu aliquantulum demissa, incensat anteriorem ejus partem, seu frontem, ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium Altaris, et facta Cruci reverentia, incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolæ : ubi reddito Thuribulo ipsi Diacono, ab eo ipse solus incensatur.

2. Si vero in Altari fuerint Reliquiæ, seu Imagines Sanctorum, incensata Cruce, et facta ei reverentia, antequam discedat a medio Altaris, primum incensat eas, quæ a dextris sunt, id est a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum ; et iterum facta Cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quæ sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolæ : deinde prosequitur incensationem Altaris ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiæ, vel Imagines, seu etiam plura, vel pauciora candelabra.

3. Si in Altari fuerit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit, quod item facit quotiescumque transit ante medium Altaris.

4. Diaconus et Subdiaconus hinc inde assistunt Celebranti, cum incensat, et cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt.

282. Impositio incensi in thuribulum. — Celebrans, osculato Altari, convertit se versus cornu Epistolæ ad thuriferarium ; manu sinistra pectori admota, dextera, quam osculatur Diaconus, accipit cochlear ab eodem Diacono, et e navicula, quam pariter præbet Diaconus dicens : *Benedicite Pater Reverende*, Celebrans sumit tribus vicibus incensum et ter in ignem thuribuli a thuriferario porrecti imponit, interim dicens, cum primo ponit : *Ab illo benedicaris* ; cum secundo : *in cujus honore cremaberis* ; cum tertio : *Amen*. Reddit cochlear Diacono, qui ejus manum osculatur, jungit manus suas (cfr. Q. 168, 2°), et mox sinistra iterum pectori admota, dextera signum Crucis producit super thus in thuribulo, nihil interea dicens, et se convertit ad Altare manibus junctis.

Nota. I. Ordo Missæ præscribit quod Celebrans, imposito incenso, illud benedicit, dicens : *Ab illo bene* ✠ *dicaris, in cujus honore cremaberis. Amen*. Ritus celebrandi Missam vero aperte dicit verba illa esse dicenda interim dum Celebrans incensum ponit in thuribulum, et, deposito cochleari, incensum esse benedicendum, et interea nihil dicendum præscribit. Rubricæ Ritus consonat Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XXIII, nn. 1 et 2). Discrepat igitur Ordo Missæ.

Ad dubium : « An in impositione thuris debeant proferri verba *Ab illo benedicaris*, quando imponitur incensum in thuribulo, ut videtur insinuari in Rubrica generali ; vel dum efformatur signum Crucis, ut in Rubrica particulari, in qua Crucis effigies invenitur inserta in verbo *bene* ✠ *dicaris* ; veluti etiam similiter fit in omnibus aliis benedictionibus, ubi Crux manu describitur illo in verbo, ubi Crucis schema stat depictum ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Serventur Rubricæ Generales Missalis Romani de Ritu servando in celebratione Missæ, Tit. IV, n. 4, et Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. 23, § 1 et 2. » (Decret. 18 Decembris 1779, n. 2515, ad 10, antiq. 4395, ad 23.) Itaque negligenda est dispositio quam refert Ordo Missæ, et servandus est modus supra descriptus.

Nota. II. Ritus celebrandi Missam præscribit quod Celebrans « cum est ad Altare, et benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit sinistram super Altare, nisi aliter notetur. » (Ritus. Tit. III, n. 5 ; cfr. Q. 168, 2°.) Ex positione Celebrantis, qui stat quidem ad Altare, sed conversus ad thuriferarium, molesta videtur, interea dum fit Crucis signum super thus, positio sinistræ manus super Altare, quam aliqui auctores urgent etiam pro præsenti casu.

283. Ordo incensandi Altare. — 1. Sacerdos, post

impositionem thuris ejusque benedictionem ad Altare conversus, a Diacono accipit thuribulum, manu sinistra sumens catenularum extremitatem summam earumque manubrium inter digitos pollicem et indicem ; manu dextera, quam prius osculatur Diaconus, sustinens tribus digitis pollice, indice et medio extremitatem catenularum simul junctarum prope cooperculum thuribuli ; mox sinistram extensam applicat pectori, et dextera thuribulum tenet ante pectus.

Ordo incensandi Altare



2. Celebrans primum profunde inclinat caput Cruci Altaris, eamque, nihil interea dicens, tribus ductibus incensat (vid. Fig. nn. 1, 2, 3), elevans tribus vicibus thuribulum de pectore ad altitudinem oculorum, et iterum caput profunde inclinat.

3. Tunc incensat Altare, nihil interea dicens, sequenti modo : ter ducit thuribulum versus partem posteriorem *planitiei* mensæ, a medio Altaris usque ad cornu Epistolæ, æquali distantia, prout distribuuntur candelabra (nn. 4, 5, 6), procedens uno gressu versus cornu ad singulum thuribuli ductum ; cum ad extre-

mitatem cornu Epistolæ pervenerit, demissa manu dextera, ducit una vice thuribulum in cornu partem inferiorem, atque una etiam in superiorem, elevata paulum dextera (nn. 7, 8) ; convertit se ad medium Altaris, et elevans dexteram, incensat mensæ *planitiem* super partem anteriorem, ter ducens thuribulum a cornu usque ad medium, æquali iterum distantia, dum procedit versus medium (nn. 9, 10, 11) ; cum ad medium Altaris venerit, retrahit dexteram cum thuribulo ante pectus, et caput Cruci profunde inclinat ; dein procedendo ad cornu Evangelii, eodem modo thurificat, ter ducens thuribulum versus partem posteriorem *planitiei* mensæ, a medio usque ad cornu Evangelii (nn. 12, 13, 14) ; pariter incensat ipsius cornu Evangelii partem inferiorem et superiorem duplici ductu (nn. 15, 16) ; conversus ad Altaris medium, et remanens in cornu Evangelii, elevat thuribulum, et inde incensat mensæ *planitiem* super partem anteriorem triplici ductu versus medium Altaris, æquali distantia ut supra (nn. 17, 18, 19) ; tum manu dextera aliquantulum demissa, triplici ductu incensat anteriorem partem Altaris seu *frontem*, æquali iterum distantia a cornu usque ad medium ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium Altaris (nn. 20, 21, 22) cum ad medium Altaris venerit, retrahit dexteram cum thuribulo ante pectus, et caput Cruci profunde inclinat ; dein incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem seu *frontem* Altaris, dum procedit ad cornu Epistolæ (nn. 23, 24, 25).

4. Cum, post tertium thuribuli ductum versus frontem Altaris (n. 25), Celebrans pervenerit ad extremitatem suppedanei in cornu Epistolæ, subsistit, et reddit thuribulum Diacono qui manum ejus dexteram osculatur ; et stans junctis manibus conversus ad Diaconum, ab illo incensatur triplici ductu ; dein modica inclinatione respondet Diacono.

284. Thurificatio reliquiarum, seu Imaginum.

A) Reliquiarum S. Crucis aut Dominicæ Passionis. Si in Altari exposita fuerit palam, et in loco principali Altaris, Reliquia S. Crucis, aut Dominicæ

Passionis, observandum venit sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « An cæremoniæ in Missa coram Sacræ Crucis ligno palam exposito, differant ab iis quæ in Missa coram Sanctissimo Sacramento adhibentur ? » S. Congregatio rescripsit : « Affirmative ; et solum est genuflectendum in accessu et recessu, et quoties opus sit transire ante medium Altaris. » (Decret. 23 Maji 1835, n. 2722, antiq. 4743, ad 1.)

Ex hoc Decreto non patet quidem genuflexionem ratione Reliquiæ esse faciendam ante et post Crucis incensationem, sed certum omnino est quod Celebrans debet genu dextrum flectere, ratione Reliquiæ, quoties in ritu incensationis transit ante medium Altaris ; scilicet, quando procedit a parte Epistolæ ad partem Evangelii (post n. 11), et postea quando de parte Evangelii redit ad partem Epistolæ (post n. 22). Ad hujusmodi genuflexionem Celebrans imponit sinistram, manubrium thuribuli tenentem, super Altaris partem anteriorem extra medium.

Nota. I. Quando S. Crucis Reliquia super Altari est exposita, Celebrans debet incensare etiam Reliquiam, non separatim tamen, sed simul, trino thuribuli ductu semel versus Crucem et Reliquiam simul facto.

Ad dubium : « Quando super Altare exstat, præter Crucem, etiam Reliquia S. Crucis exposita, debetne Celebrans in Missa et Vesperis solemnibus utramque thurificare separatim ; an utramque simul ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam. » (Decret. 9 Junii 1899, n 4026, ad 1.) — Decretum 23 Septembris 1885 (antiq. n. 5948), quo S. Congregatio rescripserat incensari debere in casu primo Imaginem Crucifixi, et postea Reliquiam S. Crucis in Altari expositam, e nova Decretorum editione anni 1900 fuit expunctum.

Nota. II. Idem cultus qui præscribitur pro Reliquiis S. Crucis, exhibendus est Spinis Coronæ D. N. J. C., aliisque Instrumentis Passionis Dominicæ. (Decret. 17 Septembris 1897, n. 3966.)

B) Reliquiarum Sanctorum, et Imaginum. I. Si in Altari fuerint thecæ cum Reliquiis Sanctorum, dispositæ, vel ab utraque parte una prope Crucem, vel ab utraque parte una aut plures inter candelabra ; Ce-

lebrans, incensata Cruce, et facta ei reverentia, antequam discedat e medio Altaris, primum incensat eas Reliquias quæ a dextris sunt, id est, a parte Evangelii, duplici ductu, seu bis ducens thuribulum, nulla facta eis reverentia ; et iterum tunc facta reverentia ad Crucem, similiter incensat bis, seu duplici ductu alias quæ sunt a sinistris, hoc est, a parte Epistolæ ; dein, nulla alia facta ad Crucem reverentia, prosequitur incensationem Altaris ad partem Epistolæ, ut in præcedenti Quæstione describitur. Istæ Reliquiarum incensationes faciendæ igitur sunt inter nn. 3 et 4, et notantur in Figura litteris a, b, c, d.

Idem est, sive una theca tantum ab utroque latere Crucis sit apposita, sive plures juxta Crucem, aut inter candelabra ab utroque latere sint dispositæ ; in omni casu, duplici ductu a dextris, et duplici ductu a sinistris thurificandæ sunt Reliquiæ dispositæ in Altari qualicumque modo ab utroque latere, etiamsi adessent in eo plures Reliquiæ, seu etiam plura, vel pauciora candelabra.

II. Eamdem præscribunt Missale et Cæremoniale Episcoporum (Lib. I, Cap. XXIII, n. 6) thurificationem pro Imaginibus Sanctorum, si in Altari fuerint. Intelliguntur hic Imagines sive sculptæ, sive ex metallo confectæ, quæ aliquando ad splendidiorem ornatum inter candelabra disponuntur ; non autem illæ quæ sunt depictæ tantum in pariete ad ornatum.

Quia in Rubrica designantur « Reliquiæ, seu Imagines Sanctorum », quidam auctores intellexerant hic Imagines Sanctorum tales quæ inclusas habent Sanctorum Reliquias ; sed S. Rituum Congregatio declaravit : « non esse de necessitate in sculptis Sanctorum Imaginibus in Altari dispositis sacras includere Reliquias ad hoc, ut incensata Cruce, valeant illæ a Celebrante thurificari. » (Decret. 21 Martii 1744, n. 2375, ad 3, antiq. 4153, ad 4.)

III. Si in medio Altaris, nempe in loco principe, fuerit exposita aliqua Reliquia, seu Imago insignior, tunc statim, post incensationem Crucis et factam reverentiam, incensatur Reliquia hujusmodi, seu Imago, duplici ductu ; et facta de novo reverentia Cruci, incensatur Altare a cornu Epistolæ.

Pro hoc casu tamen animadvertendum est sequens S. Rituum Congregationis Decretum : ad dubium : « An sacra Imago Divini Infantis, Nativitatis tempore, principe loco super Altari exposita, sit post Crucem thurificanda triplici ductu, eodem prorsus modo quo incensatur Crux cum Imagine Crucifixi ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. Atque ita rescripsit, et ubique locorum servari mandavit. » (Decret. 15 Februarii 1873, n. 3288, antiq. 5533.)

IV. Si Reliquiæ, seu Imagines sunt dispositæ, non super Altare, id est prope Crucem, aut inter candelabra, sed prope Altare, qualiter sæpius dispositæ reperiuntur in retabulis, aut inter columnas, aut ab utraque parte extra Altare, in his casibus non debent Reliquiæ, seu Imagines thurificari.

285. Thurificatio Altaris in quo est Tabernaculum SS. Sacramenti. — Si in Altari fuerit Tabernaculum in quo asservatur SS. Sacramentum, Celebrans, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, juxta Rubricam genu dexterum flectit, imponens interea sinistram, manubrium thuribuli tenentem, super Altaris partem anteriorem extra medium. Hanc genuflexionem efficiet iterum, ob analogiam, post incensationem Crucis ; et, juxta Rubricam, quotiescumque transibit ante medium Altaris ; scilicet, quando procedet a parte Epistolæ ad partem Evangelii, et postea quando redibit de parte Evangelii ad cornu Epistolæ, in quibus casibus alias facit profundam capitis inclinationem. (Cfr. Cæremoniale, Q. 106, III.)

Q. 286. *Quomodo peragenda est actio thurificationis ?*

R. In præcedentibus Quæstionibus (283-285) expositus fuit ritus in thurificatione Altaris servandus ; hic exponitur quomodo Celebrans actionem thurificationis exsequi debet.

Priusquam ad Quæstionem respondeatur, placet describere ea quæ leges liturgicæ de hac re tradunt.

I. Cæremoniale Episcoporum sedulo hanc thurificationis actionem docet (Lib. I, Cap. XXIII) ; primum enim describit quomodo thuribulum sit manibus te-

nendum : Celebrans accipit thuribulum, « videlicet sinistra catenulas, quibus thuribulum sustinetur in earum summitate, dextera vero easdem catenulas simul junctas, prope thuribulum tenet, ac thuribulum sustinet, ita ut illud commodè ducere versus Crucem, et imagines prædictas, et ad se retrahere possit ; quod recte fit, si ipse Episcopus, aut Celebrans, accepto thuribulo, teneat dexteram, quo fieri potest, proximiorem ipsi thuribulo, ita ut parvum catenularum spatium remaneat inter ipsius manum dexteram, et thuribulum, præsertim cum thurificantur Oblata : nam, si nimis thuribulum pendeat, nec commode, nec secure, nec decore illam actionem expedire posset. » (Loco citato, n. 4.)

Tradito dein ritu thurificationis Crucis et Altaris, qui proponitur in Quæstionibus 283 et 284, describit actionis modum sequentibus verbis : « Dum autem Episcopus, seu alius Celebrans prædictam Altaris thurificationem facit, advertat, ut se in ea graviter, et decore gerat, non personam, aut caput, dum thuribulum ducit, reducitque, movens ; sinistram, quæ summitatem catenularum retinet, firmam, stabilemque ante pectus tenebit ; dexteram vero manum, ac brachium commode, ac tractim cum thuribulo movebit : ita ut, cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter, et competenti mora reducat, et dum procedit thurificando Altare, eundo, et redeundo, semper illum pedem prius moveat, qui proximior est Altari, totque omnino passus faciat, quot thuribuli tractus, ut manus, pedesque in motu decenter concordent. » (Loco citato, n. 8.)

II. In supradicta descriptione actionis qua incensatur sive res, sive persona, dicitur tantum de actione ducendi thuribulum, quod sustinetur dextera ante pectus, usque ad altitudinem faciei thurificantis, si incensatur Crux, vel persona, vel versus rem thurificandam, si incensatur Altare, et illud reducendi usque ante pectus, seu sub brachio dextro ; sed ex variis S. Rituum Congregationis Decretis docemur quod in actione thurificationis aliquando insuper peragendus est aliquis thuribuli ictus ; qui ictus consistit in eo quod statim ac thuribulum dextera fuerit usque ad altitudinem faciei elevatum, motus aliquis fiat, seu vibratio cum

ipso thuribulo versus rem vel personam thurificandam : iste thuribuli elevati motus vocatur ictus, et bis quidem eo momento peragitur ; quo duplici ictu facto, reducitur thuribulum dextera ante pectus.

De isto duplici ictu, in singulo thuribuli ductu versus rem, vel personam thurificandam peragendo, agitur in sequentibus S. Rituum Congregationis Decretis :

1. Ad dubium : « Ita ne intelligendus est ductus duplex thuribuli, quo Diaconus in Choro incensare debet singulos Canonicos, ut unusquisque ductus debeat perfici duplici ictu ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 22 Martii 1862, n. 3110, ad 20, antiq. 5318, ad 21.)

2. Ad dubium : « Thurificatio SSmi Sacramenti, estne facienda duplici ictu in triplici ductu, etiam intra Missam solemnem, ante Introitum et ad Offertorium ? « S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, juxta Decretum sub N. 3110, diei 22 Martii 1862, ad 20. » (Decret. 24 Novembris 1899, n. 4048, ad 9.)

3. Ad dubium : « Utrum idem observandum sit in thurificatione Crucis Altaris, sacrarum Imaginum, libri Evangeliorum ante cantum Evangelii in Missa solemni, Episcopi, Celebrantis, Ministrorum, Beneficiatorum, aliorumque de Choro et Altari, iis exceptis qui non sigillatim incensantur? Perficine debent duplici ictu ductus in thurificatione Altaris, et in solemni benedictione Candelarum, Cinerum et Palmarum ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Quoad primam partem quæstionum serventur Decreta ; quoad reliqua, et secundam quæstionem, servetur consuetudo. » (Decret. 29 Maji 1900, *Urgellen.*, ad II. Textum Decreti dant Ephemerides Liturgicæ, XIV, 1900, pag. 531 ; prout jacet, lumen meridianum non præbet.)

His prænotatis, sequens proponitur modus peragendi actionem thurificationis.

1. Qui thurificat, sinistra manu sustinet catenularum thuribuli extremitatem summam, earumque manubrium inter digitos pollicem et indicem, eamdemque sinistram firmam, stabilemque contra pectus per totam actionem tenet ; — dextera manu, scilicet pollice, indice et medio dexteræ manus, sustinet thuribuli catenulas simul junctas, quo fieri potest proximius ipsi thuribuli cooperculo, eamdemque dexteram tenet etiam ante pectus, seu ante sinistram contra pectus positam.

2. Si thurificanda est res sigillatim, ex. gr., Crux Altaris, SS. Sacramentum expositum, Imago, Reliquia, liber Evangeliorum ; vel persona sigillatim, ex.

gr., Episcopus, Celebrans, Diaconus, Subdiaconus, Canonicus, Sacerdos ; tunc qui thurificat, sistens ante rem vel personam, thuribulum, quod ante pectus tenet, ducit ad altitudinem faciei suæ, et mox duplici ictu illud vibrat, seu movet versus rem vel personam ; quo facto reducit thuribulum ante pectus. Si res vel persona thurificari debet duplici ductu, bis supradictam actionem ducendi thuribulum a pectore ad faciem ibique bino illud ictu movendi, ac ante pectus reducendi peragit ; si triplici ductu res vel persona est thurificanda, ter simili modo facit.

Attendendum est hujus actionis partem principalem esse ductum a pectore ad faciem, et reductum a facie ad pectus ; et motum brachii dexteri pro hujusmodi ductu necessarium : qui motus pro singulo ductu omnino repetendus est. Si itaque Crux Altaris triplici ductu incensanda est, non sufficit semel levare thuribulum ad altitudinem faciei, ibique triplicem ictum peragere ; sed ter omnino faciendum est quemadmodum supra describitur.

3. Si thurificandum est Altare, patet quod ductus thuribuli non debet fieri a pectore ad faciem, sed a pectore versus Altaris partem thurificandam ; a qua thuribulum reducitur, seu retrahitur versus pectus. Sed motus brachii ad ducendum et reducendum thuribulum omnino requiritur ; non sufficeret, ex. gr., ad thurificandam mensæ superficiem, extendere dextrum brachium supra mensam, et sic manu triplicem thuribuli motum provocare : in actione peracta tali modo deesset gravitas, et decor. Quoad duplicem ictum ad unumquemque ductum, notari potest, ipsum non in hac Altaris thurificatione requiri, nisi adsit consuetudo (quæ apud nos certo non existit) ; eo vel magis quod a pluribus hujusmodi ictus nec commode, nec secure peragi posset.

4. Pro thurificatione Altaris insuper animadvertendum est monitum Cæremonialis Episcoporum quoad motum pedum : ut Celebrans nempe dum procedit thurificando Altare, eundo, et redeundo, semper illum pedem prius moveat, qui proximior est Altari, totque omnino passus faciat, quod thuribuli tractus, ut manus, pedesque in motu decenter concordent.

Nota. In descriptione modi quo incensatur Altaris mensæ planities, nulla facta fuit mentio alicujus circuli cum thuribulo repetitis vicibus faciendi : perperam solent nonnulli in hunc modum incensare ; hujusmodi ratio thurificandi a Rubrica præscribitur tantum ad thurificandum triplici circulo Oblata ; quæ ratio ibi mystica significatione gaudet, qualis incensationi mensæ Altaris non convenit.

5. Si aliqui thurificantur non sigillatim, sed transeundo, et quasi collective, uti fit in Choro pro iis qui in minoribus adhuc sunt constituti, tunc thurificatio videtur peragenda extendendo et retrahendo brachium pro singulo ductu versus thurificandos, absque elevatione thuribuli, et omissis ictibus.

6. De thurificatione Oblatorum in Missa dicetur postea. (Cfr. Q. 296.)

§ 3. De Introitu et aliis usque ad Offertorium

Textus. (Tit. IV.) — 1. Celebrans, Diacono a dexteris ejus, Subdiacono a dexteris Diaconi stantibus in cornu Epistolæ, legit Introitum et *Kyrie eleison.* Cum vero intonat Hymnum *Gloria in excelsis Deo,* Diaconus et Subdiaconus, unus post alium, stant a tergo Celebrantis : postea ascendunt ad Altare, et hinc inde. Diaconus a dexteris, Subdiaconus a sinistris, cum Celebrante Hymnum submissa voce prosequuntur usque ad finem. Quod etiam servatur cum dicitur *Credo* ; et cum dicitur *Dominus vobiscum,* Oratio, Præfatio, et *Pater noster,* Diaconus et Subdiaconus similiter stant unus post alterum a tergo Celebrantis.

2. (Tit. V.) In Missa solemni cum dicitur *Dominus vobiscum,* et Oratio, Diaconus et Subdiaconus stant retro post Celebrantem. *Flectamus genua* dicitur a Diacono, a Subdiacono vero *Levate,* illo primum genuflectente, hoc primum surgente : Celebrans vero non genuflectit.

3. (Tit. VI.) In Missa solemni Subdiaconus circa finem ultimæ Orationis accipit ambabus manibus librum Epistolarum, deferens illum super pectus, et facta Altari genuflexione in medio, vadit ad partem Epistolæ contra Altare, et cantat Epistolam, quam etiam Celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi Diacono a dexteris, et item Graduale, Tractum, etc. usque ad *Munda cor meum.* Epistola cantata, Subdiaconus facit iterum genuflexionem Altari in medio, ac redit ad Celebrantem, et genuflectens osculatur ejus manum, et ab eo benedicitur, præterquam in Missis Defunctorum.

4. Postea idem Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert ad cornu Evangelii in Altari, et ibi ministrat Celebranti,

qui in medio Altaris submissa voce dicto *Munda cor meum, etc.* et deinde lecto Evangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per Diaconum libro Evangeliorum ad Altare, imponit incensum in thuribulum. Postea Diaconus genuflexus ante Altare dicit : *Munda cor meum,* et accipiens librum Evangeliorum de Altari, petit benedictionem a Celebrante similiter genuflexus in superiori gradu Altaris ; et osculata illius manu, præcedentibus Thuriferario, et duobus Acolythis cum candelabris accensis de Credentia sumptis, vadit cum Subdiacono a sinistris ad locum Evangelii contra Altare versus populum, ubi Subdiacono librum tenente medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa, dicit : *Dominus vobiscum*, junctis manibus. Cum dicit : *Sequentia, etc.* signat librum in principio Evangelii, frontem, os et pectus : postea ter librum incensat, hoc est, in medio, a dexteris, et a sinistris, et prosequitur Evangelium, junctis manibus. Interim Celebrans post datam Diacono benedictionem retrahens se ad cornu Epistolæ, ibi stat junctis manibus. Et cum Diaconus dicit : *Sequentia sancti Evangelii,* Sacerdos etiam signat se : et cum nominatur JESUS, caput inclinat versus Altare. Finito Evangelio, Sacerdos osculatur librum a Subdiacono sibi delatum, dicens : *Per Evangelica dicta, etc.* et a Diacono ter incensatur. Si sit coram Prælato in sua residentia, liber defertur ad Prælatum, ut supra, et ille incensatur, ut in Cæremoniali. Postea stans in medio Altaris versus ad Crucem, incipit, si dicendum sit, *Credo,* stantibus post eum Diacono et Subdiacono, deinde ad Altare accedentibus, et cum eo prosequentibus, ut dictum est ad *Gloria in excelsis.*

5. Si autem sit prædicandum, Concionator, finito Evangelio, prædicet, et sermone, sive concione expleta, dicatur *Credo* vel, si non sit dicendum, cantetur Offertorium.

287. Introitus. — Celebrans cum incensatus fuerit a Diacono, convertit se ad Missale, et legit Introitum sicut in Missa privata ; post Introitum non accedit ad Altaris medium, sed subsistens in cornu Epistolæ ante Missale, alternatim cum Ministris dicit *Kyrie eleison* ; absoluto a Cantoribus cantu *Kyrie eleison*, procedit ad medium Altaris.

Nota. Rubricæ generales Missalis notant quod Celebrans cum Ministris sedere potest dum cantatur *Kyrie eleison* (Tit. XVII, n. 6) ; non, aut rarissime hoc fit ; quod si fiat, servabit Celebrans pro sessione ea quæ præscribuntur in sequenti Quæstione.

288. Gloria in excelsis. — 1. Cum Celebrans pervenerit ad medium Altaris, absoluto cantu *Kyrie eleison*, intonat, tono debito pro qualitate Officii et Missæ, Hymnum *Gloria in excelsis Deo*, servatis cæremoniis et

reverentia ut in Missa privata (cfr. Q. 202) ; et submissa voce pergit recitare Hymnum una cum Diacono et Subdiacono, non alternatim, sed concomitanter.

Nota. 1. Placeat legere sequens S. Congregationis Decretum relate ad intonationem Hymni : S. Congregatio « ad removendos abusus cæremoniarum contra formam Ritus Romani.... declaravit : Assistentiam duorum Choristarum deambulantium per Chorum cum baculo argenteo, et cæremoniam annuntiandi per unum eorum Hymnum Angelicum Celebranti, esse contra usum Ecclesiæ Romanæ. » (Decret. 31 Julii 1665, n. 1322, ad 10, antiq. 2345, ad 11.)

2. De recitatione Hymni eadem S. Congregatio rescripsit : « *Gloria* et *Credo*, non alternatim a Celebrante et Ministris recitari debent, sed totum ab omnibus est dicendum, non præveniendo, nec sequendo, sed concomitanter. » (Decret. 22 Aprilis 1871, n. 3248, antiq. 5483, ad 5.)

2. Dicto Hymno, et facto in fine Crucis signo, Celebrans manibus junctis caput profunde inclinat Cruci ; aut dexterum genu flectit, manibus super Altare positis, si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti ; se convertit per dexteram suam, de Altari per viam breviorem, id est, a latere Epistolæ descendit, et pergit ad scamnum ; ubi cum pervenerit, convertit se per partem Epistolæ versus Altare, et in scamni medio sedet ; accipit a Diacono biretum, ac dextera caput cooperit, et manus extensas super genua ponit ; ordinarie ponuntur infra casulam, sed melius super hanc ponerentur. Cum cantantur verba : *Adoramus te ; Gratias agimus tibi ; Jesu Christe ; Suscipe deprecationem nostram* ; et iterum *Jesu Christe* ; retenta sinistra super genu, dextera accipit biretum, illudque ponit prope genu dexterum cum apertura versus pectus, et caput profunde inclinat.

Si, dum cantantur verba : *Adoramus te*, vel *Gratias agimus tibi*, nondum sederet, subsistit, et stans versus Altare caput profunde inclinat ; deinde sedebit.

Si quædam ex his verbis non decantarentur, sed (ut aliquando fit, cum versiculi alternatim cantantur a Choro, et, supplente organo, recitantur simpliciter ab adstantibus in Choro) tantum recitarentur, debet etiam Celebrans, cum hæc recitantur, caput detegere. (Decret. S. Rituum Congregationis, 27 Julii 1878, n. 3457, antiq. 5739, ad 3.)

Ad dubium : « An Presbyter solemniter celebrans, quoties sedet, sacris Ministris salutationem reddere debeat caput aperiens, vel inclinationem tantum facere capite cooperto ? » S. Rituum Congregatio rescribere censuit : « Servetur consuetudo. » (Decret. 18 Augusti 1877, n. 3434, antiq. 5711, ad 5.)

3. Sub finem cantus Hymni, ad nutum Cæremoniarii, caput detegit, biretumque tradit Diacono, assurgit et manibus junctis procedit per planum versus Altare, quumque in medium venerit ante infimum gradum, caput profunde inclinat Cruci ; vel genu dexterum flectit in infimo gradu, si in Altari fuerit Tabernaculum SS. Sacramenti ; et mox ascendit ad Altare.

Ubi vero salutandus est Clerus in Choro præsens, Celebrans assurgit, et procedens per planum, salutat Clerum a parte Epistolæ in Choro stantem ; parumque progressus, Clerum a parte Evangelii ; deinde tendit versus medium ante Altare.

4. Si non sedet dum cantatur Hymnus, Celebrans eo dicto remanet ante Altaris medium ; et dum cantantur verba ad quæ inclinatio præscribitur, caput profunde Cruci inclinat.

Nota. Celebrans et Ministri debent deponere biretum ad scamnum in fine cantus Hymni, et aperto capite procedere ad Altare. Ad dubium : « An Celebrans in Missa solemni, quando sedere debet dum cantatur *Gloria in excelsis* et *Credo,* procedere debeat ad præparatam sedem aperto capite, et ita regredi ad Altare ; et dum sedet ad illa verba quæ cantantur in Choro ad quæ fieri debeat inclinatio, an debeat se inclinare nudo capite,..... cum Rubrica Missalis de hoc non disponat, non obstante prætensa contraria consuetudine ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Affirmative in omnibus. » (Decret. 21 Martii 1676, n. 1563, antiq. 2776, ad 1.) Idem confirmatur Decreto 12-18 Novembris 1831. (n. 2684, antiq. 4672, ad 13.)

289. Oratio. — Celebrans stans ad medium Altaris, osculatur illud in medio, cum Chorus finierit cantare Hymnum, et conversus ad populum cantat *Dominus vobiscum,* et postea in Missali Orationem vel Orationes, observans omnia quæ in Missa privata præscribuntur. Attamen ipse Celebrans non vertit Missalis folia pro diversis Orationibus, aut pro eis quæ sequuntur ; hoc enim facit vel Diaconus, vel Cæremoniarius.

Nota. In quibusdam per annum Missis, nempe in Quatuor Temporibus Feria quarta et Sabbato, ac in aliis paucis Feriis per annum, in Missis de Feriis, Celebrans, dicto *Kyrie eleison,* ante Orationem quæ præcedit Prophetiam, cantat in cornu Epistolæ ante Missale *Oremus* ; Diaconus mox subjungit *Flectamus genua.* (Cfr. Q. 201, Nota.) Celebrans non debet in Missa solemni ad hæc verba genuflectere, etiamsi id ipsi præscribatur pro Missa privata, in qua ipse eadem verba dicit. (Ritus, Tit. V, n. 4 et 5.)

290. Epistola. — 1. Celebrans Epistolam et quæ sequuntur legit submissa voce. Cum ipse hæc legerit, stat manibus junctis, exspectans accessum Subdiaconi.

2. Ubi post cantum Epistolæ Subdiaconus juxta Celebrantem genuflexus fuerit ad cornu Epistolæ, Celebrans se ad eum convertit, et, posita sinistra contra pectus, dexteram extensam imponit Epistolario, ac osculandam præbet Subdiacono ; mox manus jungit, et imposita sinistra super Altare (Ritus, Tit. III, n. 5), dextera benedictionem largitur Subdiacono, nihil dicens.

Nota. I. Si in Epistola occurrunt quædam verba ad quæ genuflexio præscribitur, ex. gr., in Dominica Palmarum, et in Missis de Cruce, ad verba : *In nomine Jesu omne genu flectatur, etc.*, Celebrans in Missa solemni genuflectit, non quando ipse hæc verba legit, sed tantum quando eadem verba cantantur a Subdiacono ; tunc si adhuc ipse quædam legeret subsistit, positis manibus extensis super Altare, genu dextrum flectit in suppedaneo ante Missale paululum conversus ad Crucem ; dictis a Subdiacono verbis, surgit, et pergit legere, aut exspectat adventum Subdiaconi.

Similiter, si in Graduali aut in Tractu occurrit quidam Versus ad quem genuflexio præscribitur, ex. gr., quando in Missis Quadragesimæ dicitur in Tractu ℣. *Adjuva nos Deus etc.*, quando in Festo et per Octavam Pentecostes, necnon in omnibus Missis de Spiritu sancto dicitur ℣. *Veni sancte Spiritus, reple tuorum etc.*, genuflectit Celebrans, non quando ipse Versum legit, sed quando postea idem Versus cantatur a Choro ; et in hoc casu subsistit a lectione si nondum totum Tractum vel Sequentiam legisset ; si autem hæc omnia jam legisset, exspectat et non accedit ad Altaris medium ut dicat *Munda cor etc.*; ubi vero Chorus incipit cantare Versum,

Celebrans junctis manibus descendit ad penultimum gradum anteriorem suppedanei ante Missale, et ibi in ora suppedanei genu utrumque flectit quousque Versus fuerit a Choro cantatus; tunc surgit, et vel accedit ad Missale ut legat quæ legenda remanent, vel in cornu Epistolæ benedicit Subdiaconum, vel accedit ad Altaris medium, ut dicat *Munda cor etc.*

Generatim, quando leguntur in Missa solemni quædam verba ad quæ genuflexio præscribitur, si postea eadem verba in cantu repetuntur, sive a Diacono in Evangelio, sive a Subdiacono in Epistola, sive a Choro in Graduali aut Tractu, genuflexio requiritur et facienda est, non ad lectionem, sed tantum ad eorumdem verborum cantum. Solus excipitur Versus *Et incarnatus.... homo factus est,* in Symbolo, ad cujus lectionem Celebrans semper genuflectit, etiamsi forsan postea ad ejusdem Versus cantum foret genuflectendum, uti in Festis Annuntiationis B. M. V., et Nativitatis Domini, ac ubi infra Symboli cantum Celebrans non sederet. (Cfr. Q. 276, Nota II.)

Ad hanc regulam refertur sequens S. Rituum Congregationis Decretum : Ad dubium : « An Episcopus celebrans tertiam Missam Nativitatis in Pontificalibus debeat genuflectere ad *Verbum caro factum est,* quando legitur Evangelium ; vel quando stat, dum Diaconus illud canit ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Negative, quoad primam partem ; Affirmative, quoad secundam. » (Decret. 28 Aprilis 1708, n. 2184, ad 4, antiq. 3786, ad 5.)

Nota. II. Si legenda sit Sequentia, vel Tractus longior, benedictionem largitur postquam legere desiit. Si Sequentia, vel Tractus longior cantaretur, data benedictione, Celebrans cum Ministris mox sessum ibit ; ideo in cornu Epistolæ ad medium Altaris conversus manibus junctis caput profunde inclinabit Cruci ; et si in Altari adsit Tabernaculum SS. Sacramenti itidem caput profunde inclinabit versus medium Altaris, non vero genu dextrum flectet (cfr. Cæremoniale, Q. 106, III, 2) ; et conversus per dexteram suam, de Altari a latere descendit et pergit ad scamnum. Circa finem cantus Sequentiæ (puta ad quintam ultimam circiter stropham), assurgit et accedit ad Altare ; sed in præsenti casu sessionis ad Sequentiam vel Tractum, Celebrans accedit ad Altare, non per viam longiorem qualis supra in fine sessionis ad Hymnum *Gloria in excelsis Deo* (Q. 288, 3) descripta fuit, sed per viam breviorem ; id est, de scamno per gradus laterales ascendit ad cornu

Epistolæ et inde pergit in suppedaneo ad medium Altaris. (Cfr. Cæremoniale, Q. 46, n. 12, Nota III ; et Q. 79, n. 11, Nota II.) In medio Altaris dicit : *Munda cor etc.* — Quod si adsit Tabernaculum SS. Sacramenti, Celebrans, accedens ita per latus Epistolæ de scamno ad medium Altaris, genu dextrum flectit ante medium, antequam dicat *Munda cor etc.* (Cfr. Cæremoniale, Q. 106, III, 2.)

Pro tempore sessionis ad cantum Sequentiæ cfr. Q. 306, 2, Nota.

291. Evangelium. — 1. Celebrans, data benedictione Subdiacono, convertit se ad Altare, et accedit ad medium ; dicit *Munda cor*, et legit Evangelium, ut in Missa privata ; librum autem, postquam Evangelium legit, non deosculatur, nec dicit : *Per Evangelica dicta etc.*

Nota. Si in Evangelio occurrunt quædam verba ad quæ genuflexio præscribitur, ex. gr., in Evangelio Epiphaniæ, ad verba : *Et procidentes adoraverunt eum*, in Evangelio tertiæ Missæ Nativitatis Domini, ad verba : *Et Verbum caro factum est*, Celebrans genuflectit, non quando ipse hæc verba legit, sed tantum quando eadem verba cantantur a Diacono. (Cfr. 290, Nota I.)

2. Lecto Evangelio, Celebrans redit ad medium Altaris, et mox imponit incensum in thuribulum cum benedictione thuris, ut supra Q. 282 describitur.

3. Incenso benedicto, Celebrans convertit se ad Altare, et cum Diaconus ad ejus dexteram genuflectit, ipse conversus ad Diaconum, manibus junctis dicit : *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis : ut digne et competenter annunties Evangelium suum : In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Et cum dicit : *In nomine Patris etc.*, posita sinistra super Altare, dextera largitur benedictionem Diacono ; deinde, sinistra posita contra pectus, dexteram extensam imponit Evangeliario, ac osculandam præbet Diacono.

4. Ubi Diaconus de Altari descendit, Celebrans, nulla facta reverentia, accedit ad cornu Epistolæ, manibus junctis conversus ad Altare stans ; et simul ac Diaconus incipit canere, ad eum se convertit. Ad verba : *Sequentia sancti Evangelii etc.*, posita sinistra contra pe-

ctus, dextero pollice se signat in fronte, in ore, et in pectore ; et mox manus jungit.

Ubi in Evangelio nominatur Jesus, caput profunde inclinat versus medium Altaris ; ubi B. Maria V. nominatur, aut Sanctus de quo celebratur Festum, caput inclinat versus librum Evangelii, aut versus imaginem, si in Altaris loco principali esset posita. Si esset genuflectendum ad quædam Evangelii verba (cfr. supra 1, Nota), Celebrans in loco ubi stat, sed conversus ad Altaris medium, manibus junctis genu dexterum flectit.

5. Finito Evangelio, Celebrans Evangeliarium a Subdiacono sibi delatum osculatur ad principium Evangelii quod cantatum erit, ponens ambas manus ad extremitates libri, et dicens : *Per Evangelica dicta etc.* ; deinde incensatur triplici ductu a Diacono, cui modica inclinatione respondet.

292. Concio. — Si post Evangelium concio habetur, Celebrans observabit ea quæ describuntur in Tractatu « Cæremoniale ». (Cfr. ibidem Q. 116.)

293. Credo. — Celebrans postquam a Diacono incensatus fuerit, aut, si concio habita fuit, postquam ad Altare fuerit regressus, accedit ad medium Altaris, et intonat, si dicendum sit, *Credo in unum Deum* ; submissa voce cum Ministris pergit recitare Symbolum, et, eo dicto, sessùm ibit, ut ad Hymnum *Gloria in excelsis* (Q. 288) præscriptum fuit. Cum cantantur verba : *Jesum Christum ; Et incarnatus..... factus est ; simul adoratur*, caput detectum profunde inclinat. Si ad Versum : *Et incarnatus.... homo factus est*, staret in suppedaneo, in media hujus extremitate conversus ad Altaris medium genu utrumque flectit cum Ministris, et simul cum ipsis caput profunde inclinat. (Decret. S. Rituum Congregationis, 23 Maji 1846, n. 2915, ad 6, antiq. 5050, ad 8.) — Ad ejusdem Versus cantum, etiamsi sederet ad Symbolum, genuflectere debet Celebrans cum omnibus aliis, in die Annuntiationis B. Mariæ V., et in tribus Missis Nativitatis Domini. (Rubricæ generales Missalis, Tit. XVII, n. 3.) Ideo Celebrans et Diaconus ac Subdiaconus assurgunt, genua flectunt in infimo gradu Altaris a parte Epistolæ, et caput profunde

inclinant ; post cantum Versus iterum sedent. — Ad finem cantus Symboli, redit ad Altare, ut supra (Q. 288) describitur.

Nota. Describuntur hic tria Decreta S. Rituum Congregationis, de Missæ prosecutione a Celebrante, interea dum a Choro cantatur Symbolum.

1. « Supplicatum a S. Rituum Congregatione humiliter fuit responderi infrascripto dubio, videlicet : An Sacerdos celebrans Missam Conventualem, in qua Chorus cantare tenetur Symbolum Apostolorum, possit illam prosequi eo tempore quo a Choro cantatur Symbolum prædictum ? Et S. Congregatio : non posse respondit. » (Decret. 17 Decembris 1695, n. 1936, antiq. 3377.)

2. Ad dubium : « Num in Missa solemni, vi assertæ consuetudinis, possit Canonicus celebrans.... Missam prosequi statim ac a Choro cantatus sit versiculus Symboli : *Et incarnatus est* ? Itemque omittere cantum Præfationis et Orationis Dominicalis, iis saltem diebus, quibus habetur concio ? » S. Congregatio rescripsit : « Negative, in omnibus. » (Decret. 14 Martii 1861, n. 3104, antiq. 5310, ad 1.)

3. Ad dubium : « In Missis cantatis de die, intonato *Credo,* Sacerdos prosequitur Missam uti lectam usque ad Præfationem. Quæritur an hoc tolerari possit ? » S. Congregatio respondendum censuit : « Negative, et hunc abusum omnino esse eliminandum. » (Decret. 3 Junii 1904, *Tergestina,* ad 2 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XX, 1906, pag. 65.)

§ 4. De Offertorio usque ad Præfationem

Textus. (Tit. VII) — 1. In Missa solemni dicto *Oremus,* Diaconus et Subdiaconus accedunt ad Altare in cornu Epistolæ, Diaconus amovet Calicem, si est in Altari, vel si est in Credentia, ut magis decet, accipit eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena, et Hostia, coopertum palla, et velo a collo sibi pendente, manu sinistra tenens, et alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat, de Credentia detulit, comitatus ab Acolytho ampullas vini et aquæ portante : ipse Diaconus Calicem detegit. et dat Patenam cum Hostia Celebranti, osculando ejus manum : Subdiaconus extergit Calicem Purificatorio ; Diaconus accepta ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calice ; Subdiaconus interim ampullam aquæ ostendens Celebranti, dicit : *Benedicite Pater Reverende ;* qui facto versus eam signo Crucis, dicit Orationem : *Deus qui humanæ etc.* Interim Subdiaconus infundit paululum aquæ in Calicem ; Diaconus illum Celebranti dat, et pedem Calicis tangens, seu brachium dexterum Celebrantis sustentans, cum eo dicit : *Offerimus tibi Domine, etc. ;* quem postea positum in Altari, ut supra, palla cooperit. Subdiacono deinde stanti in cornu Epistolæ ponit in dextera manu Patenam, quam cooperit

extremitate veli ab ejus humero pendentis : qui vadit post Celebrantem ante medium Altaris, et facta genuflexione, ibi stat, sustinens eam elevatam usque ad finem Orationis Dominicæ, ut dicetur. In Missis autem Defunctorum, et in Feria sexta Parasceve, Patena non tenetur a Subdiacono.

2. Dicto *Veni sanctificator,* ut supra, Celebrans, ministrante Diacono naviculam, et dicente : *Benedicite Pater Reverende,* ponit incensum in thuribulum dicens : *Per intercessionem etc.,* ut in Ordine Missæ. Deinde accepto thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reverentiam, incensat oblata, ter ducens thuribulum super Calicem et Hostiam simul in modum Crucis, et ter circum Calicem et Hostiam, scilicet bis a dextera ad sinistram, et semel a sinistra ad dexteram (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextera), dispensans verba in qualibet incensatione hoc modo. In prima incensatione : *Incensum istud.* In secunda : *a te benedictum.* In tertia : *ascendat ad te Domine.* In quarta : *et descendat super nos.* In quinta, et sexta : *misericordia tua.* Deinde facta reverentia, incensat Crucem et Altare, ut dictum est supra, assistente eodem Diacono, interim dicens : *Dirigatur Domine oratio mea etc. ;* et cum incensatur Crux, Diaconus amovet Calicem ad partem Epistolæ, et incensata Cruce reponit in loco suo. Cum reddit thuribulum Diacono, dicit : *Accendat in nobis, etc.* Et incensatur ab eo : deinde Diaconus incensat Chorum, et postremo Subdiaconum tenentem Patenam, et ipse Diaconus incensatur a Thuriferario, et Thuriferarius postea incensat Acolythos et populum. Celebrans, postquam incensatus fuerit, lavat manus, ministrantibus Acolythis ampullam aquæ, cum pelvicula et manutergio.

294. Offertorium. — Celebrans cum post cantum Symboli conscendit suppedaneum, aut, si Symbolum non fuerit dicendum, postquam fuit incensatus, et accessit ad Altaris medium, osculatur Altare in medio, et conversus ad populum cantat *Dominus vobiscum* ; convertit se ad Altare et cantat *Oremus* ; submissa autem voce legit Antiphonam Offertorii.

Nota. De oblationibus aliquando in Missa solemni factis a fidelibus dicitur ad Q. 306, 5.

295. Oblatio. — 1. Celebrans remanet junctis manibus, usque dum Diaconus ipsi dat Patenam ; cum eam accipit, manum dexteram osculandam præbet Diacono.

Quia Subdiaconus mox debet accipere Patenam, Celebrans, deposita Hostia super Corporale, Patenam deponit manu dextra juxta Corporale, non pro parte tectam subtus Corporale ; dein jungit manus.

2. Ubi Subdiaconus dicit : *Benedicite Pater Reverende*, Celebrans remanens in medio, sinistram ponit super Altare, et dextera benedicit ampullam aquæ, dum dicit Orationem : *Deus, qui humanæ etc.* Deinde, manibus junctis prosequitur hanc Orationem ; et cum Diaconus dat Calicem, manum dexteram osculandam ei præbet, dum Calicem accipit.

3. Celebrans ipse Calicem non cooperit, sed illud Diaconus facit ; et quidem per totum Sacrificium Diaconi officium est Calicem detegere et cooperire.

Nota. Non pauci auctores commendant Celebranti, ut ipse, quoties Diaconus pallam Calici imponit aut a Calice aufert, dexteræ, vel hac occupata, sinistræ manus digitum medium super Calicis pedem ponat. Hæc digiti impositio a Rubrica non præscribitur, sed ipsam jure merito fieri credunt isti auctores, ad cautelam, quia ex aliqua inadvertentia periculum aliquando adesse potest Calicem palla evertendi.

Sicuti pro celebratione Missæ privatæ semper proposita fuit ipsi Celebranti hæc sinistræ manus digitum pedi Calicis imponendi cautela ; ita et pro Missa solemni proponitur eadem cautela, ita ut quoties Diaconus pallam imponet Calici, aut ipsam a Calice auferet, toties etiam Celebrans ponat dexteræ manus digitum medium super Calicis pedem, reposita interea super Altare manu sinistra.

296. Thurificatio Oblatorum et Altaris. — 1. Dicto *Veni sanctificator*, ut in Missa privata, Celebrans convertit se ad thuriferarium ad imponendum incensum, ut dictum supra fuit Q. 282. Pro impositione et benedictione thuris dicit formulam sequentem : cum primo incensum in thuribulo ponit : *Per intercessionem beati Michaelis Archangeli* ; cum secundo : *stantis a dextris altaris incensi* ; cum tertio : *et omnium electorum suorum* ; reddito tunc cochleari, manus jungit, dicens : *incensum istud dignetur Dominus bene* ✠ *dicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Signum Crucis super incensum efformat ad verbum *benedicere*, et deinde prosequitur Orationem manibus junctis, et convertit se ad Altaris medium.

Ordo incensandi oblata.



2. Tunc, accepto thuribulo per manum Diaconi, Celebrans, omissa Cruci reverentia, incensat Oblata ; sinistram manubrium thuribuli tenentem toto incensationis tempore applicat pectori ; dextera ter ducit thuribulum super Calicem et Hostiam simul, in modum Crucis, linea recta ac transversa, eodem modo quo fit in iis manu benedicendis, thuribulum semper æqualiter elevatum, scilicet ad spatium trium vel quatuor digitorum a palla sustinens. Ad primam Crucem dicit : *Incensum* ad lineam rectam (vid. Fig.) n. 1, *istud* ad lineam transversam n. 2 ; ad secundam : *a te* ad l. r., n. 3 ; *benedictum* ad l. tr., n. 4 ; ad tertiam : *ascendat* ad l. r., n. 5 ; *ad te, Domine*, ad l. tr., n. 6. Post tres Cruces, ducit thuribulum ter circum Calicem et Hostiam in modum coronæ. Ut decore et accurate tres circulos efficiat, factis tribus Crucibus, deferet thuribulum ad medium Altare Hostiam inter et semetipsum, et circumducet brachio, lente et caute, ita ut circuli circumdent

Hostiam et Calicem, quin tamen thuribulum tangat Corporale. Duos circulos efficit ducens thuribulum a dextera ad sinistram, et in tertio circulo ducit thuribulum a sinistra ad dexteram. Ad primum circulum pronunciat verba : *et descendat super nos*, n. 7 ; ad secundum, verbum *misericordia*, n. 8 ; ad tertium, verbum *tua*, n. 9.

3. Deinde incensat Crucem et Altare eodem modo, ut dictum est supra ante Introitum, Q. 283. Attamen, interea dum thurificat, dicit Orationem : *Dirigatur, Domine, etc.*

Nota. Rubrica Missalis non determinat quomodo distribuenda sint hæc verba Psalmi CXL, cum incensantur Crux et Altare ; præscribit enim tantum ut « interim » dicantur. — Cæremoniale Episcoporum item (Lib. I. Cap. XXIII, n. 11) nullam præcisam distributionem indicat, sed requirit ut, cum incipit thurificatio Crucis, inchoentur verba : *Dirigatur, Domine, oratio mea, etc.*, et reliqua sequentia in incensatione Altaris taliter distribuantur, « ut eodem tempore finiantur verba, et thurificatio. » — Ordo Missæ, omissa quidem mentione Crucis, notat quod Celebrans incensat Altare dicens : *Dirigatur, Domine, etc.*

Ad dubium : « Num prædicta verba proferenda sint a Celebrante cum incipit thurificare Crucem, vel cum, incensata jam Cruce et Reliquiis, incipit incensare Altare ? » S. Rituum Congregatio rescripsit : « Affirmative, ad primam partem ; Negative, ad secundam. » (Decret. 5 Martii 1870, n. 3213, antiq. 5445, ad 2.)

Pro facilitate Celebrantis, ne citius finiat verba quam thurificationem, auctores aliquam distributionem, at non omnes eamdem, proponunt. Sequens ut magis congrua et a pluribus proposita indicatur :

Cum Celebrans incensat Crucem, dicit (vid. Fig. ad Q. 283) : ad n. 1. *Dirigatur*, 2. *Domine*, 3. *oratio mea*.

Cum progreditur ad latus Epistolæ : ad n. 4. *sicut*, 5. *incensum*, 6. *in conspectu tuo*.

In angulo Epistolæ : ad n. 7. *elevatio*, 8. *manuum*.

Cum regreditur ad medium : ad n. 9. *mearum*, 10. *sacrificium*, 11. *vespertinum*.

Cum progreditur ad latus Evangelii : ad n. 12. *Pone*, 13. *Domine*, 14. *custodiam*.

In angulo Evangelii : ad n. 15. *ori*, 16. *meo*.

Ad eumdem angulum : ad n. 17. *et ostium*, 18. *circumstantiæ*, 19. *labiis meis*.

Cum regreditur ad medium : ad n. 20. *ut non declinet*, 21. *cor meum*, 22. *in verba malitiæ.*

Cum progreditur ad latus Epistolæ : ad n. 23. *ad excusandas*, 24. *excusationes*, 25. *in peccatis.*

Quod si in Altari fuerint dispositæ Reliquiæ, seu Imagines Sanctorum, post thurificationem Crucis Celebrans illas incensabit, sicut præscribitur (cfr. Q. 284) ; sed communior ac melior Liturgicorum sententia tenet, in Reliquiis, seu Imaginibus hic loci thurificandis esse silendum ; ergo abrumpitur Oratio post thurificationem Crucis, et resumitur cum thurificatione Altaris, modo supra proposito.

(Cfr. Conferentiæ Ecclesiasticæ Archidiœceseos Mechliniensis, anni 1886, ex Liturgia Q. II. — Ephemerides Liturgicæ, IX, 1895, pag. 665-679.)

4. Dum thuribulum reddit Diacono, Celebrans dicit Orationem : *Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam æternæ caritatis. Amen.* Incensatur deinde a Diacono sicut ante Introitum.

297. Lotio manuum. — 1. Postquam incensatus fuerit a Diacono, Celebrans in eodem loco lavat manus. Ritus celebrandi Missam præscribit (Tit. VII, n. 6) quod in Missa privata Celebrans « lavat manus », idest, extremitates digitorum pollicis et indicis ; pro Missa solemni vero dicit idem Ritus quod Celebrans « lavat manus », nulla addita explicatione (ibid. n. 10). Auctores communiter ex illo dicendi modo concludunt, manus integras esse lavandas in Missa solemni, non vero solas extremitates pollicis et indicis ; rationem addentes quod in Missa solemni manus integræ mundari debent a sordibus aut pulvere, quæ facile incensationis actu contrahuntur.

2. Post manuum lotionem, Celebrans Sacrum ritu usitato peragit usque ad Præfationem.

§ 5. De Præfatione usque ad finem Missæ

Textus. (Tit. X.) — 1. In Missa solemni Diaconus stans retro post Celebrantem cum in Oratione Dominica dicitur : *Et dimitte nobis debita nostra,* facta ibidem genuflexione vadit ad dexteram Celebrantis, et Subdiaconus circa finem Orationis

Dominicæ, facta itidem genuflexione revertitur ad Altare, et stans in cornu Epistolæ porrigit Patenam Diacono, qui eam discooperit, et purificatorio abstergens dat Celebranti, illius manum osculando, et quando opus est, discooperit, et cooperit Calicem, et cum Celebrante adorat. Subdiaconus reddita Patena, et deposito velo, quod ab humeris ejus pendebat, genuflectit, et descendit retro post Celebrantem, et cum dicitur : *Pax Domini*, iterum genuflectens accedit ad sinistram Celebrantis, et simul dicunt : *Agnus Dei*. Deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem. Diaconus vero a dextris genuflexus exspectat pacem : et cum Celebrans osculatur Altare, ipse se erigens simul osculatur illud extra Corporale, et a Celebrante dicente : *Pax tecum*, complexus accipit pacem sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, et ei respondet : *Et cum spiritu tuo*. Postea iterum Sacramento in Altari adorato, vertit se ad Subdiaconum retro post Celebrantem, et similiter dat ei pacem. Subdiaconus accepta pace a Diacono, et facta Altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum, et dat pacem primo cujusque ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis, et reversus ad Altare, facta genuflexione, dat pacem Acolytho, qui ipsum comitaverat, qui et aliis Acolythis circa Altare dat pacem : deinde Subdiaconus vadit ad dexteram Celebrantis, et quando opus est, discooperit Calicem, accipit ampullam vini, et infundit quando Celebrans vult purificare. Diaconus post datam pacem Subdiacono vadit ad librum : et dum Celebrans se communicat, stant ipse et Subdiaconus profunde inclinati versus Altare.

2. (Tit. XI.) In Missa solemni Diaconus defert librum Missalis ad cornu Epistolæ, deinde vadit retro post Celebrantem. Subdiaconus vero vadit ad cornu Evangelii, ubi Calicem mundat, aptat cum purificatorio, Patena, et Palla cooperit, plicat Corporale, reponit in bursam, et illam ponit super Calicem coopertum velo, quem collocat in Altari, vel super Credentia ut prius ; postea redit ad locum suum retro post Diaconum ; qui cum dicit : *Ite missa est*, cum Celebrante vertit se ad populum : et in Quadragesima dicto per Celebrantem *Oremus*, Diaconus in cornu Epistolæ vertens se ad populum, junctis manibus dicit ut supra : *Humiliate, etc.* ; quo dicto vertit se versus Altare a tergo Celebrantis, et Celebrans dicit Orationem super populum.

3. (Tit. XII.) In Missa solemni Celebrans eadem voce, et modo, quo in Missis privatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit Episcopus, vel Abbas pontificaliter celebrans ut infra : et dicto Evangelio secundum Joannem vel alio, ut supra, ministrante Subdiacono librum, si opus est, discedit cum ministris ordine et modo, quo venerat.

298. — 1. Celebrans cantat Præfationem, observans cæremonias præscriptas pro Missa privata. Conferantur etiam quæ de cantu dicta fuerunt Q. 276, in Nota I. — In recitatione Canonis, ipse signum dat parvo ma-

nus sinistræ motu, pro vertendis ab adstante Ministro foliis. — Ad Consecrationem ipse non aufert a Calice pallam, neque eam reponit, ut dictum fuit Q. 295, ad 3.

2. Cum incipit *Pater noster*, Celebrans oculos non intendit ad S. Hostiam, sed pergit Orationem cantare e Missali. — Ipse non extergit Patenam, sed eam accipit e manibus Diaconi, qui eam tenet prope Corporale, et manum Celebrantis osculatur. — Cantat deinde *Per omnia sæcula*, et *Pax Domini* ; eodem modo, quam cum *Pax Domini* legitur, distribuit signa Crucis cum particula S. Hostiæ.

Nota. Quæstio hic proponitur, an liceat Diacono respondere submissa voce Celebranti per verba : *Sed libera nos a malo*, post *Pater noster* ; et per verba : *Et cum spiritu tuo*, post *Pax Domini* ; et proinde an liceat Celebranti, accepto responso a Diacono, prosequi interea dum Chorus hæc responsa cantat ?

Rubricæ Missalis et Cæremonialis Episcoporum alte silent, et nullum S. Rituum Congregationis Decretum hac super re prostat. Ex auctoribus plurimi silent, aut non clare quæstionem solvunt.

Martinucci dicit Diaconum in utroque casu submissa voce respondere Celebranti. (*Manuale sacrarum Cæremoniarum*, editio altera anni 1879, pag. 194, nn. 91 et 93.)

E contra Ephemerides Liturgicæ (XIII, 1899, pag. 736) sustinent, ad mentem et litteram Sacrorum Rituum, Diaconum non posse respondere Celebranti, et Celebrantem non debere prosequi antequam Chorus responderit : quia in casu Chorus, et nemo alius, ex lege respondere debet Celebranti, et suo responso solus complere valet ea quæ Celebrans canit, sine qua Chori responsione totum aliquid non habetur ; sicut enim pars Celebrantis hic est in cantu, ita in cantu debet esse responsio, et Celebrans qui debitum responsum non exspectaret, inordinate jam ageret. Hujusmodi inordinatio vero hic saperet properantiam, quæ devotioni adversatur, et in divina actione maxime dedecet.

Ex immemorabili consuetudine apud nos omnes, etiam timorati agunt sicut proponit Martinucci.

299. Pax. — Recitata prima Oratione : *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis etc.*, Celebrans, manibus super Corporale extensis, osculatur Altare, et mox manibus junctis, absque genuflexione convertit se ad Diaconum, eique dat pacem, extendens et imponens ambas manus suas a parte palmæ super humeros Diaconi, et dicens *Pax tecum*, sinistris genis interim sibi invicem appropinquantibus ; iterum manus jungit, salutat parva

inclinatione Diaconum, et conversus ad Altare absque genuflexione prosequitur Orationes ante Communionem. Advertat, cum imponit manus super humeros Diaconi, ne pollices et indices tangant paramenta Diaconi.

300. — Pro ablutione digitorum e medio Altaris non discedit Celebrans ; et illa sumpta, et deposito super Altare Calice, extremitate purificatorii labia abstergit, et mox purificatorium reponit super Calicem. Deinde accedit ad cornu Epistolæ ut legat Antiphonam *Communio.*

301. — Conversus ad populum, cantat *Dominus vobiscum*, et postea in Missali Postcommunionem, vel Postcommuniones. — Si in Quadragesima dicenda sit Oratio « super populum », Celebrans cantat *Oremus*, et dum Diaconus ad populum conversus cantat : *Humiliate capita vestra Deo*, ipse stat manibus junctis, et caput profunde inclinat versus Missale, vel potius versus Crucem ; deinde extensis manibus cantat Orationem « super populum ». (Cfr. Q. 259, 3, Nota.) — Celebrans iterum conversus ad populum, cantat *Dominus vobiscum.*

302. Ite Missa est. — 1. Celebrans ipse non dicit *Ite Missa est*, sed remanet conversus ad populum, donec Diaconus cantaverit *Ite Missa est.* Si vero dicendum sit *Benedicamus Domino*, Celebrans ad Altare conversus illud dicit submissa voce.

Ad dubium : « An Sacerdos dicere debeat in Missa solemni *Ite Missa est, Benedicamus Domino*, et *Requiescant in pace* ? » S. Rituum Congregatio censuit respondendum : « Quoad *Ite Missa est*, Negative ; quoad *Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace*, Affirmative. » (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 22, antiq. 4526, ad 36.)

2. Juxta Rubricas generales Missalis (Tit. XIII, n. 1), respondetur : *Deo gratias* ad *Ite Missa est*, et ad *Benedicamus Domino.* In Missa solemni hoc responsum utique fit in cantu a Choro, et complet cantum Diaconi. Consuetudo tamen in quibusdam Ecclesiis existens pulsandi organum loco responsionis *Deo gratias*, in cantu ad *Ite Missa est*, potest servari.

Ad dubium : « An retinenda vel potius eliminanda sit consuetudo pulsandi tantum organum ad respondendum, dum in Missa cantatur *Ite Missa est* ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Servari posse. » (Decret. 11 Septembris 1847, n. 2951, ad 5, antiq. 5102, ad 6.)

303. — Cum Diaconus cantavit *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, Celebrans recitat Orationem *Placeat etc.*, dat Benedictionem, voce clara, et legit ultimum Evangelium, ut in Missa privata. Ipse non claudit librum, si Evangelium e Missali sit legendum.

304. — Ultimo Evangelio recitato, Celebrans accedit ad medium Altaris manibus junctis, caput profunde inclinat Cruci, et mox conversus per dexteram suam, descendit ante ultimum gradum Altaris, et facit inclinationem capitis profundam ; vel genu dexterum flectit in pavimento, si in Altari adsit Tabernaculum SS. Sacramenti, aut Reliquia S. Crucis vel Dominicæ Passionis palam in loco principali Altaris exposita (cfr. Q. 281, 4) ; et accepto bireto, caput cooperit, ac manibus junctis subsequens Diaconum revertitur ad Sacristiam.

Ubi vero salutandus est Clerus in Choro præsens, Celebrans, facta Altari reverentia, accipit quidem biretum, sed nondum caput cooperit ; per dexteram suam convertit se ad Clerum a parte Evangelii, eumque salutat ; parum progressus salutat Clerum a parte Epistolæ ; et mox cooperto capite procedit ad Sacristiam.

IV. De his quæ omittuntur in Missa de Requiem

§ 1. De Missa privata de Requiem

Textus. (Tit. XIII.) — In Missa pro Defunctis ante Confessionem non dicitur Psalmus : *Judica me Deus,* sed pronuntiata Antiphona : *Introibo ad Altare Dei,* et responso a ministro : *Ad Deum, qui lætificat etc.,* dicitur ℣. *Adjutorium nostrum,* et Confessio, cum reliquis ut supra. Cum Celebrans ad Altare incipit Introitum, non signat se, sed manu dextera extensa, facit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Non dicitur : *Gloria Patri,* sed post Psalmum repetitur : *Requiem æternam ;* nec dicitur *Gloria in excelsis,* nec *Alleluia,* nec *Jube Domine benedicere,* nec *Dominus sit in corde meo ;* nec oscu-

latur librum in fine. Non dicitur *Credo*, non benedicitur aqua in Calicem fundenda : dicitur tamen Oratio : *Deus, qui humanæ substantiæ etc.* Cum lavat manus, in fine Psalmi *Lavabo inter innocentes,* non dicitur *Gloria Patri.* Ad *Agnus Dei* non dicitur : *miserere nobis,* cujus loco dicitur : *dona eis requiem ;* nec tertio : *dona nobis pacem,* cujus loco dicitur : *dona eis requiem sempiternam,* neque percutitur pectus. Non dicitur prima Oratio ante Communionem, scilicet : *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis etc.,* nec datur pax. In fine non dicitur : *Ite Missa est,* nec *Benedicamus Domino,* sed *Requiescant in pace.* Et non datur Benedictio : sed dicto *Placeat,* et osculato Altari, dicitur, ut supra : *In principio erat Verbum etc.* Alia omnia ut in aliis Missis.

305. — 1. Ante Confessionem non dicitur Psalmus *Judica,* sed pronuntiata Antiphona *Introibo* cum responso, statim dicitur ℣. *Adjutorium,* et Confessio cum reliquis.

2. Cum Celebrans ad Altare incipit Introitum, non signat se, sed posita sinistra super Altare, manu dextera extensa facit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens (Q. 168, 2°). Non tangit librum, et lineæ Crucis non excedunt unam palmam.

Ad dubium : « An Sacerdos in Missa de *Requiem* ponere debeat manum sinistram super Altare, dum facit dextera signum Crucis ad Introitum ? » S. Rituum Congregatio censuit respondendum : « Affirmative. » (Decret. 7 Septembris 1816, n. 2572, ad 25, antiq. 4526, ad 42.)

3. Ante Evangelium, dicta Oratione *Munda* cor, omittitur *Jube Domine benedicere,* et *Dominus sit in corde meo.* Lecto Evangelio, non osculatur Sacerdos principium Evangelii, nec dicit : *Per Evangelica dicta.* Minister tamen dicit : *Laus tibi Christe.*

Ad dubium : « Num in Missa de *Requiem*, quamvis non osculatur Evangelium, recitari debeant verba *Per Evangelica dicta* ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Negative. » (Decret. 11 Septembris 1847, n. 2956, ad 10, antiq. 5111, ad 12.)

4. Non benedicitur aqua in Calicem fundenda ; recitatur tamen Oratio : *Deus qui humanæ.*

5. In fine Psalmi *Lavabo* non dicitur *Gloria Patri.*

6. *Agnus Dei* recitatur ter, manibus per totum tempus junctis ante pectus ; non dicitur *miserere nobis,* sed

ejus loco *dona eis requiem*, nec tertio dicitur *dona nobis pacem*, sed ejus loco *dona eis requiem sempiternam* ; non percutitur pectus.

7. Prima ex tribus Orationibus ante Communionem, scilicet : *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis*, non dicitur, neque datur pax.

8. In fine Missæ Sacerdos non dicit *Ite Missa est*, nec *Benedicamus Domino*, sed facie versa ad Altare, dicit *Requiescant in pace* ; itaque postquam dixit *Dominus vobiscum*, convertit se ad medium Altaris, et stans versus ad illud, ac erectus, junctisque ante pectus manibus, dicit : *Requiescant in pace*. — Notare juvat quod S. Rituum Congregatio declaravit, in Missa dici « semper *Requiescant* », in plurali, etiamsi pro uno defuncto Missa celebraretur. (Decret. 22 Januarii 1678, n. 1611, antiq. 2858.)

9. Dicta Oratione *Placeat*, Sacerdos Altare osculatur ; sed omissa Benedictione, statim transit ad cornu Evangelii, dicturus Initium Evangelii S. Joannis, quod semper in his Missis legitur.

10. Quando in Canone occurrit nomen alicujus Sancti, cujus, eo die quo celebratur Missa de *Requiem*, fit Officium, Octava, aut Commemoratio specialis, non inclinandum est caput, quia Missa de *Requiem* nihil habet commune cum Officio diei. (Cfr. Q. 231, III.)

11. Introitus, Graduale, Offertorium, V. *Requiescant in pace*, et generatim omnes preces, exceptis solis Orationibus (Collecta, Secreta et Postcommunione), plurali semper numero dicendæ sunt, etiamsi pro uno tantum defuncto Missa celebretur et applicetur.

§ 2. De Missa solemni de Requiem

Textus. (Tit. XIII.) — 1. In Missa solemni non incensatur Altare ad Introitum, et Subdiaconus finita Epistola, non osculatur manum Celebrantis, nec benedicitur : Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum : non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur incensum, sed duo tantum Acolythi sine candelabris stant unus a dexteris, et alter a sinistris Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum. Non incensatur liber, nec in fine Celebrans : nec defertur liber Evangeliorum osculandus. Oblata et Altare incensantur ut supra : incensatur solus Celebrans, et non incensantur alii. Subdiaco-

nus non tenet Patenam post Celebrantem : sed tempore elevationis Sacramenti genuflexus in cornu Epistolæ illud incensat. Ministri cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Missa non osculantur ejus manum, neque rem, quæ porrigitur.

2. Si distribuendæ sunt candelæ, distribuantur post Epistolam, et accendantur ad Evangelium, ad elevationem Sacramenti, et post Missam, dum fit Absolutio. Si habendus est sermo, habeatur finita Missa ante Absolutionem.

306. — 1. Non incensatur Altare ad Introitum.

2. Finita Epistola, Celebrans non præbet osculandam manum Subdiacono, neque illum benedicit, sed cum absolvit lectionem Sequentiæ *Dies iræ*, stans in cornu Epistolæ convertit se ad medium Altaris, manibus junctis, et profunde inclinat caput Cruci ; vel, manibus super Altare positis, genu dexterum flectit, si in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti ; et conversus per dexteram suam, de Altari a latere descendit et pergit ad scamnum, ubi sedet usque ad stropham : *Inter oves locum præsta, etc.* ; tunc de scamno directe per viam breviorem, id est, per gradus laterales a parte Epistolæ, ascendit ad cornu Epistolæ et inde pergit in suppedaneo ad medium Altaris, ubi dicit : *Munda cor etc.* — Quod si adsit Tabernaculum SS. Sacramenti, Celebrans accedens ad Altaris medium genu dextrum flectit antequam dicat *Munda cor.* (Cfr. Q. 290, Nota II ; et Cæremoniale, Q. 106, III, 2.)

Nota. Quoad sessionem tempore cantus Sequentiarum liceat hic generatim notare : Præfertur illorum auctorum opinio, qui dicunt, casu quo una ex Sequentiis in Missa cantatur, et Celebrans ac Ministri infra ejusdem cantum sedent, ipsos pro sessione ad scamnum pergere statim postquam a Celebrante fuerit lecta Sequentia, ante lectionem Evangelii ; ergo, in Missis de *Requiem*, statim post lectionem Sequentiæ, in aliis Missis vero statim post Benedictionem Subdiacono datam. — Minus autem placet praxis eorum, qui antequam sedeant, prius legunt Evangelium ; imo, in Missis in quibus thus ad Evangelium adhibetur, incensum jam imponunt.

Motivum est : Sessio illa fit, quia protrahitur cantu pars Missæ quæ hic et nunc perficitur, et quæ intime conjungitur præcedenti Versui post Epistolam lecto et cantato ; sequitur autem pars Missæ omnino distincta, nempe Evangelium, cujus, antequam solemniter cantetur, præludium, tamquam initium cæremoniarum, ponitur lectio textus facta a Celebrante ; incongruum sane videtur, miscere duas partes Missæ omnino distinctas ; quod tamen jam fit, si post lectionem Gradualis, Tractus et

Sequentiæ, Celebrans immediate legit Evangelium, et eo lecto, iterum quasi redit ad complendum partem præcedentem ; qua cantu completa, partem sequentem resumeret ubi fuit abrupta. Melius itaque, et magis ordinate sessio fiet, dum protrahitur cantu pars Missæ quæ ad Epistolam pertinet ; et versus finem hujus cantus incipietur id quod ad sequentem Evangelii partem spectat, ita ut hujus partis interruptio nulla sit.

Accedit, pro aliis Sequentiis præter Sequentiam *Dies iræ*, quod thuris impositio, quæ, lecto Evangelio, pro hujus cantu solemni fieri debet, esset intempestiva, si, thure imposito, exspectandum foret per totum Sequentiæ cantum. (Cfr. Cæremoniale, Q. 23, 7, Nota.)

3. Post lectionem Evangelii, Celebrans accedit ad medium Altaris ; non imponit incensum, nec dat Benedictionem Diacono, sed manibus junctis remanet in medio, usque dum Diaconus de Altari descendit ; tunc accedit ad cornu Epistolæ.

4. In fine Evangelii Celebrans non incensatur ; non osculatur ipse textum Evangelii ; sed statim accedit ad medium Altaris.

5. Solent patrio more fideles in Missis de *Requiem* exsequialibus ad Offertorium accedere, ut oblationes præsentent. — S. Rituum Congregatio declaravit quidem quod : « Usum oblationum in Missis temporibus nostris non habet Ecclesia Romana, nisi in Consecrationibus Episcoporum, Benedictionibus Abbatum, Ordinationibus, et similibus (Decret. 31 Julii 1665, n. 1322, ad 17, antiq. 2345, ad 18) ; unde concludendum est quod ubi in usu non sunt oblationes, non sunt introducendæ ; ast ubi in usu sunt ab immemoriali, ut in casu præsenti, non sunt abrogandæ aut negligendæ, nisi gravis causa id suadeat. — Notandum est quod istæ oblationes accipiendæ sunt statim post lectionem *Offertorii*, antequam afferatur, aut detegatur Calix. (Decret. 26 Januarii 1658, n. 1052, antiq. 1865.) Ad accipiendas oblationes laicorum, Celebrans convenientius stabit ad ingressum Presbyterii, et non ad Altare. — Abusus est, præsentare fidelibus Patenam Sacrificii, ut ipsam osculentur : non enim ipsis licet Patenam tangere. (Cfr. dicta Q. 79.) Quare, si quid præbeatur ad osculandum, sumatur instrumentum aptum quodcumque, sed numquam Patena quæ in Sacrificio Missæ adhibetur. — Notandum insuper est, quod Celebrans, dum præbet

osculandum instrumentum, silere debet, et non potest dicere, ex. gr., *Requiescat in pace.*

Juvat describere sequens Decretum S. Rituum Congregationis relative ad oblationes in Missis : Ad dubium : « Communis praxis est in Ecclesiis prædictæ Diœceseos (Urgellen.), ut Sacerdotes celebrantes recipiant populi oblationes ad balaustium post lectum Offertorium in solemnioribus Festis. Attamen, alii Lignum S. Crucis, alii vero Stolam vel Manipulum præsertim viris ad deosculandum præbent, interim dicentes : *Oblatio tua accepta sit Deo.* Idem observatur in Missis exsequialibus quoad osculum Stolæ vel Manipuli. Continuarine potest hujusmodi praxis, maxime cum facile tolli nequeat ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Servetur in omnibus Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XVIII, § 16 ; et Celebrans in fidelium recipiendis oblationibus sileat. Consuetudo autem osculandi Stolam vel Manipulum servari potest, exceptis Missis Defunctorum. » (Decret. 30 Decembris 1881, n. 3535, antiq. 5830, ad 1.)

Cæremoniale Episcoporum loco citato præscribit quod ubi aliquid offertur Celebranti, osculanda est res quæ offertur, ac deinde manus recipientis, præterquam in Missis Defunctorum, in quibus talis deosculatio omittitur.

6. Ministri, cum aliquid porrigunt Celebranti, numquam osculantur ejus manum, neque rem quam porrigunt.

7. Celebrans manibus junctis recitat Orationem : *Deus, qui humanæ etc.*, et non benedicit aquam. Incenso benedicto, thurificationem Oblatorum et Altaris facit ritu usitato. — De obligatione hujus thurificationis agitur in Nota ad Q. 280.

8. Celebrans omittit pacis osculum dare Diacono.

9. In fine Celebrans, conversus ad Altare, dicit submissa voce : *Requiescant in pace*, dum Diaconus hæc verba cantat. (Cfr. Q. 302.)

V. De Missa celebrata coram SS. Sacramento exposito

§ 1. De Missa privata coram SS. Sacramento exposito

307. — Quamvis maxime deceat, ad Rubricarum sensum, a celebratione Missæ privatæ coram SS. Sacramento exposito abstinere ; quia tamen facile evenit

in Expositionibus minus solemnibus, et quoniam difficillimum est abrumpere consuetudinem, quæ bene multis laudabilis videtur (de quibus omnibus agitur in Tractatu de administratione Sacramentorum, ad Q. 179) ; opportunum est describere cæremonias speciales observandas ratione SS. Sacramenti in celebratione Missæ coram SS. Sacramento exposito.

Deficiente super ritibus hujusmodi Missæ textu Rubricarum Missalis, describitur hic ritus in hujusmodi Missa servandus, juxta illum quem proponunt « *Commentaria ad Instructionem Clementis XI prò Expositione SS. Sacramenti in forma XL Horarum* » ; quæ Commentaria, ab Aloysio Gardellini († 1826) digesta, cum munere Secretarii S. Rituum Congregationis fungeretur, eadem S. Congregatio tanti habet, ut sua quasi esse voluerit et ad instar Appendicis ipsa adjecerit suæ Decretorum Collectioni (in Volumine IV, edito anno 1900) ; unde hæc Commentaria, etsi nullimode pertineant ad Decreta, nec horum valorem habeant, tamen certe tamquam auctoris ab ipso summo Sacrorum Rituum Tribunali probati æstimanda sunt. De hac Missa privata in Commentariis agitur § XXX, nn. 24 ad 30. — Insuper quædam addentur quæ a S. Rituum Congregatione per unum alterumve Decretum rescripta aut declarata fuerunt.

308. — Præponuntur tres regulæ generales sequentes:

I. Omnes reverentiæ, nempe capitis inclinationes, et oculorum elevationes, quæ alias fiunt versus Crucem ; item, in Epistola, vel etiam in Evangelio, genuflexiones aliquando præscriptæ ad quædam verba ; et in ultimo Evangelio, genuflexio ad verba *Et Verbum caro factum est*, fiunt versus SS. Sacramentum.

Imo inclinationes quæ in Evangelii lectione ad SS. Nomen *Jesu* faciendæ præscribuntur versus librum et non versus Crucem Altaris, in Missa coram SS. Sacramento exposito etiam fieri debent versus SS. Sacramentum.

Ad dubium : « Sacerdos celebrans coram SSmo Sacramento patenter exposito, dum in Evangelio dicit *Et Verbum caro factum est*, genuflectit aliquantulum versus SS. Sacramentum.

Quæritur : An debet versus idem Venerabile Sacramentum inclinationem facere quotiescumque in lectione Evangelii pronuntiat nomen Jesu ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 30 Novembris 1895, n. 3875, ad 4.)

De hac inclinatione, et de difficultate in ea facienda dictum fuit in Nota ad Q. 211, ad 2, ubi agitur de eadem inclinatione similiter facienda versus Imaginem alicujus Sancti in loco principali Altaris expositam, quando in Evangelio legitur ejus nomen in Festo vel per Octavam.

II. Pro genuflexionibus servantur sequentia : Sacerdos transiens ante medium Altaris, aut de medio ad alterutrum latus recedens, aut ex alterutro latere ad medium accedens, semper, manibus super Altaris mensam extensis, genu dextrum flectit in medio Altaris. — Prima actio Sacerdotis in accessu ad medium Altaris est genuflexio ; et ultima actio ante recessum e medio item est genuflexio. — Si inter accessum ad medium Altaris et recessum e medio aliqua mora habetur, ex. gr., ad *Munda cor*, Sacerdos bis genuflectit ; si autem mora est brevissima, ex. gr., ad osculum Altaris cum dicitur *Dominus vobiscum*, semel tantum genuflectit.

Exemplum : Ad dicendum *Dominus vobiscum* ante Offertorium, si dicitur in Missa *Credo*, Sacerdos prius osculatur Altare, dein genuflectit et se convertit ad dicendum salutationem ; — si autem *Credo* non dicitur, Sacerdos, lecto Evangelio, accedit de cornu ad medium, genuflectit, dein osculatur Altare, et se convertit ad dicendum salutationem.

III. Genuflexiones omnes, per totam Missam faciendæ, sunt genuflexiones simplices, nempe unius genu (Q. 164, II) ; et quando Sacerdos stat ad Altare, pro quacumque genuflexione ponit manus extensas super Altaris mensam (unica illa genuflexione excepta quæ fit immediate ante S. Hostiæ elevationem) ; et numquam caput inclinat.

Genuflexio duplex cum capitis et modica humerorum inclinatione (Q. 164, I), numquam fit in Missa, sed tantum in accessu ad Altare, et in recessu ad Sacristiam.

309. — Methodus in ipsa celebratione servanda sequens est :

1. Sacerdos celebraturus, statim ac est in conspectu

SS. Sacramenti, aut Cappellam Expositionis ingreditur, caput dextera detegit, et biretum ministro tradit. (Cfr. Q. 187.)

2. Accedens ad Altare, utrumque genu flectit in pavimento ante infimum gradum Altaris, ac genuflexus caput et modice humeros inclinat ; et se erigit. (Cfr. Q. 192, II.)

Ad dubium : « Genuflexio quæ fit coram Sanctissimo Sacramento exposito in Missa, quandonam fieri debet unico genu et quando utroque, tum a Celebrante tum a Ministris ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « In accessu et recessu utroque genu ; intra Missam unico genu. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 49, antiq. 4669, ad 53.)

Ad dubium : « Quando Celebrans genuflectit ante Altare Sanctissimi Sacramenti, tam expositi, quam in Tabernaculo reconditi, debetne genuflectere in plano Presbyterii, an in infimo gradu Altaris ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Serventur Rubricæ : sed in accessu et recessu, in plano est genuflectendum ; in infimo autem gradu Altaris, quoties insuper genuflectere occurrat. » (Decret. citatum, n. 47, antiq. 51.)

Ad dubium : « Cum flectendum est utrumque genu ad Sacramentum adorandum (puta in accessu ad Altare ubi expositum est SS. Sacramentum et in recessu ab eodem), flexioni genuum estne addenda profunda inclinatio totius corporis an solius capitis ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Inclinatio mediocris, id est capitis, et modica humerorum inclinatio, quæ in casu habetur uti profunda. » (Decret. 16 Februarii 1906, *Societatis Salesianæ,* ad 1 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XX, 1906. pag. 206.) — Hoc Decretum publici juris factum fuit quando sub prælo erat præsens folium ; requirit ut compleantur ea quæ de genuflexione duplici dicta habentur Q. 164, I, et Q. 192, II ; nimirum expressius indicando inclinationi capitis ibi præscriptæ esse addendam modicam humerorum inclinationem.

3. Cum ascendit ad Altare, deposito Calice ad partem Evangelii, statim manibus super Altare extensis, unum genu flectit ; similiter, cum Calicem deposuit in medio super Corporale ; item cum, aperto Missali, e cornu Epistolæ redit ad medium. Descendens de Altari, solito magis ad latus Evangelii recedit, humeris versis ad cornu Evangelii, ne dorsum vertat SS. Sacramento ; cum descendit ante infimum gradum, genu unum flectit in infimo gradu, sine capitis inclinatione.

310. — 1. Celebrans, finita Confessione, et dicto

Oremus, sine genuflexione ascendit ad Altare ; sed ut pervenerit ad Altaris mensam, extensis super ipsam manibus, genuflectit ; erectus a genuflexione, mox mediocriter corpus inclinat, manus junctas super Altaris oram ponit, et incipit Orationem : *Oramus te etc.* Osculato Altari erigit se, manus retinet extensas super Altaris mensam, et genuflectit ; dein surgens procedit junctis manibus ad cornu Epistolæ dicturus Introitum.

2. Dicto Introitu, Celebrans ad medium Altaris revertitur, iterum genuflectit, deinde dicit *Kyrie eleison*, et Hymnum Angelicum quatenus dicendus sit.

Nota. In quibusdam Missis de Feriis per annum post *Kyrie eleison* occurrunt dicendæ Orationes cum Prophetiis ; in casu Celebrans, dicto *Kyrie eleison*, genuflectit, et accedit directe ad Missale in cornu Epistolæ. Si post *Oremus* dicendum est *Flectamus genua*, ipse in Missis privatis hæc verba dicens genuflectit. (Cfr. Q. 201, Nota.) Hæc genuflexio præscribitur facienda ante Missale, non versus Altaris Crucem ; quare etiam in Missis privatis celebratis coram SS. Sacramento, hæc genuflexio ad verba *Flectamus genua* facienda est more solito ante Missale, et non versus SS. Sacramentum ; uti respondit S. Rituum Congregatio. (Decret. 18 Februarii 1843, n. 2859, antiq. 4962.)

3. Post Hymnum Angelicum, facto signo Crucis, osculatur Altare, et retinens manus extensas super Altaris mensam genuflectit ; erectus jungit manus, et dicturus *Dominus vobiscum*, se retrahit paulum e medio ad partem Evangelii, et aliquantum conversus ad populum, humeris conversis ad cornu Evangelii, dicit salutationem, eaque dicta, mox ad medium Altaris conversus, iterum genuflectit in medio.

4. Post genuflexionem Celebrans pergit ad cornu Epistolæ, ubi dicit Orationes, Epistolam, Graduale, aut *Alleluia*, aut Tractum, juxta temporis et Missæ exigentiam.

5. Deinde accedit ad medium Altaris ubi, elevatis ad Sacramentum oculis statimque demissis, manibusque extensis super mensam positis, genuflectit ; erectus manus jungit ante pectus, et mox inclinatus dicit *Munda cor, etc.*, et iterum genuflectit, manibus extensis super Altaris mensam.

6. Postea pergit ad cornu Evangelii, ubi legit Evangelium more solito, excepto quod ad nomen *Jesu* caput profunde inclinat versus Sacramentum. (Cfr. Q. 308, I.)

7. Postquam osculatus est librum eumque reposuit prope Corporale, Sacerdos manibus junctis revertitur ad medium Altaris ; genuflectit, et dicit Symbolum quatenus dici debeat ; quo dicto, osculatur Altare, iterum genuflectit, et vertens se ad populum a parte Evangelii (cfr. supra n. 3), dicit *Dominus vobiscum* ; et postea conversus ad medium Altaris, et iterata genuflexione, dicit *Oremus*, et legit Offertorium. Si dicendum non sit Symbolum, accedens post osculum libri ad Altaris medium, genuflectit, et postea osculatur Altare, et quin iterum genuflectat, vertit se ad populum ad dicendum *Dominus vobiscum*. (Cfr. Q. 308, II.)

311. — 1. Post oblationem Hostiæ, deposita Patena, Celebrans genuflectit, deinde accedit ad partem Epistolæ, ad ponendum vinum et aquam in Calicem ; item, antequam accipit Calicem ad faciendam oblationem, reversus ad medium Altaris, prius genuflectit.

2. Dicto *Veni Sanctificator*, et benedictis Oblatis, non jungit manus, sed iis super Altaris mensam positis, genuflectit, et erectus incedit versus cornu Epistolæ, et descendit de suppedaneo in planum, ubi se convertit per dexteram suam, seu per partem Altaris, ut ita caveat tergum vertere SS. Sacramento, et perficit circulum usque dum sit facie ad populum conversa ; tunc manus abluit et abstergit ; quo facto, directe ad Altaris cornu ascendit ; cum ad medium rediit, iterum genuflectit.

Nota. Commentaria præscribunt Celebranti, ut pro manuum lotione et extersione descendat ad planum. Ad dubium : « Quum Celebrans coram Sanctissimo Sacramento exposito debeat thurificari et lavare manus extra Altare ; debet ne stare in plano presbyterii, an in supremo gradu Altaris ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Servetur consuetudo : dummodo caveat, ne terga vertat Sacramento. » (Decret. 12 Novembris 1831, n. 2682, ad 48, antiq. 4669, ad 52.) Consuetudo in omni casu descendendi ad planum apud nos semper exstitit, et proinde servanda omnino est.

3. Post Orationem *Suscipe, sancta Trinitas, etc.*, osculato Altari, retinet manus extensas super Altaris mensam, et genuflectit ; erectus manus jungit, et sicut cum dicit *Dominus vobiscum* versus populum, obversis humeris versus cornu Evangelii, dicit *Orate fratres* ; non perficit circulum, sed reversus ad Altaris medium per eamdem viam, manus extendit et super Altaris mensam ponit, ac genuflectit. — Postea usque ad Communionem alia omnia peragit juxta solitum.

312. — 1. Purificatione sumpta, Sacerdos ponit Calicem extra Corporale a cornu Epistolæ, genuflectit in medio Altaris unico genu, et vadit ad cornu Epistolæ, ubi est Calix quem accipit ; et facta in eo digitorum ablutione et abstersione, eumdem ponit prope Corporale ; tum revertitur ad medium Altaris, genuflectit, accipit purificatorium et Calicem, sumit ablutionem, ac deinde juxta morem extergit os et Calicem.

Nota. Ad Q. 255, in Nota, interpretata fuit Rubrica Missalis eo sensu, quod Sacerdos pro ablutione digitorum non debet e medio Altaris discedere ; hic pro Missa privata coram SS. Sacramento exposito, Commentaria, quorum textus ad verbum supra refertur, præscribunt Sacerdoti (n. 29), ut e medio discedat, facta genuflexione ante discessum, et post regressum ad Altaris medium.

Pro discessu e medio, præter Commentaria, afferri potest auctoritas major, nempe Rubrica quam tradit *Memoriale Rituum* Benedicti XIII, qua discessus e medio et genuflexiones præscribuntur pro Feria V in Cœna Domini (Tit. IV, Cap. II, § 1, n. 19 ; cfr. Cæremoniale, Appendix I) ; nisi dicas Memorialis Rubricam ita præscribere, quia SS. Sacramentum in casu prostat super ipsam Altaris mensam ; sed responderi potest, SS. Sacramentum in throno expositum materialiter quidem extra mensam Altaris poni, censeri tamen posse super ipsam veluti moraliter extensam prostare.

Decretum S. Rituum Congregationis, quo super hac discessus quæstione responderat : « Serventur Rubricæ pro diversitate Missæ » (Decret. 22 Julii 1848, n. antiq. 5138), et alterum, quo super prædicti Decreti intelligentia interrogata, rescripserat : « Consulant probatos auctores » (Decret. 30 Decembris 1881, n. antiq. 5830, ad 12), ambo e nova Decretorum editione expuncta fuerunt.

Remanet itaque auctoritas Memorialis Rituum, et Commentariorum, quorum sententiam plures auctores in casu amplectuntur.

2. Calice suo velo tecto, et in medio mensæ collocato, Sacerdos genuflectit, accedit ad cornu Epistolæ, legit Communionem, et ad medium Altaris regressus iterum genuflectit. Retentis manibus extensis super Altare, illud osculatur, et statim, absque nova genuflexione conversus ad populum, humeris tantillum conversis ad cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiscum*, et ad medium Altaris reversus et conversus genuflectit, et revertitur ad cornu Epistolæ ubi legit Postcommunionem, vel Postcommuniones si dicendæ sunt plures.

3. Quibus expletis, vadit ad medium Altaris, genuflectit, osculatur Altare, vertit se ad populum, eo modo quo supra ad 2 dictum est, et dicit *Dominus vobiscum*, et postea *Ite Missa est* ; et deinde, rediens ad medium Altaris, genuflectit, et surgens, ac manibus junctis super Altaris oram positis, dicit Orationem *Placeat*. — Si Missæ qualitas exigat ut dicatur *Benedicamus Domino*, Sacerdos, dicto *Dominus vobiscum*, revertitur statim ad medium Altaris, genuflectit, et erectus ac manibus ante pectus junctis dicit : *Benedicamus Domino* ; et postea more consueto dicit Orationem *Placeat*.

313. — Dicta Oratione *Placeat*, Sacerdos osculatur Altare, et dicit : *Benedicat vos omnipotens Deus*, cum omnibus cæremoniis alias præscriptis, excepta capitis inclinatione ; deinde, priusquam se convertat ad populum, manibus super Altare extensis genuflectit. Dans Benedictionem non totaliter se convertit ad populum, sed tantisper secedens ad cornu Evangelii, stat e medio, humeris tantillum conversis ad cornu Evangelii ; et data Benedictione, circulum non perficit, neque accedit ad Altaris medium, neque genuflectit, sed per dexteram suam se convertit ad Altare, et ad cornu Evangelii progressus, et ad illud conversus incipit ultimum Evangelium.

314. — 1. Pro ultimo Evangelio, Missale, in Rubrica speciali Feriæ V in Cœna Domini, qua die Calix cum S. Hostia reservanda velo coopertus in medio mensæ Altaris collocatus est, præscribit, in initio Evangelii S. Joannis Sacerdotem non signare Altare, sed seipsum tantum ; item *Memoriale Rituum* (Tit. IV,

Cap. II, § 1, n. 21) dicit quod Celebrans ad Evangelium S. Joannis signat librum, vel tabellam, non autem Altare. Commentaria (n. 30) pro omni Missa coram SS. Sacramento celebrata notant, quod Sacerdos numquam signat Altare, sed vel librum, vel tabellam, et seipsum solum. — Notari potest quod si de signo tabellæ nihil dicit Rubrica Missalis, motivum hujus silentii est quod ipsa tabellam hanc in Altari positam non supponit. (Cfr. Q. 154.)

Ratio hujus omissionis datur quia præsente super Altare SS. Sacramento, quod est realitas, consultius videtur haud signare Altare quod est symbolum.

Nota. E nova editione Decretorum expunctum fuit Decretum S. Rituum Congregationis, quo ad dubium : « An in Missis coram SS. Sacramento exposito, ad Initium Evangelii S. Joannis, signari debeat Altare? » responderat: « Posse. » (Decret. 30 Decembris 1881, n. antiq. 5830, ad 14.)

2. Uti supra jam dictum fuit (Q. 308, I), Celebrans, cum dicit : *Et Verbum caro factum est*, genuflectit non versus Altare, sed versus SS. Sacramentum.

3. Dicto ultimo Evangelio, Sacerdos accedens ad medium Altaris genuflectit, accipit Calicem, et statim descendit retrahens se aliquantum ad cornu Evangelii, humeris ad hoc cornu conversis. Ante ultimum gradum utrumque genu flectit in pavimento, caput et modice humeros inclinat, se erigit, et recedit, et postquam non amplius est ante conspectum SS. Sacramenti, a ministro accipit biretum, eoque caput cooperit.

§ 2. De Missa solemni coram SS. Sacramento exposito

315. — 1. Celebrans e Sacristia exiens, cum venit in conspectum SS. Sacramenti, et priusquam Cappellam Expositionis ingreditur, caput detegit, et biretum tradit Cæremoniario vel Acolytho. — Exposito SS. Sacramento, omittuntur semper quæcumque salutationes ad Clerum in Choro præsentem. — Cum Celebrans ad Altare pervenerit, ante infimum gradum flectit utrumque genu et simul caput et modice humeros inclinat, se erigit, et Missam incipit.

2. Facta Confessione, ascendit ad Altare, nulla prius

facta genuflexione ; sed cum pervenit ad Altaris mensam, manus extensas super illam ponit, et genu dextrum flectit ; et erectus a genuflexione dicit Orationem *Oramus te, etc.*, juxta solitum.

316. — Post osculum Altaris, et dicta Oratione *Oramus te, etc.*, Celebrans non iterat genuflexionem, sed tantillum se retrahens, et conversis humeris ad cornu Evangelii, facie vero ad cornu Epistolæ, imponit incensum. — Diaconus ob Sacramenti reverentiam abstinere debet ab osculis, dum et naviculam et thuribulum porrigit Celebranti. — Imposito et benedicto thure, Celebrans statim, sine genuflexione, descendit ad secundum gradum Altaris, aliquantulum oblique conversus, ita ut in descensu tergum non vertat Sacramento, et genuflectit in suppedaneo utroque genu ; tunc thuribulum accipit a Diacono, statimque, præmissa profunda capitis inclinatione, incensat SS. Sacramentum triplici ductu, motu gravi, interposita brevissima morula unum inter alterumque ductum ; iterum profunde caput inclinat, et surgit ; accedit ad Altare, ubi, imposita sinistra, quacum tenet manubrium, super mensæ partem anteriorem extra medium, flectit genu dexterum, et mox incensat Altare more solito ; et quoties transit ante Altaris medium, semper ut supra genu dexterum flectit. Completa incensatione, stans adhuc in cornu Epistolæ, tradit thuribulum Diacono, et mox, manibus junctis, a parte laterali Epistolæ descendit in planum, ubi se convertit per dexteram suam, seu per partem Epistolæ, ne tergum vertat Sacramento, et circulum perficiens usque dum stet facie versa ad populum ; ibi incensatur a Diacono. Cum incensatus fuit, ascendit ad Altare, et statim, sine genuflexione, legit e Missali Introitum.

Nota. I. Mirabitur forsan quis genuflexionem non esse præscriptam Celebranti ante et post impositionem incensi, quia Celebrans pro hac impositione discedit de medio Altaris, sicuti cum se ad populum vertit ad dicendum *Dominus vobiscum*. Commentaria ad Instructionem Clementinam hanc genuflexionem omittendam dicunt (§. XXX, n. 11), et rationem addunt :

« quia revera Celebrans impositurus thus non discedit ab Altaris medio, sed tantillum se retrahit, conversis humeris ad latus Evangelii, ministrante Diacono e cornu Epistolæ, ita ut thuribulum in medio sit, quia igitur cessat ratio accessus et recessus vel transitus, jam patet jure omittendas esse genuflexiones. »

Nota. II. In illis Ecclesiis in quibus apposita remanet Crux cum Imagine Crucifixi tempore Expositionis, Crux Altaris non est thurificanda, siquidem incensato Originali, non est cur incensetur ejusdem figura. — Solum in Feria VI Parasceves, post incensatum Sacramentum incensatur etiam Crux, quia tali die speciali cultu Crucem Domini veneramur.

Ad dubium : « An, dum incensatur Altare in quo est expositum publicæ adorationi Venerabile, post illud incensatum, debeat quoque Crux incensari? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 29 Novembris 1738, n. 2340, ad 4, antiq. 4080, ad 5.)

317.— 1. Post recitatum Hymnum *Gloria in excelsis*, Celebrans genu dexterum flectit, et directe a latere, seu per partem Epistolæ tendit ad scamnum : sedens non cooperit caput, et semper manus junctas ante pectus tenet.

Nota. Ad dubium : « Cum Rubricæ dicant, quod Celebrans et Ministri in Missa solemni pergere debeant ad sedendum per breviorem, an permitti possit in Missa cum Sanctissimo Sacramento exposito per longiorem recedere in eundo ad sedilia ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Serventur Rubricæ. » (Decret. 12 Julii 1901, *Colimen.*, ad 6 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 462.) Ergo pergere debent ad sedendum per viam breviorem, uti in Missa sine SS. Sacramento exposito.

2. In fine Hymni, dato signo, assurgit, et procedit per planum versus Altare ; cum pervenit ante ultimum Altaris gradum, genu dexterum tantum flectit in ipso gradu, sine capitis inclinatione, ascendit, genuflectit, osculatur Altare, et cantat conversus ad populum : *Dominus vobiscum.*

3. Lecto Evangelio, accedit aliquantulum ad medium, si necesse sit, et, quin prius genuflectat, imponit incensum in thuribulum ; deinde, benedicto thure, accedit ad medium, et genu dexterum flectit.

4. Cum Diaconus petit Benedictionem, non genuflectit Celebrans priusquam ad ipsum se convertat, sed cum Diaconus genuflectit antequam descendat, simul Celebrans genuflectit, et accedit ad cornu Epistolæ.

5. Quamvis, exposito Sacramento, omittere debeat Diaconus, cum Celebranti aliquid porrigit, oscula tam rei quam porrigit quam manus Celebrantis, ut supra jam dictum fuit occasione incensationis (Q. 316), nihilominus ad Oblationem Diaconus osculatur Patenam, Calicem et manum Celebrantis ; item in fine Orationis Dominicæ easdem Patenam et manum Celebrantis osculabitur. Similiter juxta solitum Subdiaconus post cantatam Epistolam, et Diaconus ante cantum Evangelii osculantur manum Celebrantis. Isti actus enim ibi non sunt mere reverentiales, qui locum habere nequeunt exposito Sacramento, sed potius mixti, qui, cum ad ritum Missæ proprie pertineant, omitti non debent.

6. Post Orationem *Veni sanctificator etc.*, Celebrans se retrahit tantillum, humeris conversis ad latus Evangelii, ad imponendum incensum, absque genuflexione ; postquam imposuit et benedixit incensum, se convertit ad Altare, iterum absque genuflexione ; incensat tunc Oblata more solito. Iis incensatis, statim sine genuflexione descendit ad secundum gradum, secedens aliquantulum e medio versus cornu Evangelii ; genuflexus utroque genu in extremitate suppedanei, profunde inclinat caput, et thurificat SS. Sacramentum et Altare ut ante Introitum.

Nota. I. Etiamsi expositum sit SS. Sacramentum, prius tamen semper ordine incensari debent Oblata more solito, utpote quæ pertinent in præparatione et purificatione materiæ ad essentiam Sacrificii.

Nota. II. Ratio ob quam omittuntur genuflexiones ante et post impositionem incensi exposita fuit supra Q. 316, in Nota I. Sed insuper hic notatur omittendam esse genuflexionem etiam post Oblatorum incensationem, cujus ratio datur, tum quia Celebrans statim jam genuflectet, et quidem utroque genu, pro thurificatione SS. Sacramenti, tum quia hic iterum non adest verus e medio Altaris discessus.

318. — 1. Lecto ultimo Evangelio, Celebrans accedit ad medium Altaris, genu dextrum flectit, et per dexteram suam conversus, descendit ante infimum Altaris gradum ; faciem convertit ad Altare.

2. Si SS. Sacramentum remanet expositum, Celebrans cum Ministris sacris genua flectit in plano, cum capitis et modica humerorum inclinatione ; quo facto, ad Sacristiam revertitur ; cum extra conspectum SS. Sacramenti pervenit, accipit a ministro biretum, et caput cooperit.

3. Si vero Repositio, aut Processio fiat statim finita Missa tunc post lectum Evangelium, Celebrans accedit ad Altaris medium, genu dextrum flectit in suppedaneo, et cum Ministris sacris directe tendit per gradus laterales a parte Epistolæ ad scamnum (cfr. infra Nota I) ; ibi deponit Planetam et Manipulum, et accipit Pluviale. Revertitur tunc cum Ministris per planum ante medium Altaris ; genuflectit utroque genu in plano, et caput ac modice humeros inclinat ; assurgit, et mox, sine capitis inclinatione utroque genu in infimo gradu genuflectit. — Pro ritu Benedictionis servat ea quæ præscribuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum, QQ. 184 et 185. Si sequitur Processio observat ea quæ describuntur in Tractatu « Cæremoniale », Q. 128.

Nota. I. Modum agendi supra descriptum, in casu Repositionis aut Processionis post Missam, proponunt *Commentaria ad Instructionem Clementis XI pro Expositione SS. Sacramenti in forma XL Horarum*, supra ad Q, 307 laudata. Hac super re vero prodiit sequens Decretum S. Rituum Congregationis : Ad dubium : « An post Missam solemnem, qua finita, Benedictio cum SS. Sacramento datur, dum Celebrans et Ministri recedunt ab Altari ad scamnum in cornu Epistolæ, ut ibi Celebrans exuat casulam et manipulum induatque pluviale, ac Ministri manipulos deponant, debeant coram SSmo Sacramento discooperto in ipso Altari, ubi Missa celebrata est, in plano utroque genu flectere, aut unico genu in gradu infimo Altaris ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Juxta praxim Ecclesiarum Urbis in plano utroque genu flectitur. » (Decret. 24 Novembris 1899, n. 4048, ad 5.)

Juxta præscriptum hujus Decreti, quo statuitur disci-

plina absque dubio servanda in hoc casu, Celebrans, lecto ultimo Evangelio, et genuflexione facta in medio Altaris, ut supra n. 1, descendit, non directe per gradus laterales a parte Epistolæ ad scamnum, sed per gradus anteriores ante infimum Altaris gradum, et ibi ante medium Altaris genu utrumque flectit in plano cum capitis et modica humerorum inclinatione, ut supra n. 2; tunc assurgit, et per planum accedit ad scamnum, ut ibi accipiat Pluviale pro sequenti ritu Repositionis vel Processionis. — Relinquenda est ergo methodus supra descripta juxta *Commentaria*, et servanda est omnino præscriptio Decreti.

Ratio hujus præscriptionis est : Discessus ab Altari ad scamnum pro sessionibus locum habet infra Missam, et tunc sessum itur semper per viam breviorem, nempe per gradus laterales (cfr. Q. 317) ; recessus vero ab Altari in fine Missæ post lectum ultimum Evangelium locum habet post Missam, et in omni casu hic recessus fieri debet per anteriorem partem Altaris, cum genuflexione duplici in plano præscripta. (Cfr. Q. 309, 2, ubi citantur Decreta.)

Repositio SS. Sacramenti, vel Processio, etiamsi fiat immediate post Missam, est ritus omnino diversus a Missa, pro quo ritu Celebrans, servatis prius omnibus quæ pertinent ad Missam usque ad genuflexionem duplicem in plano ante Altaris medium pro recessu inclusive, facta hac genuflexione accedit per planum ad scamnum a parte Epistolæ, ut ibi se paret ad actionem diversam sequentem, sive Repositionis, sive Processionis, ut supra n. 3. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVI, 1902, pag. 317 et 318.)

Nota. II. Non licet Celebranti, Benedictionem in fine Missæ daturo cum SS. Sacramento exposito, retinere Casulam cum Manipulo ; sed debet assumere Pluviale. (Decret. S. Rituum Congregationis, 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 8.)

Omnia cætera peragit Celebrans juxta solitum, aut conformiter ad ea quæ pro Missa privata indicata fuerunt.

VI. De Missa celebrata coram Episcopo in sua Diœcesi

§ 1. De Missa privata coram Episcopo in sua Diœcesi

319. — 1. Episcopus, præsens in Missa privata per Sacerdotem celebrata, « genuflectit super genuflexorio, sibi parato ante medium Altaris, vel e regione in cornu Epistolæ, nisi aliud situs loci suadeat. » (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XXX, n. 1.)

2. Sacerdos celebraturus accedens ad Altare, ubi transit ante Episcopum, capite cooperto, facit profundam capitis inclinationem ; dein accedit ad Altare, deponit biretum, et omnia peragit sicut consueto ; collocato Calice in medio Altaris, apertoque Missali, descendit ante infimum gradum, non quidem ante Altare, sed a parte Evangelii ; antequam incipiat Missam, profunde caput inclinat ad Episcopum, deinde facit de more inclinationem vel genuflexionem versus Altare, et incipit Missam, versa facie ad Altaris medium.

3. Ad *Confiteor,* Sacerdos non dicit *vobis fratres*, neque in fine *vos fratres* ; sed dicit *tibi Pater*, et *te Pater* ; quod dum dicit, profunde inclinatus convertit se ad Episcopum. (Ritus, Tit. III, n. 8.) Minister vero respondet ut in aliis Missis.

4. Post *Oremus,* Celebrans conversus ad Episcopum, profunde inclinat caput, deinde accedit ad medium ante infimum gradum, ubi incipit secreto : *Aufer a nobis, etc.*; et ascendit ad Altare.

5. Postquam legit Evangelium, Celebrans non osculatur librum, neque dicit : *Per Evangelica dicta, etc.* ; sed statim accedit ad medium Altaris.

Minister, superpelliceo indutus, mox accipit Missale postquam Celebrans legerit Evangelium, et accedit ad Episcopum, ad sinistram, et nullam faciens reverentiam, ipsi præbet librum ad osculandum, manu indicans principium Evangelii. Quo facto, Minister genuflectit ante Episcopum, et librum refert ad Altare.

Reposito libro, Celebrans continuat Missam, dicens *Credo*, vel *Dominus vobiscum*. Omnia ad Offertorium et

Canonem fiunt ut consueto. Ad Offertorium Episcopus non benedicit aquam. (Cæremoniale Episcoporum, Lib. I, Cap. XXX, n. 3.)

6. Cum Celebrans dixit primam de tribus Orationibus ante Communionem, scilicet : *Domine Jesu Christe, qui dixisti etc.*, positis manibus extensis super Corporale, osculatur Altare in medio, et dein manibus ante pectus junctis, osculatur instrumentum pacis porrectum a Ministro juxta ipsum ad dexteram genuflexo, et dicit : *Pax tecum* ; Minister respondet : *Et cum spiritu tuo*. Celebrans statim continuat, et Minister, dicens *Pax tecum*, offert pacis instrumentum Episcopo, qui illud osculatur. (Cfr. Q. 276, Nota III.)

7. Ad Benedictionem in fine Missæ (quam Episcopus non dat), Celebrans facit omnia ut consueto, sed conversus ad populum, antequam benedicat, caput profunde inclinat Episcopo, quasi petens licentiam benedicendi ; deinde dat Benedictionem, non quidem versus medium Ecclesiæ, cum Episcopus sistit ante medium Altaris, sed versus partem Evangelii.

8. Post ultimum Evangelium, si dicendæ sunt preces ad pedem Altaris, Celebrans eas dicit non ante Altaris medium, sed aliquantum versus partem Evangelii.

9. Postquam descenderit ab Altari deferens Calicem, primum facit in medio ante gradus inclinationem vel genuflexionem, ut alias, et caput bireto cooperit ; deinde convertitur ad Episcopum, et profundam facit capitis inclinationem, quo facto, revertitur ad Sacristiam.

10. Hæc quæ notata sunt observantur pro Episcopo in sua Diœcesi, pro Archiepiscopo in sua Provincia, pro Legato Sedis Apostolicæ in loco suæ Legationis, et pro Cardinali ubique extra Urbem.

Si autem Missa dicitur coram Legato extra fines suæ Legationis, coram Archiepiscopo extra suam Provinciam, coram Episcopo extra suam Diœcesim, Celebrans nihil observare debet, nisi quod accedens ad Altare, vel recedens ad Sacristiam, ante Prælatos prædictos cum transit, profunde caput coopertum inclinat. (Cfr. Decret. S. Rituum Congregationis, 13 Octobris 1618, n. 367, antiq. 561.)

§ 2. De Missa solemni coram Episcopo in sua Diœcesi

320. — Prænotatur : I. Episcopus Titularis, et nulla jurisdictione gaudens, non potest solemniter assistere Missæ per alium decantandæ, uti Episcopo Diœcesano id permittit Cæremoniale Episcoporum. (Decret. S. Rituum Congregationis, 9 Maji 1893, n. 3798, ad 1.)

II. Agitur hic de assistentia Episcopi Ordinarii, in Sede sua Episcopali a parte Evangelii posita præsentis, et induti sacris paramentis, nempe amictu, alba, cingulo, cruce pectorali, stola, pluviali et mitra ; aut saltem rochetto et cappa magna. — Si autem Episcopus Ordinarius Missæ assistat solemni indutus tantum rochetto et mozetta, et non in Sede ordinaria a parte Evangelii posita, sed in primo stallo in Choro, præsens ordo observari non potest.

III. Celebrans, etiam non Canonicus, Episcopum semper salutat profunda capitis inclinatione ; Ministri vero semper genu dextrum flectunt, nisi sint Canonici Ecclesiæ Cathedralis, qui tantum profunde caput inclinant.

1. Celebrans cum Ministris ad Altare procedet ante adventum Episcopi. Supposito accessu per partem Epistolæ, necesse non est ut ante medium Altaris inclinationem facturus procedat, sed sufficiet si directe accedit ad scamnum, facta tamen reverentia Cruci Altaris a latere, cum prope scamnum venerit. Mox sedet in scamno usque dum advenit Episcopus ; tunc aperto capite assurgit, profunde caput inclinat Episcopo, et stat interea dum Episcopus ante Altare orat.

Præsente Episcopo, omittuntur semper salutationes ad Clerum in Choro.

2. Supposito 1° quod statim Missa sit incipienda (quod jam erit si Episcopus cappa magna tantum indutus assistit, aut si nulla alia functio præponenda est, ex. gr., Aspersio aquæ benedictæ diebus Dominicis), postquam Episcopus aliquantulum oraverit, Celebrans de scamno discedit, et transiens retro post Episcopum accedit ad ejus sinistram, et simul cum Episcopo accedit ad Altare ante infimum gradum.

Supposito 2° quod Missa statim non sit incipienda (quod erit, si Episcopus parari debet vestibus sacris et pluviali ; aut si alia functio præponitur, ex. gr., Aspersio aquæ benedictæ), Celebrans manebit ad scamnum, aut, finita hujusmodi functione, reversus erit ad scamnum. Omnibus pro Missa incipienda paratis, præsente ad thronum Episcopo, Celebrans discedit a scamno, et inter Ministros procedit per planum usque ante medium Altaris, in aliqua tamen distantia ab infimo gradu, nulla facta Episcopo reverentia ; sed ibi ante medium facta Altari inclinatione, mox cum Ministris ulterius progreditur paululum versus partem Evangelii, ad talem distantiam ab Altari, ut Episcopus de throno descendens possit transire inter Celebrantem et Altare ; ibi subsistit, et cum Episcopus de throno descendens transit, Celebrans profunde caput inclinat ; deinde accedit ad sinistram Episcopi ante gradus Altaris.

3. Episcopus incipit Missam, eique respondet Celebrans ; cum ad *Confiteor* dicit *Misereatur tui, etc.*, et *Tibi Pater*, et *Te Pater*, convertit se ad Episcopum.

4. Postquam Celebrans respondit *Amen*, ad Orationem *Indulgentiam, etc.*, ab Episcopo dictam, inclinat profunde caput Episcopo, discedit a sinistro ejus latere, et adjungit se Ministris, qui stant a parte Evangelii in plano, in aliqua distantia ab Altari ; ibi Celebrans, stans Diaconum inter et Subdiaconum, prosequitur cum ipsis dicens Versus *Deus tu conversus, etc.*, usque ad *Oremus* inclusive. Remanet ibi usque dum Episcopus ab Altari discedens versus thronum transierit ; et in transitu profunde inclinat caput ; mox accedit ad Altaris medium, et facta Altari ante gradus capitis inclinatione, statim ascendit ad Altare, illudque osculatur.

5. Quia Episcopus ipse imponit incensum in thuribulum, Celebrans exspectat manibus junctis, usque dum thuribulum afferatur apud Diaconum ; modo consueto accipit a Diacono thuribulum, et mox incensat Altare ; in fine incensatur ipse ductu duplici tantum.

6. Celebrans legit Introitum, et cum Ministris dicit : *Kyrie eleison*, sed advertere debet ut non incipiat legere aut dicere, priusquam Episcopus idem legat aut dicat.

7. In fine cantus Hymni *Gloria in excelsis*, Celebrans discedens de scamno, priusquam accedat ante Altaris medium, in transitu caput profunde inclinat Episcopo.

8. Post cantum Epistolæ, Celebrans non benedicit Subdiaconum, sed exspectat usque dum Subdiaconus, accepta ab Episcopo Benedictione, accedit ad transferendum Missale ; tunc in medio Altaris dicit : *Munda cor etc.*, et postea legit Evangelium. Evangelio lecto, accedit ad medium Altaris, et exspectat donec Diaconus acceperit Evangeliarium et descenderit ; tunc recedit e medio versus cornu Epistolæ.

9. Post cantum Evangelii, si Episcopus assistit cappa magna tantum indutus, Episcopus quidem et non Celebrans librum osculatur ; ast non Episcopus, sed Celebrans ipse incensatur a Diacono, et ideo exspectat in cornu Epistolæ usque dum id fuerit a Diacono præstitum ; si autem Episcopus assistit paratus pluviali et mitra, ipse Episcopus et non Celebrans incensatur, et ideo Celebrans statim post cantum Evangelii accedit ad medium Altaris.

10. Omnibus terminatis post Evangelii cantum, et adstantibus circa thronum in circulo Canonicis, ad signum Cæremoniarii, Celebrans intonat *Credo*. Advertat ut simul cum Episcopo genuflectat ad ℣. *Et incarnatus est*, et simul quoque dicat ℣. *Et vitam venturi sæculi. Amen*. In fine servat quæ supra n. 7 dicta sunt.

11. Ad Offertorium, Celebrans non facit signum Crucis super aquam, dicit tamen Orationem *Deus qui humanæ substantiæ etc.*

Ad dubium : « Episcopus Missæ solemni assistens pluviali vel cappa indutus, dum benedicit aquam, debet ne Orationem *Deus qui humanæ substantiæ etc.* proferre et illam Celebrans omittere ; an potius prædictam Orationem tenetur Celebrans recitare, et Episcopus benedicendo aquam tantum dicere debet *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen* ? » S. Rituum Congregatio rescribere rata est : « Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam. » (Decret. 27 Januarii 1883, n. 3569, antiq. 5865, ad 2.)

Post Orationem *Veni, sanctificator, etc.*, Celebrans accipit thuribulum a Diacono ; quia Episcopus imposuit incensum, dicens Orationem : *Per intercessionem,*

etc., non debet Celebrans hanc Orationem dicere ; accepto thuribulo, incensat Oblata et Altare more consueto ; in fine incensatur a Diacono duplici ductu.

12. Post primam de tribus Orationibus ante Communionem, Celebrans dat pacem modo consueto Presbytero ad thronum assistenti, qui ad hunc finem loco Diaconi accedit ad Altare.

13. Dicta Oratione *Placeat tibi, etc.*, Celebrans osculatur Altare, et mox recedit ad cornu Epistolæ, et convertit se ad Episcopum, stans ibi sicut ad cantum Evangelii. Cum Episcopus cantat : *Benedicat vos, etc.*, Celebrans profunde caput inclinat, et se signat Cruce a fronte ad pectus. Data Benedictione, Celebrans publicat Indulgentiam, legens formulam e tabella vel libro; ad nomen Episcopi, et ad nomen Papæ, inclinat caput.

14. Postquam legit formulam, Celebrans manibus junctis de cornu Epistolæ accedit ad medium Altaris, ubi Cruci caput profunde inclinat ; vel genuflectit si adest Tabernaculum SS. Sacramenti ; et mox procedit ad cornu Evangelii, ut legat ultimum Evangelium.

15. Lecto Evangelio, Celebrans accedit ad medium Altaris, caput profunde inclinat, aut genuflectit, ut supra ; et discedit ad scamnum. Si preces quædam essent dicendæ ad pedem Altaris, manente Episcopo in throno suo, ex. gr., preces pro Rege, Celebrans post inclinationem in Altaris medio, descendit ad planum ab anteriori parte ; et ante gradus Altaris dicit preces ; quibus dictis, caput profunde inclinat Cruci, et absque reverentia Episcopo facta, recedit ad scamnum.

Si aliquando Episcopus genuflecteret ante medium Altaris, interea dum dicuntur preces quæ præscriptæ fuerunt dicendæ flexis genibus, tunc Celebrans eas diceret, non ante Altare, sed in plano a parte Epistolæ, vel genuflexus ibi in infimo gradu, versa facie ad Altaris medium.

16. Cum, terminata functione, Episcopus de throno descendit, et aliquantum orat in faldistorio genuflexus, Celebrans stat ad scamnum ; profunde inclinat caput cum Episcopus discessurus ipsum benedicit. Profecto Episcopo, Celebrans a Diacono accipit biretum, aliquantulum a scamno procedit versus Chorum, et con-

versus ad Crucem Altaris, caput profunde inclinat ; biretum capiti imponit, et manibus junctis procedit ad Sacristiam.

Nota. Juxta plures auctores discessus post Missam fit alio ordine quam qui supra proponitur, et qui ex consuetudine servatur in Ecclesia Metropolitana. Dicunt enim Celebrantem et Ministros ejus omnes discedere ad Sacristiam, non postquam Episcopus e Choro discessit, ut supra proponitur, sed antequam Episcopus de throno descendat pro discessu ; talis ordo certo congruere videtur, quando Episcopus in Missa paratus post Missam sacra paramenta deponit : nulla enim dari potest ratio, cur Celebrans in casu Episcopi discessum exspectare deberet. — Si hic ordo servatur, Celebrans, lecto ultimo Evangelio, accedit ad medium Altaris, caput inclinat profunde Cruci, et descendit ad planum ab anteriori parte ; ibi conversus ad Altare caput profunde inclinat Cruci (supponitur Altare sine Tabernaculo SS. Sacramenti), deinde convertit se ad Episcopum, caput profunde inclinat Episcopo, et per dexteram conversus revertitur ad Sacristiam, sequens Diaconum ; cum pervenerit ad exitum Presbyterii, accipit biretum et caput cooperit.

Alter ordo in Ecclesia Metropolitana observatur absque difficultate, quia Celebans ibi discedit a parte Epistolæ, Episcopus vero a parte Evangelii ; quod si in aliqua Ecclesia per eamdem partem discedere deberent Celebrans et Episcopus, præferendus est ordo in hac Nota descriptus, juxta quam Celebrans discedit ante Episcopum.

Si Episcopus, finita Missa, ipse aliquam functionem perageret, cui non interesse debet Celebrans, ex. gr., Absolutionem pro Defunctis, tunc post Missam statim recedit Celebrans, ut in hac Nota describitur.

Quæ a Celebrante observanda sunt pro Aspersione aquæ benedictæ, pro Expositione et Benedictione SS. Sacramenti, præsente Episcopo, describuntur in Cæremoniali.

SECTIO III

De observandis post Missæ celebrationem

ARTICULUS I

De regressu ad Sacristiam et de Gratiarum actione

321. — 1. Sacerdos, celebrata Missa, in discessu ab Altari incipit, pro Gratiarum actione, Antiphonam *Trium puerorum* cum Cantico *Benedicite*, Psalmo *Laudate*, et Versiculis ac tribus Orationibus ; quæ omnia prosequitur, interea dum redit ad Sacristiam, et etiam dum Vestes sacras deponit.

Nota. I. Antiphonam, Canticum, ac Psalmum cum Versiculis et Orationibus tribus, de præcepto esse dicenda, tenent auctores liturgici complures, pro ratione allegantes præceptum Missalis, tum in Ritu celebrandi Missam (Titulo XII), tum in Ordine Missæ. Nec aliter S. Alphonsus dicit in suo Libro de Cæremoniis Missæ (Cap. XIII, n. 4) ; et si in Theologia morali (Lib. VI, n. 410, ad dub. 2) allegat communem sententiam, de Orationibus ante vel post Missam in Rubrica non adesse præceptum, sed tantum insinuationem, loquitur solum de iis quæ pro temporis opportunitate dicendæ apponuntur in Missali.

Nota. II. Pro recitatione Antiphonæ *Trium puerorum*, notatur in Missali, quod hæc duplicatur tantum in Festis duplicibus. Tempore Paschali additur in fine *Alleluja*, etiam si diceretur Missa de Requiem. (Cfr. Q. 174, Nota I.)

Nota. III. Singulariter convenit pro Gratiarum actione, post Sanctissimam Actionem celebrationis Missæ, Canticum trium puerorum. Etenim in illo omnes creaturæ in Dei laudem invitantur : incipientes a supremis Angelicis Spiritibus, et cœlestibus corporibus, per media, quæ in aere desuper gignuntur, ad inferiora descendimus, quæ in terra, et quæ in aquis, et quæ super terram habitant : donec tandem ad hominem, tamquam ad ultimum omnium corporalium finem devenimus, ubi peculiariter populum Domini electum, et Sanctos ejus ad laudem Dei adhortamur. (Cfr. quæ insuper de hoc Cantico dicuntur in Tractatu de Rubricis Missalis, Q. 203.)

Si præ omnibus Dei laudibus laudabilius æstimatur hoc Canticum, fatendum tamen est, illud non sine labore a non paucis recitari uti oportet, dum discedunt ad Sacristiam et Vestes sa-

cras deponunt. — Quidam Rubricæ præscripto faciunt satis; sed ut omnem dulcedinem et suavitatem hujus laudis attente et devote gustent, omnibus præscriptis precibus debito tempore recitatis, postea, dum in sancta recollectione Gratiarum actionem instituunt, Canticum et preces repetunt.

2. Sacerdos progrediens per Ecclesiam, ad easdem tenetur reverentias, quæ supra (QQ. 186 ad 191) præscriptæ fuerunt, cum obviam habet alia Altaria Ecclesiæ, aut SS. Sacramentum, aut Reliquias, aut Personas venerandas.

3. Ingressus in Sacristiam, capite cooperto facit inclinationem, sive profundam imagini Crucis, sive mediam imagini B. Mariæ V., sive minimam imagini Sancti. Dein deponit Calicem et biretum, et sacra Paramenta, ordine inverso quo ea induit, scilicet: planetam; stolam, cujus in summitate Crucem osculatur; manipulum, cujus item Crucem osculatur; cingulum; albam, detrahens prius manicam e brachio sinistro, dein partem albæ quæ a sinistra est revolvens super brachium ac ducens supra caput versus dexteram, ultimo detrahens manicam e brachio dextro; postremo deponit amictum, cujus Crucem osculatur. — Depositis Vestibus, Sacerdos lavat manus: hæc quidem manuum lotio non præscribitur a Rubrica, sed laudatur consuetudo, cum majorem erga SS. Sacramentum reverentiam denotet, manus quæ sancta tetigerunt, prius lavare quam res profanas contrectent.

4. Demum secedit ad piam Gratiarum actionem peragendam; in qua ut per horæ quadrantem permaneat, Statuta diœcesana (n. 325) præscribunt, nisi forte urgentes charitatis vel muneris curæ impediant.

Nota. I. Relegantur hic quæ dicta fuerunt supra (Q. 174, Nota III) de precibus et Orationibus dicendis in Ecclesia; quæ ibi pro præparatione ad Missam fuerunt commendata, potiori jure commendanda sunt pro Gratiarum actione.

Nota. II. Leo XIII, 20 Decembris 1884, concessit Indulgentiam unius anni pro recitatione, præter illam Cantici *Benedicite* et Psalmi *Laudate*, cum Versiculis et tribus Orationibus adnexis, duarum sequentium Orationum, quarum altera S. Thomæ, altera vero S. Bonaventuræ. Insuper aliis Orationibus Indulgentias concessit, quæ cum indicatione Indulgentiarum reperiuntur in recentioribus libris precum ad Sacerdotum utilitatem editis.

ARTICULUS II

De variis quæ occurrunt quandoque post Missam facienda

Q. 322. *Quomodo intelligenda est Rubrica quæ præscribit discessum ab Altari, et Gratiarum actionem, immediate post ultimum Evangelium ?*

R. Ordo Missæ dicit : « Finito Evangelio S. Joannis, discedens ab Altari, pro Gratiarum actione dicit Antiphonam *Trium puerorum* cum reliquis, ut habetur in principio Missalis. » – Similiter Ritus celebrandi Missam (Tit. XII, n. 6) præscribit, immediate post ultimum Evangelium, discessum ab Altari, reditum ad Sacristiam, et interim recitationem Antiphonæ *Trium puerorum*, et Cantici *Benedicite*.

Ex Rubricis igitur, si stricte intelliguntur, concludendum est quod non liceat alias actiones aut preces interponere, ultimum Evangelium inter et discessum ab Altari ac Gratiarum actionem.

Attamen non ita stricte interpretanda est Rubrica supradicta : adeo quidem ut ex aliis Rubricis, ex Decretis S. Rituum Congregationis, et ex particularibus præscriptionibus concludere liceat quod, si quædam interponere, seu statim post ultimum Evangelium exsequi prohibitum sit, alia tamen facere aut dicere permissum, imo præscriptum habeatur.

Q. 323. *Indica quædam prohibita, alia permissa, alia præscripta immediate post ultimum Evangelium.*

R. I. Prohibita : — 1. S. Rituum Congregatio, rogata pro declaratione : an Passio secundum Joannem, recitanda ex obligatione testamenti, terminata Missa, post Evangelium *In principio*, recitanda sit post dictum Evangelium alibi per Celebrantem ; censuit : « Recitandam esse post finem Missæ, exutis vestibus sacerdotalibus, et cum sola cotta, in Altari vel in Sacristia. » (Decret. 31 Augusti 1669, n. 1393, antiq. 2490.) Item censuit per aliud Decretum 11 Julii 1820 (n. 2603, antiq. 4567).

2. Ad dubium : « In Pacensi Ecclesia Cathedrali exstat consuetudo canendi Responsorium pro duobus defunctis, die Sabbato, expleta Missa votiva B. M. V., quæ celebratur post Primam, depositis a Celebrante et Ministris paramentis albis sumptisque aliis nigri colcris ; licet ea die occurrat Officium ritus duplicis. Potestne tolerari hæc consuetudo ? » S. Rituum Congregatio censuit rescribendum : « Negative. » (Decret. 24 Januarii-21 Februarii 1890, n. 3722, ad 1.)

3. Ad dubium : « An juxta mentem Decreti Sacræ Rituum Congregationis in Pacen., die 24 Januarii 1890, prohibeatur etiam, expleta Missa privata, deponere in ipso Altari paramenta diei, sumere stolam nigri coloris, et recitare Responsorium pro defunctis ? » S. Rituum Congregatio rescripsit : « Affirmative. » (Decret. 18 Decembris 1896, n. 3942.)

II. Permissa : — 1. Missale et Rituale permittunt, imo præscribunt, ita ut forsan potius inter præscripta quam inter permissa sit recensendum, quod Absolutio Defunctorum fiat, statim ultimo dicto Evangelio, post quasdam Missas de *Requiem*, ex gr., in Depositione defuncti. (Ritus celebrandi Missam, Tit. XIII, n 4 ; Rituale Romanum, Tit VI, Cap. 3, n. 7, et Cap. 5, n. 1.)

2. Rituale Romanum permittit, si contingat absoluta Missa statim aliquos interdum communicare, ut Sacerdos Planeta adhuc indutus, antequam ab Altari discedat, sacram Communionem ministret. (Tit. IV, Cap. 2, n. 11.)

3. Ad dubium : « Num Sacerdos in Missa privata, sacris indutus paramentis, possit cineres distribuere, et Sanctorum Reliquias deosculandas præbere, uti mos est in Veronensi Diœcesi, expleta Missa ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 16 Martii 1833, n. 2704, antiq. 4707, ad 5.)

4. Ad dubium : « An possint præcipi, aut saltem permitti aliquæ preces recitandæ ad Altare post Missam, non depositis sacris vestibus ? » S. Rituum Congregatio rescripsit : « Affirmative, dummodo preces dicantur assentiente Ordinario. » (Decret. 31 Augusti-5 Septembris 1867, n. 3157, ad 7, antiq. 5381, ad 8.)

5. Similiter declaravit S. Rituum Congregatio, licere Sacerdoti, post expletum Missæ Sacrificium, publice, occasione Novendialis, vel in honorem SS. Cordis recitare preces, etiam in lingua vernacula, ad auditum populi fidelis adstantis, ita ut populus respondere valeat. (Decret. 27 Februarii 1882, n. 3537, antiq. 5832, ad 1 et 2.)

6. Nonnumquam Ordinarii locorum in variis necessitatibus indicant preces quasdam, statim finita Missa dicendas. Hujusmodi preces Ordinarios posse præscribere, ex supradictis satis patet ; unde quando præscribuntur, potius inter præscriptas quam inter permissas sunt æstimandæ, et nulli Sacerdoti licet eas omittere.

Quod si in aliqua necessitate, ex. gr., pro pluvia, pro serenitate, etc., præscribuntur, eas dicere oportet quamdiu præscribuntur, aut quamdiu, prudenti et æquo judicio, in loco necessitas existere æstimatur.

Nota. Ex dictis pro praxi colliges : 1° Nulla difficultas datur pro eis quæ supra, vel ex Rubricis vel ex Decretis permissa aut præscripta notantur.

2° Non raro dicuntur preces quædam, vel mense Majo in honorem B. Mariæ Virginis, vel mense Junio in honorem SS. Cordis Jesu, vel mense Martio in honorem S. Joseph, vel occasione Novendialium, vel in Feriis sextis, vel Sabbatis, pro devotione populi excitanda.

Preces istæ debent esse ex approbatis, ita ut non liceat, ex. gr., alias Litanias recitare quam approbatas, quales sunt Litaniæ B. Mariæ Virginis, Litaniæ SS. Nominis Jesu, Litaniæ specialiter approbatæ SS. Cordis Jesu ; non vero Litanias S. Joseph, Litanias Sacræ Familiæ, etc., quæ per plura Decreta omnino prohibentur.

3° Sæpe offerunt fideles stipendia Missarum pro Defunctis, cum Psalmis : generatim Psalmi rogati recitari debent depositis sacris vestibus, et dicto Cantico cum suis Orationibus.

III. Præscripta : — 1. Per Decretum Urbis et Orbis, 6 Januarii 1884 (cfr. Acta Sanctæ Sedis, XVI, 1884, pag. 239), opportunum judicavit Summus Pontifex Leo XIII, et mandavit, ut in posterum in omnibus

Ecclesiis, in fine cujusque Missæ sine cantu celebratæ, flexis genibus Sacerdos cum populo recitet quasdam preces, tercentum dierum Indulgentia locupletatas ; nempe ter *Ave Maria*, semel *Salve Regina*, cum ℣. et Oratione (quæ anno 1886 paulum immutata fuit) ; ut quod Christianæ reipublicæ in commune expedit, gravibus hodiedum insidentibus malis, nec satis remota suspicione graviorum, id communi prece populus Christianus a Deo contendat, auctoque supplicantium numero, divinæ beneficia misericordiæ facilius assequatur.

Obligatio recitandi has preces non fuit precaria, neque cessavit morte Pontificis ; sed istæ preces dicendæ remanent usque ad positivam revocationem, tamquam Missæ privatæ appendices ; etenim ad dubium : « An preces post Missam a Summo Pontifice Leone XIII præscriptæ, adhuc, ipso defuncto, dicendæ sunt ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 11 Septembris 1903, *Catalaunen.* ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVII, 1903, pag. 586.)

Quænam observanda sint pro recitatione harum precum exponuntur in Quæstione sequenti.

Nota. Inde ab anno 1900 impressæ fuerunt novæ tabellæ harum precum, cum aliqua emendatione. — Cum enim in corpore Orationis nominetur « Dei » Genitrix, juxta Rubricas conclusio Orationis debet esse *Per eumdem Christum,* et non *Per Christum,* sicut ab anno 1884 usque tunc semper impressum fuit et dictum. — Insuper in iisdem novis tabellis non amplius legitur *beato Josepho,* sed *beato Joseph* ; etenim in Orationibus liturgicis nomen S. Joseph, Sponsi B. Mariæ Virginis, semper reperitur indeclinabile, sicque distinguitur ab aliis Sanctis homonymis, pro quibus nomen est declinabile.

2. Per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum, Summus Pontifex Pius X, ut gentium religio magis magisque in dies augeatur erga sanctissimum Cor Jesu, in quo omnium gratiarum thesauri sunt absconditi, permisit, ut precibus, quæ jussu Leonis XIII post privatam Missæ celebrationem persolvi solent, ter addi possit sequens invocatio : *Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis* ; et insuper fidelibus, qui una cum ipso Sacerdote precibus jam indictis præfatam invocationem addiderint, Indulgentiam septem annorum totidemque

quadragenarum, defunctis quoque applicabilem, benigne elargiri dignatus est. (Decret. 17 Junii 1904, *Urbis et Orbis* ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 458.)

Ad dubia : « 1. An ad lucrandas Indulgentias sufficiat, ut Sacerdos dicat tantum : *Cor Jesu sacratissimum*, et populus respondeat : *Miserere nobis* ? — 2. An ejusdem invocationis recitatio, addenda precibus jam indictis post Missæ celebrationem, sit obligatoria ? » S. Congregatio Indulgentiarum respondendum censuit : « Ad 1. Affirmative. — Ad 2. Quamvis obligatio proprii nominis a Summo Pontifice imposita non sit, vult tamen Beatissimus Pater, ut conformitati consulatur, ac proinde singuli Sacerdotes ad eam invocationem recitandam adhortentur. » (Decret. 19 Augusti 1904, *Romana* ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 595.)

Per Litteras 18 Decembris 1904, statutum fuit pro Diœcesi Mechliniensi, ut, incipiendo a 1 Januarii 1905, precibus a Leone XIII præscriptis Sacerdos ter adjiciat invocationem, eadem lingua qua recitavit preces. (Cfr. Litteræ Pastorales Diœcesis Mechliniensis, Tom. XIV, n. 264, pag. 344.)

Q. 324. *Quænam observanda sunt pro recitatione precum a Summo Pontifice Leone XIII præscriptarum ?*

R. Præter illa quæ ad præcedentem Quæstionem (ad III) jam notata habentur, observanda sunt præcipue sequentia :

1° Preces istæ debent dici post quamcumque Missam privatam, seu sine cantu celebratam ; etiamsi dicatur de *Requiem* ; aut si sit Missa parochialis ; aut si celebretur sub cantu (cfr. Q. 279).

Nota. In Festo Nativitatis Domini, Sacerdos qui tres Missas consecutive celebrat, sine interruptione, post tertiam Missam tantum preces recitabit ; si duas tantum consecutive, post secundam ex istis recitabit preces, easque insuper dicet post Missam lectam quam postea separatim celebrat ; si diverso tempore, cum interruptione, tres Missas celebrat, post singulam Missam preces recitabit. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, III, 1889, pag. 156.) Si autem post Missam lectam imme-

diate celebrat Missam solemnem aut cantatam, preces post Missam lectam in tali casu omittet. (Cfr. infra Decreta descripta sub nn. 4, 5 et 6.)

2° Preces istæ dici debent immediate post ultimum Evangelium, et numquam licet aliam functionem quamcumque, ex. gr., distributionem S. Communionis, Benedictionem SS. Sacramenti, etc., aut alias preces quascumque interponere ultimum Evangelium inter et preces prædictas. (Cfr. infra Decretum descriptum sub n. 2.)

3° Preces istæ dicuntur totæ usque ad finem flexis genibus ; non oportet, quando recitatur Oratio, ut Sacerdos pro ipsa dicenda assurgat. (Cfr. Nouvelle Revue Théologique, XVI, 1884, pag. 470.)

4° Sacerdos cum populo recitare debet has preces : Romæ Salutatio angelica alternatim dicitur, Sacerdos incipit : *Ave Maria, etc.*, populus recitat partem inde a verbis : *Sancta Maria* ; Antiphona *Salve Regina* vero recitatur tota a populo simul cum Sacerdote, non alternatim, et quidem latine, cum ibi populus in latinis quibusdam precibus apprime sit instructus.

In nostris regionibus, hæc latine a populo dici, norunt omnes esse impossibile. Sed posse in his precibus adhiberi idioma vernaculum, dummodo versio fit fidelis et ab Ordinario approbata, rescripsit S. Rituum Congregatio. (Cfr. infra Decretum descriptum sub n. 8.)

Per Litteras ad Clerum Diœcesis, de die 21 Novembris 1892, Archiepiscopus noster rogavit, ut deinceps istæ preces dicantur in lingua vernacula, juxta textus (flandricum et gallicum) Litteris adjunctos ; non tamen in Seminariis et Collegiis, nec in illis Monialium Monasteriis in quibus Officium Divinum latine legitur. (Cfr. Litteræ Pastorales Diœcesis Mechliniensis, Tom. XI, n. 97, pag. 601.)

5° Plerique Sacerdotes recitant preces, dum manibus Calicem sustinent ; animadvertunt nonnulli auctores, Rubricarum regulas nusquam talem orationis modum permittere, et preces esse dicendas junctis manibus, vel sustinendo, si necesse fuerit, librum aut tabellam ; magis adhuc alienum a regulis est, minusque decet, una manu tenere Calicem, et altera tabellam, aut hanc

super bursam manu tenere. Unde colligitur, recte et decenter agere eos, qui, seposita discessus properantia, Calicem super Altare relinquunt usque dum preces recitaverint, et deinde ascendunt ad Altare, ut Calicem discessuri assumant.

6° Ad dicendum preces, Sacerdos descendit de Altari, et genua flectit in infimo Altaris gradu ; sed si Altare haberet plures gradus, ex. gr., novem vel septem, potest etiam genua flectere et preces dicere in suppedaneo, descendendo tantum ad primum a predella gradum. — An, lecto ultimo Evangelio, convenit ut Sacerdos accedat ad medium, priusquam descendat ad dicendas preces ? Quidam a cornu Evangelii directe descendunt, tramite transverso, quin prius ad medium accedant : hoc minus decens a nonnullis auctoribus censetur, quibus magis placet quod Sacerdos prius ad medium accedat, deinde descendat ; quemadmodum facit, antequam Missam incipit, accedendo nimirum de cornu Epistolæ ad medium priusquam descendat. Quoad inclinationem in casu, potest eam facere, vel omittere : melius videtur caput inclinare. (Cfr. infra Decretum descriptum sub n. 1.)

De his precibus, earumque recitatione, sequentia describere juvat S. Rituum Congregationis Decreta :

1. Ad dubium : « Sacerdos, expleta Missa, debetne se inclinare Cruci Altaris, antequam descendat ad præscriptas preces recitandas ? hasque recitans debetne genuflectere in suppedaneo, vel infimo Altaris gradu ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Inclinationem de qua in casu, non præscribi neque prohiberi ; et in recitatione precum genuflectendum pro libitu sive in suppedaneo, sive in infimo gradu Altaris. » (Decret. 18 Junii 1885, n. 3637, ad 8, antiq. 5942, ad 12.)

2. Ad dubium : « Utrum preces præscriptas in quibusdam casibus, nempe vel alicujus parvæ functionis, vel Communionis distribuendæ, peracta demum ista adnexa Missæ cæremonia, recitare liceat : an subsequi Missam ipsæ semper immediate debeant ? » S. Congregatio rescripsit : « Preces a SSmo D. N. Leone Papa XIII præscriptæ, recitandæ sunt immediate expleto ultimo Evangelio. » (Decret. 23 Novembris 1887, n. 3682, antiq. 5993.)

3. Ad dubium : « Quum in quibusdam Ecclesiis usus invaluerit recitandi, post Missas privatas quæ, pro animabus in Purgatorio detentis, in Altari privilegiato celebrantur, plures preces Indulgentiis ditatas ;.... quæritur : Num preces a SSmo Dno nostro Leone XIII post Missam privatam recitari præscri-

ptæ, in casu prædicto omitti possint ? Et quatenus Negative : Num istis memoratæ preces pro defunctis adjici valeant ? » S. Congregatio rescripsit : « Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam. » (Decret. 23 Junii 1893, n. 3805.)

4. Ad dubium : « Utrum Sacerdos qui Festo Nativitatis Domini.... tres Missas consecutive legit, quin ab Altari recedat, teneatur post unamquamque Missam recitare... Orationes... recitandas post Missam privatam ; an potius semel tantum post tertiam Missam ? » S. Congregatio respondere censuit : « Negative, ad primam partem ; Affirmative, ad secundam ; scilicet : preces præscriptæ recitentur tantum in fine ultimæ Missæ. » (Decret. 10 Maji 1895, n. 3855, ad 7.)

5. Ad dubium : « An sufficiat si dumtaxat peragantur quoties ab Altari disceditur sive discessio post primam Missam, aut post secundam aut demum post tertiam fiat ? » S. Congregatio respondit : « Affirmative. » (Decret. 30 Aprilis 1889, n. 3705, ad 2.)

6. Ad dubium : « An preces præscriptæ post Missam lectam recitandæ sint post secundam ex Missis Nativitatis Domini, quando eam immediate sequitur tertia Missa solemnis ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Negative. » (Decret. 11 Decembris 1896, n. 3936, ad 1.)

7. Ad dubium : « Quandonam dicendæ sunt cum populo preces post quamvis Missam sine cantu præscriptæ, si S. Rosarium, Litaniæ, et Oratio ad S. Joseph non eodem cum Missa momento finiunt ? » (Agitur in hoc dubio de exercitiis piis per mensem Octobris mane infra sacrum peractis.) S. Congregatio respondendum censuit : « Preces a SSmo D. N. Leone XIII in fine Missæ præscriptæ, recitandæ sunt immediate, expleto ultimo Evangelio, ita ut aliæ preces interponi nequeant, juxta decisionem S. R. C. in una Basileen. N. 3682, diei 23 Novembris 1887 ; et si, Missa absoluta, Rosarium a populo recitandum non sit finitum, Celebrans dictas preces recitet cum Ministro solo. » (Decret. 7 Novembris 1900, *Brunen.*, ad 3 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XV, 1901, pag. 265.)

8. Ad dubium : « An adhiberi potest idioma vernaculum..... in precibus a Summis Pontificibus Missa finita præscriptis ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative, dummodo versio sit fidelis et ab Ordinario approbata. » (Decret. 5 Martii 1904, *Utinen.*, ad 5 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 164.)

APPENDICES

I. De Hostiarum Consecratione

325. Si consecrandæ sunt Hostiæ præter Hostiam Sacrificii, quatuor sunt Missæ partes, in quibus Sacerdos debet quædam ad hoc observare, scilicet : 1° ante

initium Missæ, circa dispositionem earum super Altare ; — 2° ad Offertorium, circa earum oblationem et dispositionem ; — 3° ad Consecrationem, circa earum Consecrationem ; — 4° versus finem Missæ, circa earum distributionem, aut repositionem in Tabernaculo.

§ 1. Dispositio Hostiarum in Altari ante Missam

Textus. (Tit. II, n. 3.) — Si est consecraturus plures Hostias pro Communione facienda, quæ ob quantitatem super Patenam manere non possint, locat eas super Corporale ante Calicem, aut in aliquo Calice consecrato vel vase mundo benedicto ; ponit eas retro post Calicem, et alia Patena seu palla cooperit.

326. Prænotandum 1° : Conformiter Rubricæ (Ritus, II, 3) convenit, ut Hostiæ consecrandæ ab initio Missæ reponantur in Altare ; — saltem oportet ut pro Offertorio in Altari in promptu sint ; — grave motivum requiritur, ut possint admitti post Offertorium ante Canonem ; — gravissimum, ut incepto Canone possint admitti.

Prænotandum 2° : Si Hostiæ consecrandæ non sunt depositæ in Patena Calicis simul cum Hostia Sacrificii, sed in Pyxide, aut in lunula sunt præparatæ, Sacerdos non potest vasa ista in quibus sunt præparatæ, simul cum Calice deferre ad Altare ; sed antea, vel ipse, vel minister aut sacrista ea ad Altare deferat : quod ut isti decenter et reverenter faciant, Sacerdos attendat.

Nota. Si Consecratio Hostiarum est facienda in Missa solemni, tunc Hostiæ consecrandæ, sicut et Calix Sacrificii, præparantur non super Altare, sed super credentiam. In tali casu Subdiaconi, et non alterius, munus est Hostias consecrandas ad Altare deferre ; et ideo, deposito ad Offertorium consueto modo Calice super Altaris mensam, Subdiaconus statim revertitur ad credentiam, ubi assumit Pyxidem cum Hostiis, supposito quod in vase sint præparatæ, illamque velo humerali coopertam mox defert ad Altare.

Dispositio. — Consecrandæ supponuntur, vel *a*) Hostia major pro expositione SS. Sacramenti in Ostensorio, vel *b*) Hostiæ minores pro distribuenda populo sacra Communione.

A) Hostia major pro expositione SS. Sacramenti.

1. Convenientius aptatur in lunula ante Missam, quia habilitas ad hoc diligenter et rite faciendum requiritur, et in pluribus lunulis non expedite fieri potest si plures manuum digiti impediti sunt ; Hostia consecrata vero ad hoc difficilius manibus tractatur. — In Tractatu de administratione Sacramentorum exponitur quænam sint conditiones requisitæ pro lunula, et quinam defectus in ea conficienda debeant vitari. (Cfr. ibi Q. 159, 2°, b.) — Non probanda est præparatio in ipso Ostensorio jam ab initio Missæ facta ; ob difficultatem deponendi Ostensorium simul cum Calice super lapidem consecratum, et ob admirationem fidelium.

2. **Si Hostia non præparatur in lunula**, deponitur super Patenam Calicis simul cum Hostia Sacrificii. Si in lunula quidem est præparata, et confectio lunulæ id sinit, item deponitur super Patenam.

3. **Si Hostia in lunula est præparata**, et confectio seu forma lunulæ non sinit ut super Patenam simul cum Hostia Sacrificii deponatur, tunc aut deponitur aut non deponitur in Pyxidem.

a) *Si in Pyxidem deponitur*, hanc ponit Sacerdos retro post Calicem, vel si angustia mensæ seu lapidis sacri hoc non permittit, juxta Calicem super Corporale a parte Evangelii.

b) *Si non in Pyxidem deponitur*, lunulam ponit super Corporale ante Calicem, vel juxta Calicem a parte Evangelii.

B) Hostiæ minores pro Communione populi : — Vel paucæ sunt (quod intellige decem ad summum numero), vel plures sunt.

a) *Si paucæ sunt*, ponuntur in Patenam subtus Hostiam Sacrificii.

b) *Si decem plures sunt*, ponuntur vel 1° super Corporale, ante Calicem, aut juxta Calicem a latere Evangelii ; — vel 2° in aliquem Calicem consecratum, aut in Pyxidem benedictam ; Calix cooperitur alia Patena aut palla, Pyxis vero suo operculo, non autem velo ; et reponitur retro post Calicem Sacrificii, aut, præ angustia lapidis Altaris, juxta Calicem super Corporale, a parte Evangelii.

§ 2. Oblatio Hostiarum ad Offertorium, earumque repositio super Altare

Textus. (Tit. VII, n. 3.) — Si fuerint aliæ Hostiæ non super Patenam, sed super Corporale, vel in alio Calice, seu vase pro Communione populi consecrandæ, Calicem illum, seu vas dextera discooperit, et intentionem suam etiam ad illas offerendas, et consecrandas dirigens, dicit ut supra : *Suscipe etc.*, ut in Ordine Missæ. Quo dicto, Patenam utraque manu tenens, cum ea facit signum Crucis super Corporale, et deponit Hostiam circa medium anterioris partis Corporalis ante se, et Patenam ad manum dexteram aliquantulum subtus Corporale ; quam, exterso Calice, ut dicetur, cooperit purificatorio. Si autem adsit vas seu Calix cum aliis Hostiis, ipsum cooperit alia Patena, vel Palla.

327. — A) Oblatio. — Hostiæ sunt ab initio Missæ depositæ vel *a*) super Corporale ; vel *b*) super Patenam simul cum Hostia Sacrificii ; vel *c*) in Calice aut in Pyxide.

a) Si super Corporale sunt depositæ : non sunt elevandæ in oblatione, sicut Hostia Sacrificii, sed Sacerdos suam intentionem ad illas offerendas et consecrandas dirigere debet.

b) Si super Patenam sunt depositæ, eas Sacerdos super Patenam simul cum Hostia Sacrificii elevat et offert.

c) Si in Calice aut in Pyxide sunt depositæ : 1° Sacerdos deponit Calicem Missæ ad latus Epistolæ ; — 2° dextera discooperit Calicem aut Pyxidem consecrandas Hostias continentem, sinistra interea vel Altari imposita, vel, si opus est, Pyxidis nodum tenente ; — 3° pallam a Calice Missæ amovet, Patenam cum Hostia Sacrificii accipit, et Hostiam offert, dirigens intentionem suam etiam ad alias offerendas et consecrandas.

Nota. I. Nihil mutatur in Oratione *Suscipe etc.*

Nota. II. Si Hostia major pro Expositione esset præparata in sua lunula, et si lunula esset munita duobus crystallis inter quæ Hostia reponeretur, rescripsit S. Rituum Congregatio quod ante Oblationem aperienda est lunula hujusmodi.

Ad dubium : « An ante Oblationem et præsertim ante Consecrationem, aperienda sit dicta lunula seu capsula, quamvis Hostia per vitrum seu crystallum plane appareat Sacerdoti, sicut discooperiendum est juxta Rubricam Missalis vas Hostiarum

consecrandarum ; adeo ut non sit licitum consecrare Hostiam crystallo seu vitro coopertam seu remanentem inclusam inter duo crystalla lunulæ ? » S. Rituum Congregatio rescribere rata est : « Affirmative. » (Decret. 4 Septembris 1880, n. 3524, antiq. 5818, dub. VI.)

B) Repositio super Altare. — *a*) Si super Corporale sunt oblatæ, Sacerdos relinquit eas, vel ante Calicem, ita ut sint inter Calicem et Hostiam Sacrificii ; vel, si angustia lapidis sacri hoc non permittit, juxta Hostiam Sacrificii a parte Evangelii.

b) Si super Patenam sunt oblatæ, Sacerdos, facto signo Crucis cum Patena post oblationem : 1° dextera accipit Hostiam Sacrificii, eamque deponit circa medium anterioris partis Corporalis ; — 2° Hostiam majorem pro Ostensorio accipit itidem dextera manu, eamque locat inter Calicem et Hostiam Sacrificii, aut juxta hanc a parte Evangelii ; — 3° Hostias minores si obtulit, Patenæ partem posteriorem parum flectit versus Corporale, ita ut Hostiæ effluant de Patena super Corporale inter Hostiam Sacrificii et Calicem, aut juxta hanc a parte Evangelii.

c) Si in Calice aut in Pyxide sunt oblatæ, Calicem aut Pyxidem relinquit in suo loco, ita ut sit retro post Calicem, aut præ angustia lapidis juxta Calicem a parte Evangelii. Postquam deposuit Hostiam Sacrificii super Corporale, et Patenam ad manum dexteram, Calicem Patena vel palla, Pyxidem vero suo operculo, non autem velo cooperit, antequam e medio Altaris discedat. — Si autem Hostia major præparata fuit in lunula crystallis munita, Sacerdos lunulam claudit.

Nota. Si aliquando Hostiæ consecrandæ pro Communione populi non in promptu fuissent in Altari ad oblationem Hostiæ Sacrificii, et afferrentur hac oblatione jam facta, sive ante Canonem, sive incepto jam Canone (cfr. Q. 326, Prænotandum 1°), Sacerdos, ubi eas admittit, debet facere earum oblationem, saltem mente conceptam, et tunc prosequi ab eo loco ubi desivit. (Cfr. De defectibus, Tit. III, n. 4 ; infra Q. 347, A.)

§ 3. Consecratio Hostiarum

Textus. (Tit. VIII, nn. 5 et 6.) — Si adsit vas cum aliis Hostiis consecrandis, antequam accipiat Hostiam, discooperit manu dextera Calicem, seu vas aliarum Hostiarum..... Profert verba consecrationis super Hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandæ.... Quibus prolatis, Celebrans tenens Hostiam..... (et Hostiis, si plures sint consecratæ, in loco, in quo a principio Missæ positæ sunt super Corporale, vel in alio vase, aut Calice demissis) genuflexus eam adorat. Tunc..... populo reverenter ostendit adorandam..... Reposita Hostia consecrata super Corporale, genuflexus ipsam veneratur ; si adsit vas aliarum Hostiarum, Patena vel Palla cooperit, ut supra.

328. Hostiæ consecrandæ fuerunt ad Offertorium depositæ vel *a*) *super Corporale*, vel *b*) *in Calice aut Pyxide*.

a) Si sunt depositæ super Corporale, Sacerdos relinquit eas in loco suo, sive in medio, sive a parte Evangelii, et Hostiam Sacrificii tenet infra Consecrationem, ita ut aliæ consecrandæ sint retro post manus, vel juxta sinistram.

b) Si sunt depositæ in Calice aut in Pyxide : 1° Finita Oratione *Quam oblationem*, antequam incipit : *Qui pridie*, Sacerdos primum dextera amovet aliquantulum Calicem Sacrificii e medio versus partem Epistolæ, intra limites Corporalis ; quæ Calicis amotio, etiamsi alias regulariter non necessaria (cfr. Q. 234, Nota I), in præsenti casu saltem opportuna et congrua æstimari potest ; quo facto, dextera admovet aliquantulum Calicem Hostias consecrandas continentem, aut Pyxidem versus medium Corporalis, ita ut certo super lapidem sacrum ponatur ; et sinistra ad nodum Pyxidis posita, manu dextera aufert cooperculum, quod ponit ad suam dexteram ; deinde procedit ad consuetum ritum Consecrationis, ut alias. — 2° Postquam repositam Hostiam Sacrificii super Corporale genuflexus veneratus est, et non prius, Calicem aut Pyxidem cooperit Patena aut palla, vel cooperculo, et in suum locum reponit.

Nota. I. Sacerdos dirigere debet suam intentionem ad omnes Hostias consecrandas, et verba Consecrationis proferre, absque ullo capitis motu, super omnes Hostias consecrandas.

II. Ad verbum *benedixit*, Crux efformatur, non super

omnes Hostias consecrandas, sed tantum super Hostiam Sacrificii.

III. Si forte eveniat quod Sacerdos verba Consecrationis proferat, Pyxide super Corporale suo loco quidem posita sed ex distractione non aperta, et ad Consecrationem non animadvertat ad inclusas particulas, valida absque dubio erit Consecratio particularum, cum prius jam intentionem habuerit consecrandi omne quod consecrandum in Altari appositum reperitur. (Cfr. Benedictus XIV, *De Sacrosancto Sacrificio Missæ*. Lib. III, Cap. XVIII, n. 2.)

IV. Si Hostia major pro Expositione præparata fuit in lunula crystallis munita, Sacerdos ante ritum Consecrationis omnino debet aperire hanc lunulam (cfr. Q. 327, A, Nota II) ; et facta genuflexione post elevationem S. Hostiæ Sacrificii, eamdem lunulam claudit.

§ 4. Hostiarum depositio in Tabernaculum, vel distributio

Textus. (Tit. X, nn. 4 ad 7.) — Discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si qua sint in eo, Patenam quoque diligenter cum pollice et indice dexteræ manus super Calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

Si vero adsint Hostiæ consecratæ super Corporale positæ pro alio tempore conservandæ, facta prius genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, et diligenter advertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super Corporale ; quod si fuerit, accurate reponit in Calicem. Post extersionem Patenæ, junctis pollicibus et indicibus, Calicem dextera manu infra nodum cuppæ accipit, sinistra Patenam, dicens : *Calicem salutaris etc.*

Si qui sunt communicandi in Missa, Sacerdos post sumptionem Sanguinis antequam se purificet, facta genuflexione ponat particulas consecratas in pyxide, vel, si pauci sint communicandi, super Patenam, nisi a principio positæ fuerint in pyxide, seu alio Calice. Interim minister..... facit Confessionem.... Tum Sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis vertens se ad populum in cornu Evangelii dicit : *Misereatur etc.*..... Omnibus communicatis revertitur ad Altare, nihil dicens : et non dat eis benedictionem, quia illam daturus est in fine Missæ. Si particulæ positæ erant super Corporale, extergit illud cum Patena, et si qua in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde dicit secreto : *Quod ore sumpsimus etc....*

Si in Altari remaneant particulæ in Calice, seu in alio vase

usque ad finem Missæ, serventur ea quæ in Feria V Cœnæ Domini præscribuntur circa finem Missæ.

I. HOSTIA MAJOR PRO EXPOSITIONE

329. *a*) Si in lunula nondum est aptata, et *b*) Si in lunula jam fuit ab initio præparata :

1. Peracta post sumptionem S. Hostiæ a Sacerdote meditatione, affert minister Ostensorium ad Altare, illudque deponit super mensam juxta Corporale ; mox etiam affert velum Ostensorii, illudque ibidem deponit.

2. Si S. Hostia in lunulam poni debet, Sacerdos hanc aperit, et post genuflexionem factam, dexteræ, aut utriusque, si necesse est, manus pollice ac indice S. Hostiam in lunulam aptat, et in Ostensorium ponit.

3. Si S. Hostia jam in lunula est præparata, Sacerdos genuflectit, eamque deponit in Ostensorium. — Ostensorium velo cooperit, et in Tabernaculum reponit, et facta iterum genuflexione, claudit Tabernaculum.

4. Quo facto, Celebrans discooperit Calicem, genuflectit, et consueto modo incipit collectionem fragmentorum.

c) Si in Pyxide fuit deposita ab initio : Peracta meditatione ut supra, Sacerdos Pyxidem velo cooperit, Tabernaculum aperit, et genuflectit si in eo continetur SS. Sacramentum, Pyxidem deponit in Tabernaculum, genuflectit iterum, et claudit Tabernaculum.

Nota. I. Supposito quod in Ostensorio adhuc reposita habeatur Hostia mox consummanda, et quod altera Hostia in Missa consecrata debeat statim in Ostensorium deponi, sequentia observantur :

1. Ante sumptionem Sanguinis, Sacerdos non colligit fragmenta in Corporali, sed tantum extergit Patenam super Calicem. Sumpto S. Sanguine, et Calice super Corporale a parte Evangelii deposito et palla cooperto, Sacerdos aperit Tabernaculum, genuflectit, extrahit Ostensorium, et S. Hostiam e lunula aufert.

2. Mox S. Hostiam supra Patenam in duas æquales partes dividit, quas inter pollicem et indicem dexteræ accipit unam super alteram positas, et sinistra Patenam supponens, reverenter S. Hostiam sumit, nihil dicens.

3. Sumpta S. Hostia, inspicit lunulam, eamque supra Patenam, si opus est, extergit a fragmentis.

4. Genuflectit, et pollice ac indice dexteræ, aut utriusque, si est necesse, manus S. Hostiam noviter consecratam accipit, in lunulam aptat, et in Ostensorium deponit. — Ostensorium velo cooperit, in Tabernaculum reponit, genuflectit, et Tabernaculum claudit.

5. Colligit tunc fragmenta in Patena et in Corporali.

Nota. II. Peccaret graviter Sacerdos, qui Hostiam majorem consecratam pro Sacrificio reponeret in Tabernaculum, et ejus loco sumeret Hostiam quæ in Tabernaculo antea continebatur ; ipse enim de suo Sacrificio participare debet.

Itidem notetur quod Hostia et Particulæ quæ existunt in Tabernaculo consumi debent post sumptionem Sanguinis, ante purificationem.

II. HOSTIÆ MINORES

A) NON IMMEDIATE DISTRIBUENDÆ SED PRO ALIO TEMPORE CONSERVANDÆ

330. — *a*) Si super Corporale sunt depositæ : 1. Peracta post sumptionem S. Hostiæ a Sacerdote meditatione, affert minister Pyxidem ad Altare, eamque deponit juxta Corporale ; ibidem etiam deponit Pyxidis velum.

2. Sacerdos acceptam Pyxidem ponit super Corporale eamque aperit ; deinde genuflectit, et sinistra tenens Pyxidem ad nodum, pollice ac indice dexteræ ponit consecratas Hostias in Pyxidem.

3. Pyxidem claudit, velo cooperit, et in Tabernaculum deponit ; genuflectit et Tabernaculum claudit.

4. Quo facto, Celebrans discooperit Calicem, genuflectit, et colligit particulas.

b) Si in Pyxide sunt depositæ : 1. Peracta meditatione ut supra, Celebrans Pyxidem velo suo cooperit ; Tabernaculum aperit, et genuflectit, si in eo est aliud vas continens SS. Sacramentum.

2. Pyxidem in Tabernaculum deponit, genuflectit, Tabernaculum claudit.

3. Dein Celebrans discooperit Calicem, genuflectit, et facit collectionem fragmentorum.

B) DISTRIBUENDÆ INFRA MISSAM

331. — *a*) Si super Corporale sunt depositæ et distribuuntur super Patenam (quod fieri potest, si paucæ, puta decem, tantum numero sunt) :

1. Ante sumptionem S. Sanguinis, Sacerdos non colligit fragmenta super Corporale, sed tantum extergit Patenam super Calicem. Sumpto S. Sanguine, Sacerdos deponit Calicem et Patenam super Corporale a parte Evangelii, et Calicem palla cooperit. Dein genuflectit, et sinistra tenens Patenam inter indicem et medium, dexteræ pollice ac indice SS. Hostias super Patenam deponit.

2. Sacris particulis super Patenam depositis, Patenam reponit super Corporale, non in medio, sed juxta aut retro post locum Corporalis in quo depositæ fuerunt SS. Hostiæ.

3. Dicto a ministro *Confiteor*, Celebrans genuflectit, et omnia peragit quæ in Rituali Romano præscribuntur pro distributione S. Communionis. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, QQ. 197, 198, 200 ad II, 201.)

4. Reversus ad Altare post distributionem, si remanet una aut altera S. Hostia, quæ non est pro alio tempore conservanda, Sacerdos illam reverenter sumit nihil dicens ; dein Patenam et Corporale extergit, fragmenta, si fuerint, in Calicem deponit, et accipit vinum pro purificatione.

b) Si super Corporale sunt depositæ et distribuuntur in Pyxide : 1. Ante sumptionem S. Sanguinis, Celebrans non colligit fragmenta in Corporali, sed tantum extergit Patenam super Calicem. Sumpto S. Sanguine, accipit Pyxidem a ministro ad Altare delatam.

2. Pyxidem deponit super Corporale, juxta vel retro post locum in quo SS. Hostiæ super Corporale sunt depositæ, eamque aperit ; genuflectit, et sinistra tenens Pyxidem ad nodum, pollice ac indice dexteræ deponit SS. Hostias in Pyxidem.

3. Dicto a ministro *Confiteor*, Celebrans genuflectit, et omnia peragit quæ in Rituali Romano præscribuntur pro distributione S. Communionis.

4. Reversus ad Altare post distributionem, Celebrans Pyxidem reponit juxta vel retro post locum Corporalis ubi SS. Hostiæ fuerunt depositæ, et, si remanent in Pyxide Hostiæ, genuflectit.

5. Pyxidem (nisi statim sit purificanda, de quo in Appendice sequenti dicetur) cooperculo claudit et velo operit ; Tabernaculum aperit, Pyxidem in illud reponit, genuflectit, Tabernaculumque claudit.

6. Dein Patenam et Corporale extergit, et accipit vinum purificationis.

c) Si in Pyxide sunt depositæ : Sumpto S. Sanguine, et Calice super Corporale a parte Evangelii deposito ac palla cooperto, et Patena ibidem deposita, cum minister dixit *Confiteor*, Pyxidem Sacerdos dextera aperit, genuflectit, et omnia peragit quæ præscribuntur in Rituali Romano pro distributione S. Communionis. Qua facta, servat quæ in casu præcedenti dicuntur.

Nota. I. Genuflexiones supra ad nn. 4 et 5 præscriptæ, determinatæ fuerunt a S. Rituum Congregatione, quæ pro casu decrevit : « A Sacerdote redeunte ad Altare post fidelium Communionem, genuflectendum antequam cooperiat Sacram Pyxidem ; et iterum genuflectendum antequam, Pyxide in Tabernaculo reposita, ipsius Tabernaculi ostiolum claudat. » (Decret. 23 Decembris 1862, n. 3116, antiq. 5324.)

Nota. II. Si Hostiæ fuerunt consecratæ, et infra eamdem Missam S. Communio dari deberet, convenit ut cum his communicentur fideles. Si tamen in Tabernaculo aliæ remanerent Hostiæ præconsecratæ, quas ob aliquam rationem prius distribuere conveniret, tunc:

1. Sumpto S. Sanguine, et Calice ac Patena depositis, Sacerdos Pyxidem velo cooperit, Tabernaculum aperit, genuflectit.

2. Deponit Pyxidem cum Hostiis noviter consecratis in Tabernaculum ; extrahit Pyxidem cum Hostiis præconsecratis, et Tabernaculum claudit. Aperit Pyxidem, iterum genuflectit, et peragit omnia præscripta pro distributione.

Nota. III. Animadvertendum est, quod Hostiæ consecratæ pertinent quasi ad Sacrificium sub quo consecrantur, ad ipsas se extendunt omnes ejusdem Sacrifi-

cii ritus usque ad Communionem ; ideo istæ Hostiæ omnino super Altare retineri debent usque dum Celebrans communicaverit. Non licet, peracta ipsarum Consecratione, statim ipsas populo communicaturo distribuere.

Ad dubium : « Valetne sustineri usus aliquarum Ecclesiarum, in quibus, ratione concursus ingentis populi, cum non suffecerit multitudini pro S. Communione quantitas hostiarum, jam subsequente alia Missa, statim a Consecratione reassumitur destributio Communionis ? » S. Rituum Congregatio respondendum censuit : « Abusum esse interdicendum. » (Decret. 11 Maji 1878, n. 3448, ad 7, antiq. 5728, ad 9.)

Nota. IV. Depositio SS. Hostiarum juxta datam normam facienda est, quando Tabernaculum adest in eo Altari, ad quod Sacerdos qui eas consecravit celebrat ; si autem Tabernaculum in eo Altari non habetur, tunc :

1. Post sumptionem S. Hostiæ, Sacerdos genuflectit, et Hostias, sive majorem, sive minores, deponit in Pyxidem ; Pyxidem claudit, velo operit, et ponit in medio super Corporale, ubi relinquitur usque ad finem Missæ.

2. Calicem discooperit, genuflectit, Patenam extergit, et fragmenta in Corporali colligit, et S. Sanguinem sumit. In omnibus se gerit, uti præscribitur dum SS. Sacramentum super mensam Altaris expositum est ; speciatim advertet non esse signandum Altare ad ultimum Evangelium S. Joannis. (Cfr. QQ. 313, 314.)

3. Calicem velo tantum, et non bursa cooperit, eumque collocat juxta Corporale, a latere Evangelii.

4. Finita Missa, et dictis precibus a Summo Pontifice Leone XIII post Missas privatas præscriptis, Sacerdos accipit velum humerale, et comitante lumine, portat Pyxidem ad Altare in quo Tabernaculum habetur ; deposita in illud Pyxide, genuflectit, Tabernaculum claudit, et velum deponit.

5. Manibus ante pectus junctis redit ad Altare, Corporale plicat et in bursam deponit, et Calicem defert ad Sacristiam more solito.

II. De modo purificandi Vasa sacra

Agitur in hac Appendice de modo purificandi : 1° Lunulam Ostensorii ; 2° Ostensorium, et Pyxidem in qua deponitur lunula cum Hostia Ostensorii ; 3° Pyxidem pro Communione destinatam.

§ 1. Lunula Ostensorii

332. — 1. Quænam sint observanda pro renovatione S. Hostiæ quæ in lunula asservatur, nempe pro ejusdem sumptione, et pro depositione in lunula S. Hostiæ noviter consecratæ, descripta habentur supra in Nota ad Q. 329. Hic agitur tantum de purificatione, seu extersione lunulæ, postquam ex ipsa desumpta fuit S. Hostia hucusque inclusa, et antequam S. Hostia recenter consecrata in ea deponatur.

2. Sacerdos post sumptionem S. Sanguinis, reverenter sumit S. Hostiam ex lunula extractam ; tum lunulam inspicit diligenter, et si qua fragmenta advertit, ipsa in Calicem deponit, quemadmodum facit cum e Patena fragmenta in Calicem deponit ; deinde lunulæ utrumque circulum ab interiori parte qua S. Hostia fuit asservata indice dextro diligenter extergit supra Patenam. Si postea adverteret adhuc aliquod fragmentum super Patenam, ipsam quoque extergeret. Tandem indicem et pollicem super Calicem extergit, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

3. Quo facto, Sacerdos extersam lunulam claudit et deponit extra Corporale, a latere Evangelii ; nisi S. Hostia noviter consecrata immediate imponi debeat, quo casu aget sicut dicitur in Nota ad Q. 329.

Nota. Dicitur lunulam extersam esse seponendam extra Corporale a latere Evangelii. Si tamen adesset minister, cui Vasa sacra tangere licet, iste extersam lunulam posset deferre ad credentiam, aut ad Sacristiam ; sed plerumque minister hujusmodi non adest.

§ 2. Ostensorium, et Pyxis in qua deponitur lunula Ostensorii

333. — 1. Ostensorium diligenter examinandum est:

si nullum fragmentum apparet, Sacerdos illud deponit extra Corporale a parte Evangelii ; vel potius minister, cui licet Ostensorium tangere, illud statim defert ad credentiam, vel ad Sacristiam. Si adest aliquod fragmentum, digito prenditur, et si hoc ratione confectionis Ostensorii difficile foret, instrumento aliquo, ex. gr., parvo cochleari, aliquantum madefacto, quo meliori modo potest, prehenditur.

2. Pyxis in qua asservatur lunula, cum immediate non tangat SS. Sacramentum, forsan non singula vice qua major Hostia renovatur, est purificanda ; igitur diligentius eam inspiciet Sacerdos, et si advertit fragmentum, tunc digito abstergit, et Pyxidem purificat modo mox dicendo ; alias sufficiet illam diligenter digito abstergere. Extersa deponitur extra Corporale a parte Evangelii ; vel potius a ministro, si potest ipsam tangere, defertur ad credentiam, vel ad Sacristiam.

§ 3. Pyxis pro Communione destinata

334. — A) Notanda ante purificationem. Si Pyxis continet tantum parva fragmenta Hostiarum, nulla pro his requiritur reverentia ; omittet ergo Sacerdos, ratione eorum, genuflexiones consuetas præscriptas ad Pyxidis aperitionem, etc.

B) Notanda in purificationis actione : 1. Sacerdos, post sumptionem S. Sanguinis, sinistra tenet Pyxidem ad nodum, inclinatam supra Calicem, et dextero indice colligit dispersa fragmenta, incipiens extersionem ab ora Pyxidis, et si ibi aliqua collegerit, statim mittit in Calicem ; mox in pariete et in fundo cætera fragmenta colligit, ea ducens ad oram Pyxidis, et mittit in Calicem ita ut in eum decidant ; quod semel aut iterum faciet, pro quantitate fragmentorum ; digitos supra Calicem diligenter extergit.

2. Pyxidem e sinistra deponit, et dextera præsentat ministro, qui vinum infundit : supra Corporale circumagit vinum in Pyxide semel aut iterum, et mox e Pyxide prudenter infundit in Calicem. Pyxidem reponit juxta Calicem, dextera accipit Calicem, sinistra Patenam, et dicto : *Quod ore sumpsimus, etc.*, sumit purificationem cum fragmentis.

3. Reposito Calice, iterum potest accipere Pyxidem, et super eam abluere digitos vino et aqua, more solito. Extersis digitis, e Pyxide ablutionem infundit in Calicem. Sumpta ablutione, exsiccat purificatorio primo Calicem, deinde Pyxidem ; et hanc operculo clausam deponit a parte Evangelii ; vel potius minister, si ipsi licet eam tangere, Pyxidem defert ad credentiam, vel ad Sacristiam.

Nota. I. Si immediate post purificationem Pyxidis in eam reponi deberent Hostiæ noviter consecratæ, omittet Sacerdos ablutionem digitorum supra Pyxidem, et vino tantum eam purificabit ; quo in Calicem infuso, Pyxidem mox exsiccat diligentissime semel et iterum. (Cfr. infra Nota III.) Tunc genuflectit, et deponit in Pyxidem Hostias noviter consecratas, Pyxidem claudit et operit, et in Tabernaculum deponit ; et iterata genuflexione, Tabernaculum claudit.

Colligit deinde fragmenta super Corporale, et immittit in Calicem. Quo facto, dicit : *Quod ore sumpsimus, etc.*, et sumit purificationem.

Nota. II. Numquam licet addere Hostias noviter consecratas aliis jam consecratis ; sed semper Pyxis purificanda omnino est, antequam Hostiæ noviter consecratæ in ipsam deponantur.

Nota. III. Prædicta Pyxidis purificatio, de qua Rubricæ nihil dicunt, communiter ab auctoribus apud nos proponitur. Quidam tamen, præsertim Romani, consultius judicant nequaquam uti vino in Pyxide purificanda. Fatendum est quod nemo cogitet de Patena vino purificanda, etsi in ipsa reposuerint fragmenta, imo Particulæ sacræ pro S. Communione aliquando distribuendæ. Objiciunt insuper quod fragmenta facilius adhærere possint interiori Pyxidis parieti madefactæ, ita ut difficilius jam ab ea abduci valeant. Sed ad id responderi potest, quod objectio valet etiam pro Calice in quem madidum fragmenta e Pyxide deponuntur ; dein, a nobis æque diligenter quam ab ipsis fragmenta e Pyxide colliguntur et extergitur Pyxis ; ita ut purificatio cum vino superadditur tantum, non ut tali modo agendi fragmenta colligantur, sed ut interior paries Pyxidis ab ipsa extersione digito facta amplius purificetur.

Ephemerides Liturgicæ (X, 1896, pag. 32, 33) negotium lectoribus perpendendum relinquunt, sed consultius tamen judicant vino nequaquam uti in Pyxidis purificatione.

Fortasse sola Pyxidis extersio diligenter facta, absque purificatione cum vino, melius conveniet in casu de quo agitur supra in Nota I ; nempe cum statim post Pyxidis purificationem Hostiæ sacræ noviter consecratæ in eam deponi deberent ; quia forsan exsiccatio, etiam diligentissime semel et iterum facta, non sufficiens æstimari poterit, ut omnis humiditas parietis auferatur.

Hoc ultimo casu prudenti uniuscujusque judicio relicto, credimus, donec S. Rituum Congregatio aliter declaraverit, purificationem Pyxidis vino factam, uti supra proponitur esse retinendam, cujus consuetudo apud nos generalis et immemorialis existit.

Nota. IV. Plures auctores adnotant quod purificatorium, quocum Pyxis abstersa fuit, non ulterius adhibendum sit pro Missæ Sacrificio, priusquam fuerit lotum.

III. De observandis quando Sacerdos celebrat eodem die plures Missas

335. Missalis Rubrica specialis ante diem Nativitatis Domini dicit : « Sacerdos, quoniam in die Nativitatis Domini celebrat tres Missas, in prima et secunda Missa non sumit purificationem, sed in tertia Missa tantum ; et in prima et secunda abluit digitos in aliquo vase mundo. » — Sacerdos potest celebrare tres Missas, vel successive, vel interposita mora ; et in hoc ultimo casu potest celebrare Missas, vel in diversis Altaribus ejusdem Ecclesiæ, vel in dissitis Ecclesiis. — Pro diversis casibus proponuntur sequentia observanda.

§ 1. Sacerdos celebrans in Nativitate Domini tres Missas successive in eodem Altari

336. — De numero Missarum quæ a Sacerdote celebrari possunt in Festo Nativitatis Domini, et de hora qua istæ Missæ possunt celebrari, dicitur ad QQ. 161 et 162 hujus Tractatus. Hic describitur ritus in diversis Missis servandus.

A) In prima et secunda Missa. 1. Sacerdos diligentissime haurit S. Sanguinem, et omissa post sumptionem consueta Calicis purificatione, Calicem deponit in medio Corporalis, et cooperit prius Patena, deinde palla; post hæc manibus junctis dicit Orationem : *Quod ore sumpsimus, etc.* Calicem purificatorio non abstergit, neque purificatorio cooperit, neque os abstergit.

Nota. Rubrica Missalis dicit quod Sacerdos « non sumit purificationem » ; ista purificatio non tantum non debet sumi, sed quidem non debet fieri. Etenim ad dubium : « Utrum in die Festo Nativitatis D. N. J. C. in prima et secunda Missa debeat fieri purificatio Calicis ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Non debere. » (Decret. 16 Septembris 1702, n. 2104, antiq. 3635.)

2. Dicta Oratione : *Quod ore sumpsimus, etc.*, Sacerdos abluit digitos quibuscum S. Hostiam tetigit ; attamen hanc ablutionem facit, non super Calicem, sed in aliquo vase mundo, argenteo vel vitreo, ad hoc in Altari præparato ; et purificatorio abstergit, interim dicens : *Corpus tuum, Domine, etc.* — Pro hac ablutione digitorum duplex praxis proponitur : vel accedit minister cum aqua et vino, et effundit more solito super pollices et indices, quos Sacerdos tenet super vas ; vel potius, præparatur in vase aqua, et, ut dicit Rubrica, in vase Sacerdos digitos abluit, quemadmodum digitos in vase purificat post distributionem S. Communionis extra Missam ; et hæc praxis omnino est præferenda ; etenim ita faciendo, cum minister non debeat accedere pro infusione vini et aquæ, tutius removetur omnis distractio, et periculum frangendi jejunium sumptione purificationis, vel ablutionis in prima et secunda Missa.

Nota. Hæc altera praxis gaudet approbatione S. Rituum Congregationis ; etenim ad dubium : « Duplex viget praxis pro ablutione digitorum in prima et secunda Missa die sancto Natalis Domini. Alii nempe in duabus his Missis digitos abluunt in vase mundo et vacuo, Ministro vinum et aquam de more infundente, interim dicendo : *Corpus tuum Domine etc.*, quam ablutionem sumunt in tertia Missa una cum ultima ablutione. Alii vero digitos abluunt in vasculo cum aqua jam prius parato, ut fit post distributionem SSmæ Communionis ; quam aquam vel sumunt cum ultima ablutione in tertia Missa, vel in piscinam sacrarii effundendam relinquunt. Quæritur : quænam ex

his praxibus sit, utpote Rubricis conformior, sequenda ? » S. Congregatio rescribendum censuit : « Secundus modus purificationis est magis expeditus et conformis est praxi universali. » (Decret. 6 Februarii 1892, n. 3764, ad 15.)

Animadverti potest, in hoc ablutionis digitorum modo non requiri ut vinum et aqua præparentur in vase, sed aquam solam sufficere.

3. Abstersis digitis, Sacerdos reponit purificatorium juxta Corporale, et deponit vasculum, parva palla coopertum, prope Tabellam, juxta Corporale.

4. Deinde Sacerdos in medio Altaris remanens, accipit a ministro aliam Hostiam, quam ponit super Patenam, et Calicem velo cooperit. Corporale relinquit totum super Altare extensum.

5. Prosequitur Sacerdos deinde modo seu ritu consueto Missam ; in transitu autem ante medium, et in accessu aut recessu non genuflectit, sed uti alias omnia peragit.

Ad dubium : « In Natali Domini in tribus Missis, quæritur : an post sumptionem Sanguinis eundo et redeundo ad medium Altaris, sit facienda genuflexio ; et num vertendo se Celebrans ad *Dominus vobiscum*, vel ad dandam Benedictionem, debeat renes vertere ad Altare, cum (ut creditur) species vini non sint desiccatæ in Calice. Quid ergo fieri debet ? » S. Rituum Congregatio respondit : « Serventur Rubricæ Missalis Romani de ritu servando in celebratione Missæ Tit. XI, n. 1. » (Decret. 20 Julii 1686, n. 1772, ad 7, antiq. 3120, ad 9.)

Rubricæ servandæ loco citato indicatæ nihil de genuflexione aut aliis dicunt, et modum agendi consuetum proponunt. — Dubium proponitur pro tribus Missis ; quæstio tamen refertur ad primam et secundam Missam tantum.

B) In secunda et tertia Missa. 1. Sacerdos ad Offerrium, ablato velo, Calicem seponit, non extra Corporale, sed paulum extra medium, ad suam dexteram super Corporale.

2. Facta oblatione Hostiæ, accedens de medio ante Calicem, hunc purificatorio non abstergit, sed sinistra elevatum et inclinatum aliquantum tenet, non tamen extra Corporale, et vinum ac aquam infundit caute, ne guttæ aliquæ ad parietem Calicis resiliant ; quæ tamen si adhærerent parieti, nullatenus Calicem ab intus abstergit, sed eum leviter circumagit, ut guttæ cum

vino misceantur. Non potest purificatorio Calicem abstergere. Accedens dein ad medium, Calicem offert more solito.

3. In secunda et tertia Missa Sacerdos pretiosum Sanguinem sumit ab eadem parte Calicis quam in prima Missa.

C) In tertia Missa. Sumpto S. Sanguine, more consueto fit purificatio Calicis et ablutio digitorum ; ablutis digitis, Sacerdos infundit in Calicem e vasculo vinum et aquam, aut aquam præcedentium ablutionum , nisi aqua relinquatur effundenda in sacrarium. Sumpta ablutione, more solito os abstergit, et exsiccat purificatorio primo Calicem, deinde vasculum.

§ 2. Sacerdos celebrans in Nativitate Domini tres Missas in eadem Ecclesia, interposita inter Missas mora

337. Sacerdos, finita Missa post quam interponitur mora, Calicem, aut 1°, si nulla in Ecclesia sit Sacristia, in Altari super Corporale relinquit ; aut 2° in Sacristiam defert, ibique super Corporale vel pallam in aliquo loco decenti et clauso collocat usque ad sequentem Missam ; in qua, cum eodem Calice utatur, illum rursus secum fert ad Altare, ac super extensum Corporale reponit. (Cfr. Instructio inserta in Appendice Ritualis Romani, *De Sacramento Eucharistiæ*.) — In hoc casu, ablutis post Communionem digitis, ponit purificatorium, non immediate super Calicis oram sed super Patenam, et super purificatorium ponit cochlear ; quibus superimponit pallam et Calicis velum. Corporale, finita Missa, privatim aufertur, et priusquam Sacerdos pro sequenti Missa accedat, privatim refertur.

3° Quod si locus decens et sufficienter clausus in Sacristia non adesset, Sacerdos, absoluta Missa, Calicem potest in Tabernaculum, amoto Calicis velo, recondere ; quod in tali casu melius quidem ac securius æstimant nonnulli auctores ; nihil enim, aiunt, prohibet ut Calix in Tabernaculo custodiatur : si enim, ob SS. Sacramenti reverentiam, in Tabernaculo reconditur Pyxis a fragmentis purificanda, pari ratione idem quoque in præsenti supposito faciendum erit de Calice in casu a

SS. Sanguine purificando. (Cfr. Ephemerides Liturgicæ, III, 1889, pag. 666, in Nota.)

Nota. Si Sacerdos in Festo Nativitatis Domini Missas celebrat in dissitis Ecclesiis, observabit ea quæ in sequenti § 3 præscribuntur.

§ 3. Sacerdos celebrans eodem die plures Missas in dissitis Ecclesiis

338. Olim S. Rituum Congregatio per Decretum 16 Septembris 1815 (antiq. n. 4515) reprobaverat tamquam in Ecclesia novum, quod Sacerdos, duas Missas eodem die in dissitis Ecclesiis celebrans, duobus diversis Calicibus uteretur, et rescripserat, unum dumtaxat Calicem esse adhibendum.

Sed cum plures diversarum Diœcesium Antistites confugerint ad Apostolicam Sedem pro modificatione præfati Decreti, certaque impetranda regula, quam tuto sequi possint ; attenderant enim rigorosam exsecutionem hujus Decreti gravibus admodum difficultatibus subjici, et morem duos in ejusmodi casu adhibendi Calices universalem esse in quibusdam regionibus, et adeo veterem ut omnem hominum memoriam facile excedat ; ideo S. Rituum Congregatio, per Decretum 12 Septembris 1857, a Summo Pontifice Pio IX approbatum die 11 Martii 1858 (n. 3068, antiq. 5261), ut oblatarum a prædictis Antistitibus precum debita ratio haberetur, adhibendi scilicet ob peculiares rationes duos Calices, quum Sacerdos duas celebrat Missas eadem die in Ecclesiis longe dissitis, respondendum censuit : « Usum duorum Calicum in casu posse permitti. » Et ad exsecutionem hujus permissionis, S. Congregatio adjunxit Instructionem servandam pro purificatione primi Calicis, ut et reverentiæ Sacramento debitæ consulatur, et Sacerdos jejunus maneat pro secunda Missa.

Præcitatum Decretum 16 Septembris 1815 e nova editione Decretorum anni 1898 fuit expunctum ; et Instructio, adnexa Decreto 12 Septembris 1857, approbato 11 Martii 1858, generalis juris facta fuit eo quod fuerit inserta in Appendice Ritualis Romani, Titulo *De*

Sacramento Eucharistiæ, et proinde ab omnibus est observanda.

Hæc Instructio valet non tantum pro Sacerdote Apostolicam facultatem habente bis Missam eadem die celebrandi, sed etiam pro Sacerdote qui in Festo Nativitatis Domini plures Missas celebrat in dissitis Ecclesiis.

339. Instructio, ad mentem et ex mandato S. Rituum Congregationis pro casu proposita, est prout sequitur :

« Quando Sacerdos eadem die duas Missas dissitis in locis celebrare debet, in prima, dum Divinum Sanguinem sumit, eum diligentissime sorbeat. Exinde super Corporali ponat Calicem et palla tegat, ac junctis manibus in medio Altari dicat : *Quod ore sumpsimus, etc.* ; et subinde admoto aquæ vasculo digitos lavet, dicens : *Corpus tuum, etc.*, et abstergat. »

« Hisce peractis Calicem, super Corporali manentem adhuc, deducta palla, cooperiet ceu moris est, scilicet primum purificatorio linteo, deinde patena ac palla, et demum velo. »

« Post hæc Missam prosequatur, et, completo ultimo Evangelio, rursus stet in medio Altaris, et detecto Calice, inspiciat an aliquid Divini Sanguinis necne ad imum se receperit, quod plerumque contingit. Quamvis enim sacræ species primum sedulo sorptæ sint, tamen dum sumuntur, quum particulæ, quæ circum sunt, undequaque sursum deferantur, nonnisi deposito Calice, ad imum redeunt. Si itaque Divini Sanguinis gutta quædam supersit adhuc, ea rursus ac diligenter sorbeatur, et quidem ex eadem Calicis parte qua ille primum est sumptus. Quod nullimode omittendum est, quia Sacrificium moraliter durat, et superexstantibus adhuc vini speciebus, ex divino præcepto compleri debet. »

« Postmodum Sacerdos in ipsum Calicem tantum saltem aquæ fundat, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua Sacrum Sanguinem biberat, in paratum vas demittat. Calicem subinde ipsum purificatorio linteo abstergat, ac demum cooperiat, uti alias fit, atque ab Altari decedat. »

« Depositis sacris vestibus, et gratiarum actione

completa, aqua e Calice dimissa, pro rerum adjunctis, vel ad diem crastinum servetur (si nempe eo rursus Sacerdos redeat Missam habiturus), et in exsequenda purificatione in Calicem demittatur ; vel gossipio aut stupa absorpta comburatur ; vel in sacrario, si sit, exsiccanda relinquatur ; vel demittatur in piscinam. »

« Quum autem Calix, quo Sacerdos primum est usus, purificatus jam sit, si illo ipso pro Missa altera indigeat, eum secum deferat : secus vero, in altera Missa diverso Calice uti poterit. »

Nota. I. Aqua e Calice pro ejus purificatione demissa, quæ in Instructione proponitur servanda, vel gossipio absorpta comburenda, vel in piscinam sacrarii demittenda, potest etiam cum purificatione secundæ Missæ sumi. Etenim, ad dubium : « Num Sacerdos in duabus diversis Ecclesiis Missam eodem die faciens, possit deferre secum purificationem primæ Missæ, in aliquo vase caute custoditam, ut eam cum purificatione secundæ Missæ sumat ? » S. Rituum Congregatio rescribendum censuit : « Affirmative. » (Decret. 9 Maji 1893, n. 3798, ad 5.)

Nota. II. Ex eo quod per Decretum 12 Septembris 1857, et ejusdem insertione in Appendice Ritualis Romani, usus duorum Calicum ob peculiares rationes jam omnibus permittatur, non est concludendum usum ejusdem Calicis pro diversis Missis in dissitis locis, antea probatum, nunc esse reprobatum : S. Rituum Congregatio enim permittit tantum usum duorum Calicum.

Unde si Sacerdos eadem die plures Missas in dissitis locis celebrans, voluerit eodem Calice uti, profecto id poterit, tum in Festo Nativitatis Domini, tum ubi ex Apostolica facultate binat, præsertim si Ecclesiæ vel Oratoria non valde distant. In hoc casu sequentia observabit :

1. Sacerdos in prima Ecclesia vel Oratorio Calicem non purificatum relinquit ; et ablutis digitis, ponit purificatorium super Patenam, quibus superimponit pallam et Calicis velum.

2. Post Missam, Sacerdos velum circumligat Calici ligula serica, et hunc sic coopertum et circumligatum deponit in Tabernaculo ; vel defectu Tabernaculi relin-

quit in Altari super Corporale ; vel defert ad locum honestum et clausum in Sacristia, et deponit ibi super Corporale.

3. Debito tempore, Sacerdos Calicem, circumligatum ut supra, decenter defert ad aliam Ecclesiam, vel ad aliud Oratorium, ut ibi celebret sequentem Missam ; ibi ante Missam Calicem reponit super Corporale in Altari, vel in Tabernaculo, vel in loco honesto, ut supra, usque dum Missam incipit.

IV. De observandis, quando ad Altare, in quo Sacerdos celebrat, Tabernaculum aperitur

340. Dicitur in Ritu celebrandi Missam (Tit. III, n. 4), quod Sacerdos, postquam signo Crucis Missam inceperit, « non debet advertere quemcumque in alio Altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequi Missam suam usque ad finem. »

Sed quid faciendum est a Sacerdote, qui celebrat Missam ad Altare ubi SS. Sacramentum in Tabernaculo est inclusum, dum infra Missam ad illud accedit alter Sacerdos, qui SS. Sacramentum aliqua de causa extrahit e Tabernaculo, vel in Tabernaculum reponit ? — Quantum fieri potest hoc vitetur, et nonnisi in necessitate id fiat. (Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 192.) — Si autem fieri debeat, tunc in utroque casu, scilicet, in accessu talis Sacerdotis ut SS. Sacramentum e Tabernaculo extrahat ; et in regressu, ut illud in Tabernaculum reponat ; quæ sint observanda, tum a Sacerdote accedente, tum a Sacerdote celebrante, in sequentibus exponuntur.

§ 1. In accessu Sacerdotis qui Tabernaculum est aperturus

Cfr. Tractatus de administratione Sacramentorum, Q. 192.

A) Sacerdos accedens : Convenientius, nisi ratio aliqua urgeat, exspectabit ad aperiendum Tabernaculum,

donec Sacerdos celebrans totaliter absolverit precem (intellige Orationem, Epistolam, Evangelium, aut aliam quamcumque precem) aut actionem, ad quam dicendam vel faciendam est occupatus ; qua finita, Tabernaculum aperiet.

B) Sacerdos celebrans : *a*) Extra Missæ Canonem, finita prece, aut actione ad quam occupatus est, genu utrumque flectit, quamdiu Sacerdos accedens stat ad Altare movens SS. Sacramentum, et caput inclinat. Si est in medio Altaris, paulum e medio recedit ad cornu Epistolæ ibique genuflectit ; si est ad unum alterumve Altaris cornu, genuflectit ibidem.

b) Infra Missæ Canonem, Missam non abrumpit, nec genua flectit ; sed si actione aliqua non est occupatus (ex. gr., si hoc momento non signat oblata seu Hostiam et Calicem, non est inclinatus ad Altare, non tractat S. Hostiam nec S. Calicem), potest paulum e medio recedere ad cornu Evangelii, et ibi continuare preces.

§ 2. In regressu Sacerdotis, qui SS. Sacramentum in Tabernaculum est repositurus

A) Sacerdos accedens : Cum SS. Sacramentum manibus deferat, non convenit ut exspectet finem Orationis aut actionis Sacerdotis celebrantis ; sed continuo accedit, Tabernaculum aperit et SS. Sacramentum reponit ; nisi sit infra Consecrationem et Elevationem Missæ, quo casu erectus ante Altare exspectat Elevationis finem.

B) Sacerdos celebrans : Extra Canonem, aut infra Canonem, eodem omnino modo se geret ac in accessu.

LIBER TERTIUS

DE DEFECTIBUS IN CELEBRATIONE MISSARUM OCCURRENTIBUS

341. — In Tractatu, qui in Missali Romano sub hoc titulo habetur, multa traduntur quæ ad Theologiam pertinent, et quæ proinde in Tractatu de Venerabili Sacramento Eucharistiæ aut de Sacrificio Missæ requirenda sunt : hic tantum pars liturgica et practica exponitur ; textus tamen integer describitur, quia varia continet, quæ alibi neque clarius, neque brevius exposita, neque a majori auctoritate definita reperiuntur.

Præter Notitiam præliminarem, quatuor erunt hujus Libri Capita, in quorum primo dicetur de defectibus Materiæ consecrandæ ; in secundo de defectibus Formæ adhibendæ ; in tertio de defectibus Ministri conficientis ; in quarto de defectibus in Ministerio ipso occurrentibus.

Notitia præliminaris

Q. 342. *Quando dicitur adesse defectus in celebratione Missæ ?*

R. Adest defectus in conficiendo Sacramento Eucharistiæ, quando deficit aliquid, quod requiritur ad Missam debite celebrandam.

Q. 343. *Quomodo distinguuntur defectus ?*

R. « Potest autem defectus contingere ex parte materiæ consecrandæ, et ex parte formæ adhibendæ, et ex parte ministri conficientis. Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, et Ordo Sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his existentibus, quibuscumque aliis deficientibus, veritas adest Sacramenti. » (Tit. I, n. 1.) Hujusmodi defectus, dicuntur substantiales. — « Alii vero sunt defectus, qui in Missæ celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediant, possunt tamen aut cum peccato, aut cum scandalo contingere. » (Tit. I, n. 1.) Hi dicuntur defectus accidentales.

Q. 344. *Quid faciendum est, si defectus sive substantialis sive accidentalis prævidetur ante Missam ?*

R. « Sacerdos celebraturus omnem adhibeat diligen-

tiam, ne desit aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiæ conficiendum. » (Tit. I, n. 1.)

Defectus substantialis removendus est ; et si removeri nequit, omnino a celebratione Missæ est abstinendum.

Defectus accidentalis etiam removendus vel supplendus est ; quod si fieri nequit, regulariter a celebratione est abstinendum ; quia actio, præsertim sanctissima, quæ debito modo fieri non potest, potius est omittenda, quam indebite exercenda ; nisi celebratio sine scandalo omitti non possit, aut tanta sit ratio aut necessitas celebrandi, ut defectui prævaleant, et celebrationem licitam reddant ; quod prudenti judicio discernendum est, sanctissimæ actionis considerata dignitate.

CAPUT I

De defectibus Materiæ

Cfr. Tractatus de Eucharistia, n. 11.

Q. 345. *Quænam requiruntur ad materiam consecrandam ?*

R. « Defectus ex parte materiæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ ad ipsam requiruntur. Requiritur enim, ut sit panis triticeus, et vinum de vite ; et ut hujusmodi materia consecranda, in actu consecrationis sit coram Sacerdote. » (Tit. II.)

ARTICULUS I

De defectu Panis

Cfr. Tractatus de Eucharistia, nn. 13, 14.

Q. 346. *Recense exempla in Missali proposita materiæ panis invalidæ, — dubiæ, — illicitæ.*

R. « 1. Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum. » (Tit. III, n. 1.)

Conferantur ea quæ dicta fuerunt in præsenti Tractatu (Q. 179, Nota III), de cautelis præscriptis ut certitudo habeatur de puritate tritici pro Hostiis conficiendis ; et insuper quæ exponuntur in Tractatu de administratione Sacramentorum (Q. 166), de qualitatibus diversis Hostiarum.

« 2. Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est, an conficiatur. »

« 3. Si cœperit corrumpi, sed non sit corruptus : similiter si non sit azymus, secundum morem Ecclesiæ Latinæ, conficitur, sed conficiens graviter peccat. » (Tit. III, nn. 2, 3.)

Q. 347. *Quid faciendum est a Sacerdote, qui materiam panis esse invalidam advertit* A) ante consecrationem ; — B) post consecrationem *aut post hujusmodi* Hostiæ sumptionem ; — C) post sumptionem Sanguinis ?

R. A) « Si Celebrans ante consecrationem advertit, Hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam : remota illa Hostia, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit. » (Tit. III, n. 4.)

Sequentem cæremoniarum ordinem servabit Sacerdos :

1. Missam interrumpit, et seposita extra Corporale Hostia defectuosa, novam aptam afferri jubet. Si prioris jam sit facta oblatio, novam deponit super Corporale, et manibus ante pectus junctis eam offert, Orationem *Suscipe sancte Pater* vocaliter recitans, vel saltem mente concipiens.

2. Missam prosequitur ab eo loco ubi desivit : attamen, si jam recitasset verba Canonis *Qui pridie quam pateretur, etc.*, hæc repeteret.

3. Prior Hostia, si defectuosa est ex eo quod triticea non sit, sumitur post ablutiones ; si vero ex corruptione, post Missam projicitur in sacrarium.

B) « Si id adverterit post consecrationem, etiam post illius Hostiæ sumptionem, posita alia, facit oblationem, ut supra, et a consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis : *Qui pridie quam pateretur* ; et illam priorem si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis, et Sanguinis, vel alii sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat eam, quam consecravit : quia præceptum de per-

fectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod a jejunis sumatur. » (Tit. III, n. 5.)

Ordo cæremoniarum : 1. Defectuosam Hostiam, si nondum eam sumpsit, Sacerdos seponit super Corporale, et aliam offert ut supra.

2. Oblatione facta, ut supra, Hostiam ambabus accipit manibus inter indicem et pollicem, et incipit eam consecrare more solito a verbis *Qui pridie etc.* ; consecratam Hostiam non adorat, neque adorandam ostendit populo, sed statim deponit super Corporale.

3. Missam prosequitur ab eo loco ubi desivit : si autem post fractionem fieret hujusmodi defectus correctio, Hostia consecrata mox frangeretur in duas partes, et super Patenam deponeretur ; commixtio autem particulæ cum S. Sanguine fieri non debet, sed potest : quod si fiat, particula immittitur in Calicem absque verbis aut signis.

4. Hostiam defectuosam vel 1° ipse sumit post sumptionem Corporis et Sanguinis, ante purificationem ; vel 2° sumendam tradit alii in statu gratiæ existenti et jejuno ; vel 3° in loco decenti reverenter conservat, donec corrupta sit, et tunc in sacrarium Ecclesiæ eam projicit.

Si vero defectuosam Hostiam Sacerdos sumpsit, quamvis non amplius sit jejunus, nihilominus aliam offert et consecrat, ut supra : prolatis verbis consecrationis, S. Hostiam statim super Patenam frangit in duas partes, nihil dicens, et mox, dicens ut alias : *Corpus Domini nostri, etc.,* facto signo Crucis, reverenter sumit.

C) « Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua ; et facta prius oblatione, ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis : *Qui pridie* ; ac statim sumat utrumque, et prosequatur Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo. » (Tit. III, n. 6.)

Ordo cæremoniarum : 1. Oblata nova Hostia, ut supra, Sacerdos in Calicem, positum super medium Corporale, infundit vinum cum aqua, quam benedicit (nisi sit Missa de *Requiem*) nihil dicens ; caute autem infundit, ne dispergantur guttulæ in parietem ; mox, manibus junctis offert Calicem, dicens vocaliter, vel saltem mente concipiens Orationem *Offerimus*.

2. Oblato Calice, statim incipit consecrationem panis a verbis *Qui pridie etc.,* ut supra.

3. Prolatis verbis consecrationis S. Hostiæ, hanc deponit super Corporale, et mox incipit consecrationem vini, more solito, a verbis *Simili modo,* usque ad *Hæc quotiescumque etc.,* inclu-

sive. Calicem reponit super Altare, non autem adorat, neque adorandum ostendit.

4. S. Hostiam super Patenam frangit in duas æquales partes, et statim reverenter sumit, ut supra.

5. Facta parva meditatione, fragmenta, si qua sint, colligit in Patena et in Calicem mittit ; et mox S. Sanguinem, dicens ut alias : *Sanguis Domini nostri etc.,* facto signo Crucis, reverenter sumit, et Missam prosequitur.

Q. 348. *Quid faciendum est si Hostia consecrata dispareat, et nequeat reperiri ?*

R. « Si Hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri : tunc altera consecretur ab eo loco incipiendo : *Qui pridie quam pateretur,* facta ejus prius oblatione, ut supra. » (Tit. III, n. 7.)

ARTICULUS II

De defectu Vini

Cfr. Tractatus de Eucharistia, nn. 15, 16.

Q. 349. *Recense exempla in Missali proposita materiæ vini invalidæ et illicitæ.*

R. « 1. Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquæ, ut vinum sit corruptum : non conficitur Sacramentum. »

« 2. Si vinum cœperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis ; conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat. » (Tit. IV, nn. 1, 2.)

Conferantur ea quæ notata fuerunt in præsenti Tractatu (Q. 179, Nota IV), de cautelis præscriptis ut certitudo habeatur de qualitate genuini vini de vite.

Q. 350. *Quid faciendum est a Sacerdote, qui materiam defectuosam, ex. gr., aquam loco vini, vel vinum corruptum fuisse positam in Calicem, advertit* A) ante consecrationem *Sanguinis ;* — B) post verba consecrationis *Sangui-*

nis ; — C) post sumptionem Corporis aut hujusmodi materiæ invalidæ ?

R. A) « Si Celebrans ante consecrationem Sanguinis, quamvis post consecrationem Corporis, advertat aut vinum, aut aquam, aut utrumque non esse in Calice : debet statim apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis : *Simili modo etc.* » (Tit. IV, n. 3.)

Ordo cæremoniarum : 1. Celebrans Missam interrumpit, et seposito liquore defectuoso in aliquod vas extra Corporale, in Calicem purificatorio exsiccatum, et super medium Corporalis collocatum, apponit vinum cum aqua quam benedicit nihil dicens (nisi Missa dicatur de *Requiem,* in qua non benedicitur aqua), guttulasque dispersas purificatorio abstergit.

2. Manibus junctis offert Calicem, dicens vocaliter, vel saltem mente concipiens Orationem *Offerimus.*

3. Missam prosequitur ab eo loco ubi desivit : attamen, si jam recitasset verba Canonis *Simili modo etc.,* hæc repeteret.

4. Aqua seposita sumitur post ablutiones, vel, si liquor defectuosus sumi non potest, projicitur in sacrarium.

B) « Si post verba consecrationis advertat vinum non fuisse positum, sed aquam : deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, et consecret, resumendo a verbis prædictis : *Simili modo etc.* » (Tit. IV, n. 4.)

Ordo cæremoniarum : 1. Idem servatur ut supra usque ad oblationem Calicis ; qua facta, Sacerdos incipit statim consecrare more solito, a verbis *Simili modo etc.,* usque ad *Hæc quotiescumque etc.* inclusive ; S. Sanguinem non adorat, neque adorandum ostendit populo.

2. Missam prosequitur ab eo loco, ubi desivit.

3. Aqua seposita sumitur post ablutiones, vel, si liquor defectuosus sumi non potest, projicitur in sacrarium. — Si autem defectus advertitur tantum postquam particula S. Hostiæ immissa fuit in Calicem, in hoc casu, aqua aut liquor defectuosus infunditur simul cum sacra particula in alium Calicem, et seponitur super Corporale ; sumitur cum sacra particula immediate post sumptionem Sanguinis ; vel potest sacra particula extrahi e liquore defectuoso, et immitti in consecratum Sanguinem ; prior modus præfertur. Ubi vero liquor defectuosus esset venenosus, liquor cum sacra particula seponitur in Tabernaculum, donec totum fuerit corruptum, et tunc projicitur in sacrarium.

C) « Si hoc advertat post sumptionem Corporis, vel hujusmodi aquæ : apponat aliam Hostiam iterum con-

secrandam, et vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit jejunus. Vel, si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione ut supra, consecrare, ac statim sumere, et prosequi cetera. » (Tit. IV, n. 5.)

Non ita severe in hoc casu requiritur appositio alterius Hostiæ, quam in casu exposito supra (Q. 347, C) ; quia in præsenti casu observatus remanet debitus ordo consecrationis, nempe panis primum, pro quo defectus non exstitit, dein vini, quod de novo consecrandum est ratione defectus. Et ideo non pauci auctores arbitrantur in hoc casu semper solum vinum esse consecrandum.

Ordo cæremoniarum idem servatur, qui supra describitur (Art. I, ad Q. 347, C). — Quod si apponatur tantum vinum cum aqua, et non Hostia iterum consecranda, idem ordo servatur qui supra (ad B) describitur, et statim post prolata verba consecrationis sumitur reverenter Sanguis ut alias, cum formula *Sanguis Domini nostri,* et facto signo Crucis.

« Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in Calice. » (Tit. IV, n. 6.)

Si Sacerdos, dum liquorem e Calice haustum in ore tenet, tantum cognoscat materiam esse invalide consecratam, non debet liquorem ex ore ejicere, dummodo sumi possit ; tum propter indecentiam, tum propter periculum ejiciendi particulam S. Hostiæ ; sed potius deglutire, etiamsi jejunium frangatur ; ex duabus inconvenientiis minor enim eligenda videtur.

Q. 351. *Quid faciendum, si Sacerdos advertit non fuisse appositam aquam cum vino ante Calicis oblationem ?*

R. « Si autem Celebrans ante consecrationem Calicis advertat, non fuisse appositam aquam : statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem Calicis : nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti. » (Tit. IV, n. 7.)

In casu aqua apponenda benedicitur (nisi Missa dicatur de *Requiem*), sed non iteratur Oratio *Deus qui*

humanæ etc. (Cfr. Tractatus de Eucharistia, n. 16.) Non iteranda est Calicis oblatio.

Nota. Circa qualitatem aquæ apponendæ datur sequens Declaratio S. Congregationis Sanctæ Romanæ et Universalis Inquisitionis (S. Officii) : Ad dubium : « Utrum liceret in S. Missæ Sacrificio aquis naturalibus potabilibus, sed acidulis, gassosis vel alcalinis, uti ? » Adsessor S. Officii respondit : « Nullas adesse, in contrarium dubitandi, alicujus ponderis rationes. » (Litteræ 11 Augusti 1904 ; cfr. Ephemerides Liturgicæ, XVIII, 1904, pag. 723.)

Q. 352. *Resolve casum, si materia quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis vel vini, qui advertitur infra Missam, non posset ullo modo haberi.*

R. « Si materia quæ esset apponenda, ratione defectus vel panis, vel vini, non posset ullo modo haberi ; si id sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet : si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata : tunc, si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda, ita tamen, ut prætermittantur verba et signa, quæ pertinent ad speciem deficientem. Quod si exspectando aliquamdiu haberi possit, exspectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum. » (Tit. IV, n. 8.)

Q. 353. *Quamdiu infra Missam exspectandum est, ut materia valida possit afferri ?*

R. Benedictus XIV (*De Sacrosancto Sacrificio Missæ*, Lib. III, Cap. XIV, n. 8) spatium istud extendit ad totum tempus antemeridianum, quo Sacramentum potest perfici. S. Alphonsus autem (*Theologia moralis*, Lib. VI, Tract. III, n. 355) recenset auctores, qui dicunt probabiliter non esse ultra exspectandum quam per unam circiter horam ; alias enim non censetur unum Sacrificium.

CAPUT II

De defectibus Formæ

Cfr. Tractatus de Eucharistia, nn. 17, 18, 19 ; et Tractatus de Sacramentis in genere, nn. 5 ad 14.

Cum materia hæc sit tota theologica, omittuntur Quæstiones, et tantum describitur hic textus Missalis. (Tit. V.)

354. — « 1. Defectus ex parte formæ possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quæ ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis, quæ sunt forma hujus Sacramenti, sunt hæc : *Hoc est enim Corpus meum.* Et : *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et æterni testamenti : mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis et Sanguinis, et in ipsa verborum immutatione verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret. »

2. « Si Celebrans non recordetur se dixisse ea, quæ in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet, se omisisse aliquid eorum, quæ sunt de necessitate Sacramenti, id est, formam consecrationis, seu partem : resumat ipsam formam, et cetera prosequatur per ordinem. Si vero valde probabiliter dubitet, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius. »

CAPUT III

De defectibus Ministri

Q. 355. *In quibus possunt defectus contingere ex parte ministri ?*

R. « Defectus ex parte Ministri possunt contingere quoad ea, quæ in ipso requiruntur. Hæc autem sunt : In primis intentio, deinde dispositio animæ, dispositio corporalis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso quoad ea, quæ in ipso possunt occurrere. » (Tit. VI.)

ARTICULUS I

De defectu Intentionis

Cfr. Tractatus de Eucharistia, n. 11.

356. — « 1. Si quis non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere : item si aliquæ Hostiæ ex oblivione remaneant in Altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hostia lateat, cum non intendat consecrare nisi quæ videt : item si quis habeat coram se undecim Hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit : in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat : nam tunc omnes erunt consecratæ : atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet. » (Tit. VII, n. 1.)

« 2. Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad Altare intendat facere, quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum, etsi curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat. » (Tit. VII, n. 4.)

Q. 357. *Quid faciet Sacerdos si, putans se tenere unam Hostiam, invenerit fuisse duas simul junctas ?*

R. Si Sacerdos id advertit ante consecrationem, alteram Hostiam reponat extra Corporale ; si autem hæc jam fuerit oblata, eam sumat post ablutionem.

« Si Sacerdos putans se tenere unam Hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. » (Tit. VII, n. 2.) In hoc tamen casu, ante sumptionem cum alterutra tantum faciat cæremonias præscriptas, relicta altera super Corporale, usque ad sumptionem.

Q. 358. *Expone quasdam regulas practicas pro fragmentis Hostiarum, et guttulis vini, quæ quandoque deprehenduntur.*

R. Prænotatur Rubrica Missalis : « Quod si deprehendat post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam post ablutionem, reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem sacrificium spectant. » (Tit. VII, n. 2.)

Respondetur : A) Pro fragmentis hostiarum.

1° Ante Missam : in præparatione Calicis, Sacerdos Hostiam leviter extergat, si opus est, a fragmentis. (Ritus, Tit. I, n. 1 ; cfr. Q. 178.)

2° In Missa, ante consecrationem : si deprehendat, antequam dixerit verba *Qui pridie*, fragmenta Hostiæ adhærentia, aut ab ea super Patenam aut Corporale separata, digito ea amoveat, nisi timendum sit, ea super Corporale esse relicta ex præcedente aliquo Sacrificio, quo casu ea retinebit super Corporale, et sumet cum purificatione.

3° Post consecrationem : amovere ea nullo modo potest, debetque ea colligere ante sumptionem Sanguinis.

4° Post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam post ablutionem : si deprehendat reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvæ sint, sive magnæ, quia ad idem Sacrificium spectant ; et earum sumptio non est communio nova, sed complementum communionis præcedentis.

5° Integre jam absoluta Missa : si reliquias advertat, jam depositis sacris vestibus, non potest eas sumere in Sacristia ; unde tales reliquias reverenter deponet in Ciborium : si autem non possunt servari, defectu Tabernaculi, aut propter irreverentiæ periculum, potest eas sumere, etiamsi sacras vestes jam deposuerit.

6° Si dubitet de fragmentis, an sint reliquiæ Hostiæ consecratæ necne : debet illa fragmenta sumere post sumptionem Sanguinis.

B) Pro guttulis vini. — 1° Ad Offertorium : imposito vino cum aqua in Calicem, Sacerdos diligenter debet purificatorio abstergere guttulas dispersas in Calice. (Cfr. Q. 216, 3.)

2° Ante consecrationem : si antequam dixerit verba *Simili modo*, guttulas advertat, propinquas vino in fundo cum eo uniat, circumacto vino ; remotas a fundo purificatorio abstergat.

3° Post consecrationem : si deprehendat, non potest eas abstergere, sed sumere debet vel cum S. Sanguine, vel cum vino purificationis.

4° Exterius adhærentes Calici guttulas, etiam post consecrationem, abstergere debet.

Q. 359. *Quid faciendum est de Hostia integra consecrata quæ casu relicta foret in Corporali* sumpta ablutione ?

R. « Si vero relicta sit Hostia integra consecrata, eam in Tabernaculo cum aliis reponat : si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in Altari supra Corporale decenter opertam, sumendam una cum altera, quam est consecraturus, relinquat : vel si neutrum horum fieri possit, in ipso Calice, seu Patena decenter conservet, quousque vel in Tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur : quod si non habeat quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere. » (Tit. VII, n. 3.)

ARTICULUS II

De defectibus Dispositionis Animæ

Cfr. Tractatus de Eucharistia, nn. 31 ad 34.

360. — « 1. Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus celebret : conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter Communionem, quam indigne sumit, quam propter exsecutionem Ordinum, quæ sibi erat interdicta. »

« 2. Si quis habens copiam Confessoris celebret in peccato mortali, graviter peccat. »

« 3. Si quis autem in casu necessitatis, non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat. Secus, si conteratur : debet tamen, cum primum poterit, confiteri. »

« 4. Si in ipsa celebratione Missæ Sacerdos recordetur, se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi, et satisfaciendi. »

« 5. Si recordetur, se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum, similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supradictis casibus si non timetur scandalum, debet Missam incœptam deserere. » (Tit. VIII.)

ARTICULUS III

De defectibus Dispositionis Corporis

Cfr. Tractatus de Eucharistia, nn. 35 ad 38.

361. — « 1. Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi,

per modum etiam medicinæ, et in quantacumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare. »

« 2. Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat : sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum. »

« 3. Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquæ præter intentionem. »

« 4. Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, et in ultima tantum percipiat purificationem. »

« 5. Si præcesserit pollutio nocturna, quæ causata fuerit ex præcedenti cogitatione, quæ sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est a Communione et celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est, an in præcedenti cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casus necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem, sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare et celebrare : nisi ex illa corporis commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur. » (Tit. IX.)

CAPUT IV

De defectibus in Ministerio ipso occurrentibus

362. — « 1. Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit : ut si celebretur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo, vel in Altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto : si non adsint luminaria cerea : si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem communiter : si celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit : si omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus : si vestes sacerdotales et mappæ non sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedictæ : si non adsit Clericus, vel alius deserviens in Missa, vel adsit qui deservire non debet, ut mulier : si non adsit Calix cum Patena conveniens, cujus cuppa debet esse aurea, vel argentea, vel stannea ; non ærea, vel vitrea : si Corporalia non sint munda, quæ debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, et ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedicta, ut etiam superius dictum est : si celebret capite cooperto sine dispensatione : si non adsit Missale, licet memoriter sciret Missam, quam intendit dicere. » (Tit. X, n. 1.)

Nota. De plerisque defectibus supra enumeratis agitur in Libro I hujus Tractatus, ubi expositæ fuerunt regulæ servandæ pro confectione et præparatione earum rerum quæ ad celebrandum Missam sunt requisitæ.

Q. 363. *Quid faciendum est si, Sacerdote celebrante, violetur Ecclesia, ex. gr., per homicidium ; — aut si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci, ex. gr., per incendium ?*

R. « Si Sacerdote celebrante, violetur Ecclesia ante Canonem, dimittatur Missa : si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci ubi celebratur, ante consecrationem dimittatur Missa, post consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis. » (Tit. X, n. 2.)

Q. 364. *Solve diversos casus, si Sacerdos graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur.*

R. « Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, prætermittitur Missa. Si post consecrationem Corporis tantum, ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur ab eo loco, ubi ille desiit, et in casu necessitatis etiam per non jejunum. Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia Hostia consecrata, Sacerdos, qui Missam supplet, dividat Hostiam, et unam partem præbeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma Corporis obiit Sacerdos, quia non est facta consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur. Si vero obierit semiprolata forma Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, et super eumdem Calicem repetat integram formam ab eo loco : *Simili modo postquam cœnatum est* ; vel posset super alium Calicem præparatum integram formam proferre, et Hostiam primi Sacerdotis, et Sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde Calicem relictum semiconsecratum. » (Tit. X, n. 3.)

« Si quis extra hujusmodi casus necessitatis integra Sacramenta non sumpserit, gravissime peccat. » (Ib. n. 4.)

Q. 365. *Quis Sacerdos tenetur explere Missam interruptam in hujusmodi casibus post consecrationem Corporis ?*

R. 1° Si Sacerdos infirmus intra competens spatium (cfr. Q. 353) vires resumat, ita ut possit convenienter prosequi et explere Missam, ipse primo et principaliter ad id tenetur, etiamsi non amplius esset jejunus, utpote si aliquid sumpsisset ad recuperandas vires. — Ratio est, quia præceptum, ut idem qui Missam incipit ipsam perficiat, videtur prævalere præcepto jejunii naturalis.

2° Tenentur Sacerdotes in loco præsentes, et si nullus adsit, Sacerdotes aliunde advocandi, intra competens spatium ut adhuc unum et integrum moraliter Sacrificium constituatur (cfr. Q. 353). Inter eos præ cæteris tenentur illi qui minus sunt impediti et magis dispositi : habentes autem impedimentum, ex. gr., non jejuni, tenentur secundo loco in defectu aliorum.

Nota. Notandum est quod ille Sacerdos, qui in tali casu Sacrum post consecrationem Corporis interruptum explet, amplius celebrare non potest, etiamsi in Sacro expleto ablutionem non sumpsisset.

Ad dubium : « Quidam Sacerdos celebrans in Ecclesia rurali Carpen. Diœcesis, prolatis verbis : *Nobis quoque peccatoribus,* morbo repentino correptus e vita illico decessit. Aderat Capellanus Parœciæ, qui statim Sacrum perfecit. Hinc orta est quæstio..... utrum Capellanus postea, ablutione jam omissa causa servandi jejunium, licite Missam celebrare poterit ? » S. Rituum Congregatio in negativam sententiam illico descendit ; rem nihilominus duobus Consultoribus theologis expendendam, atque ad juris Ecclesiastici Sacræque Liturgiæ Canones adornandam committi opportunum judicavit. Cui negativæ sententiæ apprime in omnibus convenerunt Consultorum elucubrationes. (Decret. 12 Aprilis 1823, approbatum et confirmatum a Summo Pontifice Leone XII, 16 Decembris 1823, n. 2630, antiq. 4601.) Elucubrationes theologorum Consultorum legi possunt in Suffragiis super hoc Decreto, in Vol. IV editionis Decretorum S. Rituum Congregationis anni 1900, pag. 234-240.

Q. 366. *Quid faciendum est, si in tali casu præsto non esset alius Sacerdos ?*

R. Si alius Sacerdos, intra tempus quo partes Missæ interruptæ unam moralem actionem efficere possint, nullo modo reperiri valeat, Sacrificium non est perfi-

ciendum, et tunc SS. Sacramentum per Clericum, aut etiam per laicum qui præ cæteris magis est dignus et dispositus, in Tabernaculum reponi debet, ut sumatur a Sacerdote, qui ibi postea celebrabit. Si autem Tabernaculum non haberetur, et non posset conservari SS. Sacramentum sine periculo irreverentiæ : in tali casu necessitatis etiam a laico non jejuno sumi posse dicunt auctores. Hæc autem necessitas apud nos numquam aderit : etenim, poterit regulariter advocari aliunde Sacerdos, si non intra competens spatium ut Sacrificium perficiat, tamen opportune, ut Sacramentum aut recludat in Tabernaculum, aut forsan transferat ad vicinam Ecclesiam, ut sumatur in sequenti Sacrificio ; interim, aut claudi posset Ecclesia, aut adorationem possent instituere fideles.

Juvat hic sequentem S. Rituum Congregationis resolutionem super aliquo dubio quod ad præsentem Quæstionem refertur describere : « In quadam Ecclesia Status Veneti sequens obtigit casus : Sacerdos celebrans Feria VI in Parasceve, initio Officii repentino apoplexiæ morbo correptus est, nec alius aderat Sacerdos jejunus, excepto Diacono ministrante. Ut cognoscatur quomodo agendum sit si idem casus in posterum contingat, nunc Parochus ab Eminentissimis Patribus Sacris tuendis Ritibus præpositis humillime petit duorum sequentium dubiorum solutionem ; scilicet :

1. Utrum adveniente tali casu, Officium Feriæ VI in Parasceve usque ad complementum peragi debeat ?

2. Utrum possit vicem supplere Diaconus jejunus, vel alius Sacerdos non jejunus ? »

S. Congregatio respondendum censuit :

« Ad 1. Provisum in secundo.

Ad 2. Si ministrans ut Diaconus est Sacerdos et jejunus, ipse, assumpta Casula, prosequatur Officium et Missam Præsanctificatorum absolvat, alterque non jejunus Sacerdos ei succedat in munere Diaconi : quatenus vero ille sit dumtaxat in Diaconatus Ordine constitutus, et nemo alius adsit Sacerdos jejunus, cesset Officium, et sacra Hostia reponatur in Tabernaculo, die sequenti post sumptionem Calicis a Celebrante sumenda. » (Decret. 5 Martii 1825, approbatum et confirmatum a Summo Pontifice Leone XII, die 8 Martii 1825, n. 2636, antiq. 4609.)

Q. 367. *Quid faciendum est, si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ?*

R. « Si musca, vel aranea, vel aliquid aliud ceciderit in Calicem ante consecrationem, projiciat vinum in

locum decentem, et aliud ponat in Calice, misceat parum aquæ, offerat, ut supra, et prosequatur Missam : si post consecrationem ceciderit musca, aut aliquid ejusmodi, et fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, et lavet cum vino, finita Missa comburat, et combustio ac lotio hujusmodi in sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea nec ullum periculum timeat, sumat cum Sanguine. » (Tit. X, n. 5.)

Q. 368. *Quid faciendum est, si aliquid venenosum 1° ceciderit in Calicem consecratum ; — 2° contigerit Hostiam consecratam ?*

R. 1° « Si aliquid venenosum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, et aliud vinum cum aqua apponendum denuo consecrandum : et finita Missa Sanguis repositus in panno lineo, vel stuppa tamdiu servetur, donec species vini fuerint desiccatæ, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium projiciatur. » (Tit. X, n. 6.)

2° « Si aliquod venenatum contigerit Hostiam consecratam, tunc alteram consecret, et sumat eo modo, quo dictum est, et illa servetur in Tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, et corruptæ deinde mittantur in sacrarium. » (Tit. X, n. 7.)

Q. 369. *Quomodo sumenda est particula S. Hostiæ, si sumendo Sanguinem remanserit in Calice ?*

R. « Si sumendo Sanguinem, particula remanserit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum, et sumat. » (Tit. X, n. 8.) Secundus modus aptior videtur.

Q. 370. *Quid faciendum est, si Hostia inveniatur fracta ?*

R. « Si Hostia ante consecrationem inveniatur fracta, nisi populo evidenter appareat, talis Hostia consecretur : si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, et offeratur : quod si illius Hostiæ jam erat facta oblatio, eam post ablutionem sumat. Quod si ante oblationem Hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum, aut longam moram fieri poterit. » (Tit. X, n. 9.)

Si Hostia jam consecrata frangitur, si non totaliter est fracta, Sacerdos, quo meliori modo poterit, ea utetur ad diversos peragendos ritus. Si autem totaliter est fracta, ex. gr., in duas partes, tunc Sacerdos majori parte, vel, si æquales sunt, una parte utetur ad diversos ritus peragendos, altera super Corporale relicta.

Q. 371. *Quomodo procedet Sacerdos, si Hostia consecrata dilabatur in Calicem ?*

R. « Si propter frigus, vel negligentiam Hostia consecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur, faciendo cæremonias et signa consueta cum residua parte Hostiæ, quæ non est madefacta Sanguine, si commode potest. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat, omittendo signa, et sumat pariter Corpus et Sanguinem, signans se cum Calice, dicens : *Corpus et Sanguis Domini nostri etc.* » (Tit. X, n. 10.)

Q. 372. *Quomodo liquefaciendus est Sanguis congelatus in Calice ?*

R. « Si in hieme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis : si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope Altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat. » (Tit. X, n. 11.)

Q. 373. *Quæ diligentia adhibenda est, si aliquid de Sanguine Christi ceciderit : — 1° super terram, seu super tabulam ; — 2° super lapidem Altaris ; — 3° super linteamina Altaris, aut super Corporale, aut super vestes Sacerdotales, aut super tapetum ; — 4° super barbam ? Quid si totus Sanguis effundatur et nihil omnino remaneat in Calice ?*

R. I. 1° « Si per negligentiam aliquid de Sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur ; cinis vero in sacrarium recondatur. »

2° « Si vero super lapidem Altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projiciatur. »

3° « Si super linteum Altaris, et ad aliud linteum

stilla pervenerit ; si usque ad tertium : linteamina ter abluantur ubi stilla ceciderit, Calice supposito, et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solum Corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, et ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno, vel tapeto, bene abluatur, ut supra. » (Tit. X, n. 12.)

4° Si aliquid de Sanguine Christi ceciderit super barbam Sacerdotis, aliqui auctores volunt in casu barbam esse abluendam, abradendam, et abrasionem esse comburendam. Sed videtur sufficere, ait Gavantus, si barba pluries lavetur ; barbæ enim merito æstimatur esse parcendum magis, quam tapetibus, pro quibus supra dictum fuit sufficere diligentem ablutionem. (*Thesaurus Sacrorum Rituum*, Pars III, Tit. X, n. 12.)

II. « At si contingat totum Sanguinem post consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, et de effuso reliquo Sanguine fiat, ut dictum est. Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco : *Simili modo postquam cœnatum est etc.*, facta prius tamen Calicis oblatione, ut supra. » (Tit. X, n. 13.)

Q. 374. *An, si effunditur vinum purificationis, Sacerdos tenetur ad aliquam ablutionem faciendam ?*

R. Rubrica de hoc casu silet ; sed Sacerdos tenetur saltem aliquam adhibere diligentiam, qualem recta ratio dictat necessariam ad obviandum irreverentiæ ; ideo locus abluatur et abradatur sicuti in casu effusionis Sanguinis ; aut linteamina saltem unica lotione abluantur, et ablutio in sacrarium projiciatur.

Q. 375. *A) Quid faciendum si sacra Eucharistia evomatur ? — B) Post quod temporis spatium vomitus censetur non amplius comburendus ?*

R. A) « Si Sacerdos evomat Eucharistiam, si species integræ appareant, reverenter sumantur, nisi nausea fiat : tunc enim species consecratæ caute separentur, et in aliquo loco sacro reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium projiciantur. Quod si species non appareant, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur. » (Tit. X, n. 14.)

B) Prudenter reputantur sacræ species satis corruptæ post quadrantem pro minori Hostia, et post semihoram pro majori Hostia et vino, ut vomitus possit negligi ; nisi ex stomachi extraordinaria dispositione timendum sit, eas, tanto quidem interjecto temporis spatio, nondum esse corruptas.

Notat Quarti in suis Commentariis in Rubricas Missalis (Pars III, Tit. X, n. 14, d. 1), quod, si præsumendum non est species esse corruptas, exspectandum sit ad comburendum donec præsumi possit eas esse corruptas ; etenim sacræ species, quamdiu integræ sunt aut non corruptæ, citra sacrilegium comburi non possunt.

Q. 376. *Quid faciendum est, si Hostia consecrata, aut ejus particula dilabatur : 1° in terram ; — 2° in mappam, aut in aliquod linteum ; — 3° in barbam, aut vestem communicantis ?*

R. 1° « Si Hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur, et locus ubi cecidit, mundetur, et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittantur. » Tit. X, n. 15.)

Paucis hanc regulam, ob rei momentum et SS. Sacramenti reverentiam, explicare juvat pro casu quo in distributione Communionis S. Hostia in terram dilabatur.

Dicitur A) reverenter accipiatur. Sacerdos statim a distributione abstineat, et mox ad locum accedens genuflexus S. Hostiam reverenter accipiat, eamque in Pyxidem reponat, ut postea sumendam tradat. Quod si S. Hostia cecidisset in locum sordidum, ut fieri potest tempore pluvioso, et ipsa sordida non amplius sine nausea posset sumi, servetur in Tabernaculo, loco separato, donec corrumpantur species, quæ corruptæ deinde in sacrarium mittantur.

Dicitur B) locus ubi cecidit, mundetur. Quando, quomodo, et a quo debet locus mundari ?

Quando ? Rubrica expresse illud non dicit, nisi ex contextu quis autumet concludendum, statim post acceptam S. Hostiam omnia sequentia præscripta esse peragenda. Et hoc quidem a mente rubricæ non alie-

num animadvertet qui memor erit rubricam supponere præsentem ministrum, qui « dextera manu tenens vas cum vino et aqua, sinistra vero mappulam, aliquanto post Sacerdotem eis (communicatis) porrigit purificationem, et mappulam ad os abstergendum. » (Ritus, Tit. X, n. 6. Cfr. Rituale Romanum, *Ordo administrandi S. Communionem*, Tit. IV, Cap. 2, n. 1.) Si rubrica hæc in desuetudinem non abiisset, patet quod Sacerdos in casu sub manu haberet necessaria ad locum illico mundandum. Verum hic usus jam generatim obsolevit, et proinde ad solutionem casus hæc non conducunt.

Dici potest circumstantias debere in his adjunctis determinare quando sit locus mundandus.

Quidam auctores cum S. Alphonso (*Theologia moralis*, Lib. VI, n. 250) generatim pro omni supposito casu dicunt, quod « primo tegendus est locus panno lineo mundo, et postea abluendus, » nempe post terminatam S. Communionis distributionem. Hoc admitti potest pro casu quo S. Hostia in terram cecidit, non inter communicantes, sed ante mensam, ubi solus stat aut procedit Sacerdos.

Ast in casu quo S. Hostia dilaberetur post mensam inter communicantes, dicendum est, rectius, commodius et ad reverentiam erga SS. Sacramentum aptius fieri, si statim post acceptam S. Hostiam locus ubi cecidit mundetur. Etenim in omni casu debet advocari minister qui necessaria adferat, et hic potest adferre tam aquam et linteum ad locum mundandum, quam pannum ad locum tegendum ; insuper, si statim locus non mundaretur, continua requireretur diligentia et sollicitudo, ne qui sequentes accedunt ad S. Communionem, pannum superpositum loco deturbent, neve pedibus conculcent.

Quomodo locus mundabitur ? Adhibebitur aqua, et purificatorium quo locus lavetur.

A quo debet locus mundari ? Si adesset alius Sacerdos aut Diaconus, congrue ab eo, superpelliceo induto, locus mundaretur ; alias ipsi Sacerdoti S. Communionem distribuenti munus incumberet.

Dicitur C) locus aliquantulum abradatur. Hæc abrasio, quæ fit ad majorem erga SS. Sacramentum reveren-

tiam ostendendam, ne quod immediate tetigit S. Hostia pedibus postea conculcetur, levissima esse potest : dicit enim rubrica : *aliquantulum*. Fit mediante cultello, aliove instrumento mundo, quo de pavimento pulvis aliquis, de tabulato autem secamenta pauca auferantur.

Quæ ablata fuerint debent in sacrarium immitti.

2° « Si ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur. » (Tit. X, n. 15.)

3° Accipiatur a Sacerdote Hostia reverenter et diligenter; ad evitandam autem turbationem populi, ordinarie omitti posse ablutionem barbæ aut vestis, dicunt varii auctores a S. Alphonso citati. (*Theologia moralis*, Lib. VI, Tract. III, n. 250.) Si Hostia aut particula dilaberetur in mulierem, ita ut non nisi indecenter a Sacerdote posset accipi, mulier, et non Sacerdos, debet Hostiam aut particulam accipere, et in Pyxidem reponere, et demum lavare digitos.

Q. 377. *Enumera plures defectus, qui possunt in ministerio ipso occurrere, ex ignorantia rituum et cæremoniarum, vel ex fragilitate, vel ex negligentia.*

R. « Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si Sacerdos ignoret ritus et cæremonias ipsas in eo servandas, de quibus omnibus in superioribus Rubricis copiose dictum est. » (Tit. X, n. 1.)

Perutile visum fuit præcipuos hic demonstrare errores, qui facile et frequenter in sacrosancta Sacrificii actione committuntur ; quos perlegendo, animadvertet non raro quis unum alterumve in re divina conficienda jam admissum, vel ex ignorantia, vel ex negligentia, vel ex fragilitate ; probeque cognoscet quid sibi remaneat præstandum aut vitandum, ut omnia rite et secundum ordinem fiant.

I. Prius indicantur errores quidam, qui per totum Sacrificium, ad diversas ejusdem partes, pluries irrepunt:

1. Non accurate se Cruce signare, eam efficiendo quin frons, aut pectus, aut humeri tangantur.

2. Signa Crucis super oblata aut alias res benedicen-

das non distincte facere, sed tantum aliquem motum informem digitorum aut manus præstare.

3. Negligere inclinationum diversitatem, non faciendo sicut oportet profundas, mediocres, et simplices, tum corporis, tum capitis ; et alteram pro altera exsequi.

4. Exsequi cæremonias ante aut post tempus assignatum : incipere *Kyrie eleison*, *Munda cor*, ante accessum ad Altaris medium ; dicere conclusionem ultimæ Postcommunionis, aut finem ultimi Evangelii, procedendo versus Altaris medium.

5. Legere preces festinanter, pronuntiare verba obscure et negligenter, eaque mutilare aut omittere : *Nomene Patris, Confiteor Deo nipotenti, Kyreléson, Quivis et regnas, Lectio pistolæ, Promnia sæcla, Hosan in excelsis, Domi non sum dignus*, vel quod minime verum est *Domine sum dignus, Domne xaudi rationem, etc.* — Observa quemcumque Sacerdotem jactantem quod possit Missam celebrare intra tertiæ partis horæ spatium, et audi ipsum legentem, ex. gr., ultimum Evangelium S. Joannis ; impune poteris summum ipsi promittere præmium, si distincte hoc legerit. Et ita de cæteris.

6. Alta voce proferre quæ voce media aut secreta sunt dicenda, et vicissim ; ex. gr., dicere voce clara : *Orate fratres*, trisagion *Sanctus, Nobis quoque peccatoribus, Domine non sum dignus.*

7. Stare ad Altare cubitis aut brachiis mensæ innixis ; caput aut corpus movendo seu agitando ; pedibus non in eadem linea juxtapositis.

8. In junctione manuum ante pectus, conjungere, non palmas, sed tantum digitorum extremitates.

9. Festinanter genuflexiones facere, inde a Consecratione usque ad Communionem.

II. Describuntur varii errores in particularibus partibus Missæ commissi :

10. Cum defertur Calix a sacristia ad Altare, in transitu ante Altare ubi requiritur aliqua reverentia præstanda , ad quamcumque reverentiam biretum deponere.

11. Non totaliter se convertere ad populum, cum id præscribitur ad dicendum *Dominus vobiscum*.

12. Oculos elevare ad Crucem, cum dicitur *Orenus* ; aut cum pronuntiatur nomen *Jesu*.

13. Caput inclinare versus Crucem, cum dicitur conclusio *Qui vivis*, vel *Qui tecum vivit*.

14. Manus non conjungere in conclusione Orationis ad verba *Per Dominum* ; aut eas in conclusione *Qui vivis*, *Qui tecum vivit*, jam conjungere antequam dicatur *in unitate*.

15. Dicere Graduale voce diversa ab ea qua lecta fuit Epistola, seu voce mediocri potius quam clara.

16. Manus ponere junctas super Altare, cum dicitur *Munda cor*.

17. In principio Evangelii, pro signis Crucis efficere, ungue potius quam interiori pollicis parte, lineam quasi anguineam a fronte ad pectus, in qua lineæ crucium diversarum nullo modo possint distingui.

18. Ad oblationem Hostiæ, oculos tenere elevatos versus Crucem per totam Orationem *Suscipe* ; et signum Crucis cum patena super corporale jam efficere, priusquam Oratio *Suscipe* fuerit absoluta.

19. Incipere Orationem *Deus qui humanæ, etc.*, interea dum vinum in Calicem infunditur.

20. Ad oblationem Calicis, oculos non tenere elevatos versus Crucem per totam Orationem *Offerimus*.

21. Incipere *Te igitur* ad Canonem, priusquam corporis inclinatio fuerit incœpta, et manus junctæ super Altaris oram fuerint positæ.

22. In fractione S. Hostiæ, citius quam oportet dicere verba : *Per eumdem Dominum, etc.* ; et non facere priorem fractionem interea dum dicitur : *Per eumdem.... tuum*, et alteram dum dicitur : *Qui tecum vivit, etc.*

23. Ante absolutam Orationem *Hæc commixtio, etc.*, jam tergere digitos, Calicem palla cooperire, genuflectere.

24. Dum dicuntur Orationes tres ante Communionem, non intendere oculos ad S. Hostiam.

25. Caput non inclinare, cum ad sumptionem S. Hostiæ et S. Sanguinis, in Oratione *Corpus*, vel *Sanguis Domini, etc.* pronuntiatur nomen *Jesu Christi*.

26. Dicere verba : *Calicem salutaris accipiam, etc.*, interea dum colliguntur fragmenta, et extergitur patena.

27. Nimiam diligentiam adhibere in collectione fragmentorum et extersione patenæ : sunt, et plures quidem, qui quadragies, imo quinquagesies, et ultra, indice extergunt patenam.

28. Ad sumptionem S. Sanguinis, exhaurire cum aspiratione et strepitu ; elevare Calicis pedem sursum, ita ut altitudinem oculorum superet ; et ad sumptionem purificationis et ablutionis labium Calicis in ore circumducere.

29. Ultimum Evangelium : *In principio, etc.*, festinanter legere, ita ut verba non accurate pronuntientur, et mutila tantum atque hiantia quædam proferantur.

30. Ad discessum ab Altari, biretum accipere priusquam facta fuerit genuflexio, vel inclinatio.

Sufficiat hos varios errores indicasse ; multo plures certe possunt committi, et committuntur ; ad eorum recognitionem præstat examinare expositionem ritus celebrandi Missam, et ad emendationem adhibere quæ convenit diligentiam.

Q. 378. *Indica quasdam causas defectuum et errorum in Missæ celebratione.*

R. Causas defectuum errorumque indagare si placet, præter alias sequentes exploratæ habentur :

1. Insufficiens cæremoniarum rituumque cognitio ; debitam enim scientiam semel in Seminario acquisisse non sufficit, sed iterato interdum studio retinere oportet ; quare sapienter monent nostra Statuta diœcesana (n. 25), ut « omnes Sacerdotes semel saltem in anno Rubricas Missalis perlegant. »

2. Nimia festinatio ; de hac S. Alphonsus de Ligorio : « Est defectus reprehensione dignus, vel ut melius dicam, est horrendum sacrilegium, nimis festinanter Missam celebrare ; quo fit, ut mutilentur verba, transponantur cæremoniæ, et vel ante, vel post tempus a Rubrica præscriptum peragantur, cum exigua devotione, et mala ædificatione circumstantium. » (*Liber de Cæremoniis Missæ*, Cap. XVII, n. 3.) Ea qua par est devotione et gravitate Missa profecto ab iis non celebratur, qui æstu quodam rapti, in id intendere videntur,

ut sacrum Altaris opus brevissimum faciant ; fieri enim nullatenus potest, ut in verbis enuntiandis, et actibus exsequendis, ea detur gravitas, sine qua exterior pietatis species, quæ tamen omnino necessaria est, existere nequit. Perpendant hæc isti, qui insolentius aliquando se jactant de sua celeritate, et inflatius derident perniciose bonos Sacerdotes digne celebrantes. De illis, ait S. Alphonsus loco citato, dici potest « quod non timent Dominum, neque custodiunt cæremonias ejus. » (IV Regum, XVII, 34.) Funesta hæc festinatio parit negligentiam, tepiditatem, imo contemptum, causas errorum et defectuum ; et aufert omnem fervorem, pietatem, rerum sacrarum æstimationem, spiritumque fidei, sine quibus Sacerdos ad Altare accedere non debet.

3. Fragilitas humana ; qua et boni, timoratique, ac diligentes nonnumquam inscienter deficiunt. Quam facile enim irrepat error in agendo, optimi quoque experiuntur. Ut hæc tollatur errorum causa, summopere optandum est, ut non solum, juxta Statuta Diœceseos, ritus et cæremoniæ debito tempore perlegantur, sed et aliquando instituatur factorum disquisitio, explorando Summarium Cæremoniarum quod proponitur in Appendice I (QQ. 266-273) ; imo, utilissimum esse experientia constat, ut unusquisque habeat amicum, ad pietatem et Sacerdotalis officii decus incensum, qui aliquando celebrantem inspiciat, et de erroribus admissis moneat.

APPENDIX AD TRACTATUM

DE EXPLICATIONE PRÆCIPUARUM PARTIUM MISSÆ, ET RITUUM AC CÆREMONIARUM CUJUSQUE PARTIS

379. — « Olim non tanto exterioris apparatu decoris Missarum solemnia celebrabantur, nec ab uno quolibet hæc omnis religiosi obsequii gloria consummata et perpolita est. Pontifices quippe sacri, splendida Romanæ sedis luminaria, sicut diversis temporibus affulserunt, ita paulatim studii sui claritate, venustatem hujus salutaris officii perfecerunt. Et sicut traditum a Domino per Moysem sacrificii veteris ordinem, præcipue David et Salomon (III Reg. 7), sacerdotum et levitarum ministerio (I Paral. 23), cantorum multiplici numero, psalmorum divinorum tripudio, templi vel altaris illustri gloria, sacrorumque multitudine vasorum, splendidius amplificaverunt ; sic traditum a Domino mirabilem novi sacrificii ritum, per primos apostolos sancta Romana Ecclesia suscipiens, religiosa fide amplexata est, fideli cura conservavit, diligenti apparatu exornavit..... Studiosa divinæ legis Ecclesia Romana paulatim protulit de thesauro suo nova pietatis monumenta, et quoddam velut ex auro lapidibusque pretiosis religiosi officii sancto sacrificio fabrefecit diadema. » (Rupertus, abbas Tuitiensis, *De divinis Officiis Libri XIII*, L. II, c. 21. Cfr. Migne. Tom. 170.)

« Finis omnium cæremoniarum et verborum, quæ ab Ecclesia (Apostolis eorumque successoribus) instituta sunt in administratione sacramentorum, et nominatim sacrificii eucharistici, potissimum duplex est : proxime ut res ipsa essentialis, quæ agitur, distinctius declarata velut ob oculos ponatur, atque convenienti majestate et externo cultu condecoretur ; consequenter deinde ut excitetur et foveatur congruentior dispositio ac devotio in animis fidelium, ad cultum Deo exhibendum et majorem fructum percipiendum. » (Franzelin, *De Sacramento Eucharistiæ*, Thes. VII.) Eas adhibuit pia mater

Ecclesia, « ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur. » (Concilium Tridentinum, Sess. XXII, *De Sacrificio Missæ*, Cap. V.)

Cæremoniarum significationes nosse, nihil antiquius, nihil potius esse debet Sacerdotibus, quibus datum est nosse mysteria regni Dei : sed et cum sint ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei, ideo Ecclesia præcipit, non tantum ut et ipsi sacros Ritus intelligant, sed et ut eorumdem Rituum intelligentia populum fidelem solerter imbuant.

« Ne (dicit Concilium Tridentinum, Sess. XXII, *De Sacrificio Missæ*, Cap. VIII) oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis : mandat S. Synodus Pastoribus, et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant ; atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis, et festis. »

Inter cæremonias Missæ sunt quidem quamplurimæ et usu et origine mysticæ. Aliæ tamen quoque sunt, quæ exordium et institutionem suam necessitati, commodo et decoro debent. Eas omnes ad tres classes reducit Suarez (In III, disp. 84, sect. 1, nn. 2, 3, 4) :

« Primo quædam ex cæremoniis Missæ inductæ sunt solum, ut hoc sacrum mysterium *debita honestate, modestia, ac reverentia* peragatur : unde constat, hujusmodi cæremonias non solum convenientes, sed moraliter etiam esse necessarias ; et ideo summa prudentia esse ab Ecclesia institutas. »

« Secundo sunt aliæ cæremoniæ institutæ *per se primo propter exteriores actus latriæ exercendos*, quæ etiam convenientissime institutæ sunt. »

« Tertio sunt aliæ cæremoniæ, quæ *specialiter sunt propter significationem* (*moralem vel mysticam*) institutæ, non quod non pertineant etiam ad ornatum, neque quod cultum etiam aliquem non contineant, sed quod *principaliter propter significationem* ordinatæ sint. »

Materiam hanc inexhaustam præsentis fasciculi finis, variaque in Seminario studia non permittunt longius explicare, sed tantum summis digitis contingere : quædam explicationes brevissime traditæ passim fuerunt in Tractatu de Rubricis Missalis Romani. Ad ædificationem et doctrinam nostrorum Sacerdotum, in fine præsentis Tractatus de Missæ celebratione proponitur brevior expositio, quam in sua Theologia morali describit Ernestus Müller, Seminarii clericorum Vindobonensis olim Rector (Editio anni 1876, Lib. III, Tract. 1, §§ 14, 15, 16), et additur in fine Index præcipuorum auctorum, qui SS. Missæ Sacrificium commentati sunt, et pro communi hujus materiæ studio probati habentur.

Expositio cæremoniarum Missæ

Divisio

380. — In ritibus et cæremoniis, quibus Ecclesia in Missæ celebratione utitur, res altissimæ latent, quas accurate nosse sacerdoti plurimum proderit, ut sacrosanctum altaris sacrificium omni, qua opus est, pietate, reverentia ac devotione celebret.

Cumque in Missa offeratur verum et proprium sacrificium, quo simul cruentum sacrificium crucis incruente repræsentatur : ideo cæremoniæ et ritus Missæ duplici modo considerari possunt et debent : 1° quatenus Missæ sacrificium est repræsentatio sacrificii crucis, et 2° quatenus idem est verum et proprium sacrificium, in quo salutaris virtus sacrificii a Christo Domino in cruce peracti nobis copiosissime applicatur.

Et secundum hanc duplicem distinctionem modo ritus et cæremonias Missæ explicabimus.

ARTICULUS I

Explicatio Missæ, quatenus in ea repræsentatur sacrificium crucis

381. — 1. Christus patiendo et moriendo in cruce sacrificium pro redemptione generis humani consummavit. Passio et mors Domini est centrum totius œconomiæ divinæ et salutis humanæ ; et ut tale etiam

in Missa consideratur et repræsentatur. Videlicet, primum innuitur præparatio redemptionis et salutis nostræ, antequam Christus advenisset ; deinde incarnatio commemoratur, qua Christus (secundum humanam naturam) est destinatus et institutus ad opus redemptionis peragendum (Hebr. 10. 5. et seq.), porro tota ipsius vita passionem et mortem in cruce antecedens pie recolitur ; posthac vero passio et mors Salvatoris nostri divini fere in medio liturgiæ tamquam res principalis et centralis mystice repræsentatur ; sed et resurrectio et ascensio Christi, quibus mysterium passionis gloriosa victoria, splendidoque triumpho est coronatum, manifeste memoratur ; nec non iterum venturus cum gloria ad suos quoque glorificandos haud dubie præsignatur. Seu aliis verbis : sistitur in Missa Christus — Patribus promissus et ab eis desideratus, — nobis datus, nobis natus, — pro nobis in mundo conversatus, — passus, crucifixus et mortuus, — resurrectione et ascensione glorificatus, et iterum venturus ad suos glorificandos. Hoc modo ritus Missæ veluti compendio quodam exhibent præcipua charitatis beneficia a Christo nobis præstita, eum in finem, ut illa recolentes piis gratitudinis et amoris, reverentiæ et devotionis, contritionis et fiduciæ affectibus inter sacra accendamur, atque simul ad Christi imitationem, præprimis patiendo cum illo et spiritualiter moriendo, efficaciter incitemur, juxta Ecclesiæ monitum : « *Imitamini, quod tractatis, quatenus mortis Dominicæ mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis et concupiscentiis omnibus procuretis.* » (In ordinatione Presbyteri.)

§ I. Christus a Patribus desideratus

2. — Sic ab *initio Missæ usque ad Introitum* inclusive significatur.

Etenim, dum in Psalmo « *Judica* », in Confessione generali et in versiculis : *Deus tu conversus etc., Ostende nobis Domine etc.*, exhibetur homo exul, ab inimicis afflictus, culpis constrictus, qui Dei misericordiam, veritatem et gratiam enixe desiderat : nonne in eo apte signantur Patres, sub acerbis peccati miseriis gemen-

tes, propitiationem et redemptionem per Messiam promissum vehementer desiderantes ? Item per Introitum, qui plerumque ex Veteri Testamento est compositus, clamores veterum Patrum Messiæ adventum exspectantium, in memoriam revocantur ; (1) similiterque per Antiphonæ repetitionem frequentes illorum clamores designantur. (2)

Legitur Introitus in sinistro cornu altaris, in quo significantur Judæi, sicuti in dextro gentiles, quia ex populo Judæorum Christus carnem assumpsit. (3)

§ II. Christus — nobis datus, nobis natus

3. — Tempus miserendi et salvandi homines advenit incarnatione Verbi, ideoque Introitum excipit invocatio, *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison,* quasi Ecclesia dicat : Sancte Pater, qui filium tuum misisti, ut ex Virgine Maria nasceretur, miserere nobis ; Christe, Fili Dei, qui ex Maria Virgine incarnari dignatus es, miserere nobis ; Sancte Spiritus, qui Mariam Virginem tua gratia implevisti, quando Christum concepit, miserere nobis. (4) Nativitatem Domini Angelicus Hymnus *Gloria in excelsis Deo,* nobis in memoriam vivide revocat.

Cumque Christus jam infans totus fuerit in precibus pro genere nostro ad Patrem in cœlis fundendis, Hymnum Angelicum convenienter sequitur Oratio seu Collecta.

§ III. Christus — in mundo conversatus, passus, sparso verbi semine

4. — Quæ sequuntur usque ad Evangelium exclusive, designant prædicationem S. Joannis B. et vitam absconditam Christi. Legitur Epistola ante Evangelium, ut indicetur munus præcursoris Christi, qui venit

(1) Benedictus XIV. : De SS. Missæ sacrificio Lib. II. cap. 4. cum aliis.
(2) S. Bonaventura : Expositio Missæ cap. 3.
(3) S. Bonaventura : op. c. cap. 2.
(4) Idem l. c.

parare vias ejus. (1) — Modo legitur de antiquo, modo de novo Testamento, quia Joannes ad utrumque spectat. (2) — Legitur in cornu sinistro altaris, quia Judæi primi vocati sunt ad Evangelium. (3)

Graduale laboris dolorisque signum est : multi per Joannis prædicationem conversi sunt ad pœnitentiam.

Alleluia, signum est consolationis, et jubilationis : gaudebant discipuli in conversatione cum Christo.

Tractus exprimit pœnitentiæ mœrorem ; *Sequentia* ejusdem rationis sunt cum Alleluja. (4)

5. — Succedit lectio *Evangelii*, qua prædicatio Christi significatur. (5) — Transfertur Missale a cornu sinistro ad dexterum altaris, ut indicetur, verbum salutis, quod Judæi respuerunt, missum esse ad gentes ; quemadmodum translatio Missalis in fine Missæ ad cornu Epistolæ innuit, quod Judæi in fine mundi ad fidem convertentur. (6)

Missale, dum Evangelium legitur, oblique versus altaris angulum positum est, ut significetur Evangelium prædicandum esse omnibus gentibus. Evangelium incipit per verba : *In illo tempore*, nempe quo Christus vivebat in terra vel prædicabat, nisi initium Evangelii exprimat tempus, quo narrata evenerunt.

Et quia multi prædicationi Christi et Apostolorum crediderunt, Evangelicæ lectioni subsequitur *Symbolum* fidei, in quo manifesta est fidei professio et doctrinæ sequela.

6. — Cum vero Lazaro resuscitato multi in Chri-

(1) Innocentius III. : De mysteriis Missæ Lib. II. c. 29. Benedictus XIV. : De SS. Missæ sacrificio Lib. II. c. 5. n. 11.

(2) Innocentius III. : op. c. Lib. II. c. 29.

(3) Benedictus XIV. : op. c. Lib. II. c. 6. n. 6.

(4) Innocentius III. : op. c. Lib. II. c. 31. Finita Epistola Subdiaconus manum osculatur celebrantis sacerdotis, quia Joannes ad Christum discipulos destinavit : et sicut Christus laudavit Joannem, ita sacerdos benedicit Subdiacono. Rupertus : De divinis officiis Lib. I. cap. 32.

(5) Quoniam autem Jesus misit Apostolos etiam tunc temporis, prædicare regnum Dei, ideo celebrans sacerdos dat benedictionem Diacono Evangelium lecturo. Innoc. III. : op. c. Lib. II. c. 35.

(6) Innoc. III. : Lib. II. c. 34. Benedict. XIV. : De SS. Missæ sacrif. Lib. II. c. 9. n. 6. ; S. Alph. et alii.

stum crediderint, pontifices et Pharisæi collegerunt consilium et cogitarunt, ut interficerent eum. Jesus autem non palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem, quæ dicitur Ephrem, et ibi morabatur cum discipulis suis (Joan. 11.), et secreto docebat, orabat et Patri suo ad instantem passionem et mortem se offerebat. Hæc significantur per ea, quæ *Offertorii* nomine in Missa fiunt. Scilicet latibulum Christi eo notatur, quod submissa voce Offertorium dicitur. (1) Quod Christus voluntarie se obtulit Patri ad mortem, quam pontifices et Pharisæi moliebantur, pro nobis sustinendam, designatur per oblationem panis et vini tamquam mox consecrandi (unde dicitur *hostia immaculata, calix salutaris*). Rursus mortem Christi instantem exprimunt signa crucis, quæ supra oblata fiunt. Miscetur aqua vino in calice offerendo, ut ob oculos ponatur quod e latere Christi aqua simul cum sanguine exierit. (2)

7. — *Præfatio* quid aliud significat, nisi triumphum Christi in die Palmarum, quo turbæ discipulorum gaudio exsultantes et Angelis concinentes laudabant Dominum : *Benedictus, qui venit in nomine Domini : Hosanna in excelsis.* (3)

8. — In eis, *quæ ab initio Canonis, usque ad Consecrationem* sequuntur, latet historia a die Palmarum usque ad crucifixionem Christi. Oravit divinus Redemptor proxime ante passionem, sublevatis oculis in cœlum, ad Patrem pro Ecclesia sua, nempe pro discipulis et eis, qui per ipsum essent crediturі, et oravit, ut in hoc mundo *serventur a malo*, et *omnes sint unum*, atque in futura vita *sint cum ipso in gloria cœlesti*, Joan. 17. ; similiter et plane ad ipsius exemplum sacerdos orat initio Canonis, elevatis pariter oculis, pro Ecclesia catholica, ut clementissimus Pater eam *custodire, adunare* (unire) et *regere* dignetur, orat specialiter pro Summo Pontifice centro unitatis (« unitas enim sacerdotalis a Petri cathedra exorta est, » ut S. Cyprianus dicit), pro epi-

(1) S. Bonaventura : Expositio Missæ c. 3. Innocentius III. : De myster. Missæ Lib. II. c. 54.
(2) Conc. Trid. Sess. 12. cap. 7.
(3) Innocentius III. : op. c. Lib. II. c. 61.

scopo, a quo et cum quo unitas foveri debet, orat pro omnibus fidelibus, ut a Deo protegi et æterna gloria perfrui mereantur. Tria signa crucis, quæ formantur ad verba : *hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia illibata*, significant, quod Christus a Deo Patre pro nobis traditus est, Rom. 8. 32, quod Christus semetipsum pro nobis tradidit, Isai. 53. 12, et quod Judas eum manibus inimicorum tradidit. (1) Quinque crucis signa, quæ fiunt ad verba : *benedictam, adscriptam* etc. in mentem vocare possunt diversas passiones, quas Christus usque ad crucem pertulit : irrisiones apud pontifices, Pilatum et Herodem, flagellationem et coronationem cum spinis. (2) Totus Canon recitatur secreto, ut indicetur, quod Christus false accusatus nihil dicebat ; sed sicut ovis ad occisionem ductus est, et quasi agnus coram tondente se obmutuit et non aperuit os suum. Isai. 53. 7. (3)

§ IV. Christus — crucifixus et mortuus, resurrectione et ascensione glorificatus, iterum venturus ad suos glorificandos

9. — Passionem Domini cruentam in cruce per separatam panis et vini consecrationem mystice repræsentari, neminem latet. *Elevatio hostiæ et calicis* innuit Christum in cruce exaltatum. *Fractio hostiæ* (præter alia infra explicanda) mystice significat, Christum in cruce pependisse flagellis in toto corpore scissum, (4) viribus fractum, attritum propter scelera nostra. Isai. 53. 5. *Pater noster* orationem Christi in cruce pendentis significat. Dum dicitur : *Agnus Dei, qui tollis peccata*

(1) Ita S. Bonaventura : Expos. Missæ cap. 4.

(2) S. Bonaventura l. c. censet, per illa signa indicari, quod Christus in quinque sensibus passus est. S. Thomas 3. q. 83. a. 5. ad 3. dicit, ad designandum, quod Christus venditus est sacerdotibus, scribis et Pharisæis, fieri trinam crucem ; et ad designandam personam Judæ venditoris et Christi venditi, duplicem crucem addi.

(3) S. Bonaventura op. cit. cap. 4.

(4) S. Thomas : « Fractio hostiæ *primo* quidem significat ipsam divisionem corporis, quæ facta est in passione. » 3. q. 83. a. 5. ad 7.

mundi, mentibus nostris obversatur Christus, qui summa mansuetudine pertulit passionem ad satisfaciendum Patri pro peccatis mundi. Fiunt repetitis vicibus signa crucis super hostiam et calicem ad commemorandam virtutem crucis et modum passionis Christi (1). In specie, *quinque* crucis signa fiunt in memoriam quinque vulnerum, quibus Christus erat transfixus. *Tria* signa crucis designare possunt extensionem corporis et effusionem sanguinis et fructus passionis (2), vel passiones, quas Christus in anima, in corpore et in honore sustinuit, vel tres horas, quibus Christus a sexta usque ad nonam pependit in cruce (3). Nil Ecclesia prætermittit, quo in animis imprimat sacerdotum et adstantium, idem esse sacrificium altaris cum sacrificio crucis ; atque ideo vult, ut omne verbum, quod exprimat corpus et sanguinem Domini, cum signo crucis proferatur. Utinam præsertim sacerdotes post consecrationem animo sibi objicerent Jesum immolatum in cruce ! Ita Benedictus XIV (4).

10. — Mors Christi mystice repræsentatur communione sacerdotis, juxta Apostoli verba : « *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* » 1. Cor. 11. 26 (5).

11. — Resurrectio et ascensio Domini eo ipso commemoratur, quod Christus sub speciebus panis et vini præsens est immortalis et gloriosus, prouti est post resurrectionem et ascensionem : ideoque in oratione post Consecrationem dicitur, Missæ sacrificium offerri in memoriam passionis, nec non ab inferis resurrectionis sed et in cœlos gloriosæ ascensionis Domini nostri

(1) Idem 3. q. 83. a. 5. c.

(2) Idem. l. c.

(3) Has aliasque significationes, quoties signa crucis ad distincta verba fiunt, exponunt d. Thom. 3. q. 83. a. 5. S. Bonav. Exp. Miss. c. 4.

(4) De SS. Missæ sacrificio Lib. II. cap. 16.

(5) Arnold. S. J. De imitatione SS. Cordis Jesu Lib. IV. cap. 13. inducit Christum sic loquentem : « *Sed et in unaquaque anima, quæ sanctissimum participat Sacramentum, mortis meæ repræsentatio aliqua fit et commemoratio. Sicut enim per passionem in strato crucis amisi vitam mortalem, ita sacramentalem vitam amitto in corde fidelium per Communionem.* »

Jesu Christi. (1) Nihilominus tamen Antiphona, quæ dicitur *Communio*, lætitiæ symbolum, potest significare gaudium discipulorum viso Domino post ipsius resurrectionem ; (2) sicut repetita salutatio *Dominus vobiscum* innuit salutationem Christi Apostolis post resurrectionem apparentis : *Pax vobis*. Et dum sacerdos dicit : *Ite Missa est*, et populum *benedicit*, in mentem revocatur, quod Christus ascensurus Apostolos *remisit* Jerosolymam, ut manerent ibi et exspectarent Spiritum sanctum, et quod dein elevatis manibus *benedixit* eis, et ascendit in cœlum : nec non præsignatur, quod iterum venturus est judicare vivos et mortuos, « et se nobis ostendet, et fidelibus suis dabit benedictionem suam dicens : *Venite, benedicti Patris mei*, et tunc læti vadent in mansiones suas, de quibus dicitur : *In domo Patris mei mansiones multæ sunt*. Ad quas mansiones nos perducat ipse Pontifex, et Sacerdos, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat. Amen. » (3)

ARTICULUS II

Explicatio Missæ, quatenus in ea sacrificium verum et proprium offertur

382. — I. Ritus et cæremoniæ huc spectantes, referuntur partim ad *Christum*, quatenus est victima incruenta et offerens principalis, partim ad *materiam sacrificii*, panem et vinum, partim ad *sacerdotem*, qui est offerens secundarius, partim ad *Ecclesiam*, a qua et pro qua per sacerdotem sacrificium offertur ; porro ad id tendunt, ut sacrificii hujus majestas et salutaris virtus magis

(1) Non pauci arbitrantur, resurrectionem Domini eo significari, quod una pars hostiæ consecratæ calici immittitur et sanguini commiscetur. Sed si hoc ritu resurrectio Christi significatur, quo alio designatur ascensio ejus, cum in oratione post consecrationem dicatur etiam in ascensionis memoriam sacrificium offerri ?

(2) Innoc. III. De myst. Miss. Lib. VI, c. 10., vel ut S. Bonaventura op. c. c. 4. asserit, quod discipuli gaudium resurrectionis Domini mutuo sibi nuntiaverunt.

(3) S. Bonaventura op. c. cap. 4. in fine.

eluceat et commendetur ad sacrum hoc mysterium digne reverenterque offerendum ac percipiendum.

Ut jam hi ritus convenienter exponuntur, *tres* principales Missæ partes necesse est distinguere, nempe 1. præparationem sacerdotis populique ad celebrationem sacri mysterii ; dein 2. celebrationem ipsam mysterii, quod præcipue consecratione et communione peragitur ; 3. denique gratiarum actionem celebratione illius completa.

§ I. Præparatio ministri populique ad sacri mysterii celebrationem

2. — Hæc pars Missæ ab initio usque ad Canonem percurrit, totaque in eo est, ut sacerdos cum populo adstante per spiritualem purgationem, illuminationem et unionem cum Christo dignus existat tanto mysterio celebrando, fructibusque uberrimis exinde colligendis, atque in totam Ecclesiam diffundendis.

3. — A) *Purgatio* fit, cum ad altare accedentes humili miseriæ et peccatorum confessione, sanctis propositis, fiducialibus et instantibus precibus ad Deum directis, Sanctorumque simul suffragiis imploratis, nos rite disponere satagimus, ut « ad altare Dei, » « ad sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire per Chr. Dom. nostrum, » et obsecrata sanctissima Trinitate, ut misereatur nostri, illico Christum nobis datum, nobis natum, quasi pignus misericordiæ certissime consequendæ celebramus.

4. — B) *Illuminatio* intenditur per doctrinam Prophetarum et Apostolorum in Epistola, tamquam lucem a Christo communicatam, — per verba et facta Christi in Evangelio, tamquam solem, suo lumine totum mundum collustrantem, (1) — denique per fidei professionem in Symbolo : hæc enim omnia, dum fidem pietatemque excitant et augent, « sensus et corda illuminant, » seu efficiunt, ut crescat in mentibus lumen fidei, in

(1) S. Thomas : « Præmittitur instructio fidelis populi : quia hoc Sacramentum est mysterium fidei : quæ quidem instructio dispositive fit per doctrinam Prophetarum et Apost., perfecte per doctrinam Christi in Evangelio contentam. » 3. q. 83. a. 4. c.

cordibus splendor virtutum. Ideoque *Graduale* apte innuit profectum in virtutibus faciendum : (1) *Tractus* gemitum de defectibus commissis ; *Alleluja* designat gaudia regni cœlestis, ad quæ eundo de virtute in virtutem perveniemus. (2) Hæc enim consequi debent in populo ex prædicta doctrina. Populus stans audit Evangelium, et signo crucis in fronte, ore et pectore se signat, ut paratum se ostendat ad Christum sequendum, ejusque doctrinam libere et candide profitendam.

Præmittitur autem lectionibus salutatio, *Dominus vobiscum*, in signum communionis et pacis, qua clerus et populus Christo conjunguntur, (3) et recitatur *Oratio*, quæ *Collecta* etiam appellatur, vel quia sacerdos, qui veluti mediator est inter Deum et hominem, vota omnium colligit ; vel quia brevis est oratio, quam sacerdos recitat super populum congregatum ; vel quia omnes collectis in se animis cum sacerdote orare debent. (4)

5. — C) *Unio* cleri populique cum Christo pulcherrime designatur per oblationem, quæ in Offertorio fit. Etenim advertendum a) quod sacerdos offert panem et vinum non in se spectatum, sed ut mox consecrandum, (5) quapropter dicit : *Suscipe S. Pater — hanc immaculatam hostiam*, in quam panis hic est convertendus, — *Offerimus calicem salutaris*, in quem hic calix est redigendus ; et alioquin *panis significat corpus Christi*, quod in cruce fuit instar frumenti conculcati et igne decocti in panem ; atque *vinum significat sanguinem Christi*, qui effusus est instar vini in torculari expressi. Advertendum b) quod sacerdos et populus etiam semetipsos, tamquam mysticum Christi corpus in rebus oblatis figuratum, Deo offerunt : si quidem per panem, qui multis granis per aquam conficitur, datur intelligi, quod multi fideles per aquæ baptismum cum Christo conjuncti unum corpus Christi mysticum efficiunt ; (6) at-

(1) Idem l. c.
(2) S. Bonaventura : Exp. Missæ cap. 2.
(3) Benedictus XIV : De SS. Missæ sacrif. Lib. II. c. 5. n. 1.
(4) Idem l. c.
(5) Idem Lib. II. c. 10. n. 2. et n. 18. S. Alph. et alii.
(6) S. Bonaventura l. c.

que *mixtione aquæ et vini* in calice repræsentatur populi fidelis cum Christo capite unio, ut Conc. Trid. Sess. 22. cap. 7. docet. Sacerdos benedicit aquam, quæ significat populum, non vinum, quod Christum significat. (1) Itaque sacerdos offerens *panem et vinum* implicite et quasi anticipando offert *ipsum corpus et sanguinem Christi*, et simul offert *semetipsum, omnesque Christi fideles* per gratiam et gloriam in similitudinem Christi transformandos. Ideo etiam immiscens aquam vino, precatur : « *da nobis per hujus aquæ et vini mysterium ejus divinitatis esse consortes* » (per gratiam et gloriam). Et rursus, cum Deus non respiciat, nisi contritos et humiles corde, prosequitur : *In spiritu humilitatis et in animo contrito suscipiamur* (nos, sacerdos et populus fidelis, qui nosmetipsos Tibi offerimus) *a Te Domine, etc.* Atque fiducia erectus Spiritum Sanctum a quo omnis descendit sanctificatio, invocat : *Veni sanctificator omnipotens æterne Deus, et benedic hoc sacrificium* (panem et vinum, clerum et populum) *Tuo nomini præparatum* (panem et vinum ad transsubstantiationem in corpus et sanguinem Christi, clerum et populum ad transformationem in similitudinem Christi).

Dein post ablutionem manuum, qua designatur perfecta emundatio a peccatis etiam minimis, (2) et recitato Psalmo 25., in quo exprimuntur virtutes præcipue requisitæ ad digne celebranda sacra mysteria, sacerdos fiducia et humilitate pari ductus iterum SS. Trinitatem exorat, ut « *hanc oblationem* » (panis et vini, nec non mystici corporis Christi) suscipiat.

Sed imbecillitatis suæ conscius, ad circumstantium suffragia confugit dicens : *Orate fratres, etc.* Et ipse, qui alios ad orandum monuit, secreto quoque orat, ut sacrificium jam præparatum a Deo acceptetur.

6. — Jam instat sanctissima actio, per quam Christus, ad dexteram Patris sedens ceu victimam incruentam se sistet in altari : quocirca sacerdos et adstantes fideles « *sursum corda* » erigunt ad Dominum, et nihil

(1) Sicut in fine Missæ defunctorum non benedicitur populus, ita nec aqua, quæ eumdem populum significat. Benedictus XIV. op. c. Lib. II. cap. 10. n. 11.

(2) S. Thomas 3. q. 83. a 5. ad 1.

terrenum et humile, sed cœlestia et sublimia tantum cogitantes, totique Deo intenti, in *Præfatione* (seu prologio ad ss. actionis mysterium) Angelorum choris consociantur, et cum ipsis Dei laudes persolvunt : *Sanctus, Sanctus, Sanctus, etc.*, atque Christum mox ad altare venientem magnificant : *Benedictus, qui venit in nomine Domini : Hosanna in excelsis.*

§ II. Sacri mysterii celebratio

A. De iis, quæ ad consecrationem referuntur.

7. — Hæc habentur in *Canone*, qui est veluti firma regula perficiendi sacrificium. (1)

Canon intime cohæret cum Præfatione, quod indicatur per verba : *Te igitur*, quasi sacerdos in persona Ecclesiæ dicat : Quia admisisti, clementissime Pater, ut te cum Angelis laudaremus, fiducialiter jam accedimus ad thronum divinæ Majestatis Tuæ. (2)

Sacerdos commemorat I° res oblatas, *hæc dona*, a Deo nobis data, *hæc munera*, a nobis ipsi oblata, *hæc sancta sacrificia illibata*, vi consecrationis futuræ, quæ petit, ut Deus accepta habeat et benedicat ; — commemorat II° eos, pro quibus sacrificium offertur, nempe *Ecclesiam cath.* cum Papa etc., omnes *orthodoxos, atque catholicæ et apostolicæ fidei cultores*, i. e. prædicatores, fidei defensores, Ecclesiæ præsules et eorum subditos, (3) specialiter eos, qui offerunt vel pro quibus offertur hoc sacrificium laudis, *pro redemptione animarum suarum* a culpa et pœna, *pro spe salutis* æternæ, et *incolumitatis* suæ corporalis, Deoque *reddunt vota sua*, desideria, postulationes ; — commemorat III° glorio-

(1) Benedictus XIV. : « Canon idem valet ac regula : ea voce utitur Ecclesia, ut significet, Canonem Missæ esse firmam regulam, juxta quam N. T. sacrificium est celebrandum. Canonem S. Gregorius *Precem,* Vigilius *Textum Canonicæ precis,* S. Cyprian. *Orationem,* Walfredus et alii *Actionem* appellant ; quod in eo Sacramenta Domini conficiantur. » De Sacros. Missæ Sacrif. Lib. II, c. 12. n. 1.

(2) S. Bonaventura : Expos. Missæ c. 4.

(3) Idem. l. c.

sam semper Virginem Mariam, et Sanctos, quorum suffragia implorat ad ea impetranda, quæ petit.

Sanctorum « igitur » meritis suffultus atque precibus, rursus orat, ut Deus *hanc oblationem — placatus accipiat*, manusque extensas tenet super oblata, in corpus et sanguinem Christi mox convertenda : quo ritu se et populum cum Christo Deo offert, ut hujus sacrificii virtute impetret a Deo *pacem* in terris, *vitam æternam* in cœlis. (1)

Et prosequitur : « *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quæsumus, benedictam, adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris : ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.* » Sub hac oblatione non solum panis et vinum, sed Ecclesia ipsa in his significata intelligitur. (2) Hinc 1. sacerdos nomine Ecclesiæ orat, ut panis et vinum convertantur in corpus et sanguinem Christi ; qua transsubstantiatione oblatio fit *benedicta*, quia Christus est victima a Patre sanctificata et benedicta, *adscripta*, quia Christus est victima divinæ Majestati penitus devota et addicta, *rata*, quia ipse est victima a Patre tamquam perfecta adprobata, *rationabilis et acceptabilis*, quia ipse est æterna ratio et Deo Patri infinite placens, ad differentiam victimarum irrationalium, per se Deo non placentium, quæ in antiqua lege offerebantur. — 2. Sacerdos orat, ut nos ipsi in omnibus simus *benedicti*, gratiis divinis, *adscripti* numero electorum in libro vitæ (Apoc. 13. 8. ; 17. 8.), *rati*, firmi et stabiles in Dei servitio, *rationabiles*, corpus et passiones rationi, rationem Deo subdendo (Rom. 12. 1.) et *acceptabiles*, digni, ut in vitam æternam acceptemur ; *ut nobis corpus et sanguis fiat — Domini nostri J. Christi*, scilicet ut consecratio et oblatio nobis fiat fructuosa. (3)

8. — Nunc sacerdos adgreditur ipsum sanctissimum mysterium tractandum, quo Christus incruente se immolat, qui in cruce se ipsum cruente obtulit, multipliciter hactenus præsignatum. Succedit enim *Consecra-*

(1) Benedict. XIV. op. c. Lib. II. c. 14. n. 6.
(2) Idem : Lib. II. c. 15. n. 1.
(3) S. Thomas : 3. q. 83. a. 4. ad 7. S. Bonaventura op. c. cap. 4. Benedict. XIV. op. c. Lib. II. c. 15. n. 1. et 2.

tio. Ideo sacerdos quasi personam mutat, et Christum repræsentans iisdem verbis, quibus Christus in ultima cœna usus est, in consecrando pane et vino utitur.

Ad implendum mandatum Christi : « *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis* » (cum dicit « *Unde et memores* ») sacerdos etiam nomine Ecclesiæ (1) offert hoc sacrificium divinæ Majestati.

Et quum hæc oblatio, quamvis *in se* Deo Patri maxime sit accepta, tamen *ex parte sacerdotis vel populi* possit non esse accepta : ideo sacerdos Deum orat, ut supra hanc hostiam, prouti a ministro et populo offertur, *vultu propitio*, peccata remittendo, et *sereno*, gratias suas elargiendo, respicere dignetur ; uti olim supra munera Abel, Abraham et Melchisedech, quæ sacrificium altaris adumbrarunt et a Deo præcipue accepta habita sunt. (2)

Et illico hanc miræ profunditatis Orationem subjungit : « *Supplices te rogamus, omnipotens Deus : jube hæc perferri per manus S. Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ Majestatis tuæ* ». — Quibus verbis humillime precatur, ut *Angelus* assistens divinis mysteriis, vel (quod valde probabilius est) Christus ipse, qui in S. Script. dicitur magni consilii Angelus, sacrificium Corporis et Sanguinis *perferat*, non elevando, sed interpellando, *in sublime altare* i. e. in ipsum cœlum, *in conspectu divinæ Majestatis*, nempe ut illud sacrificium Deo Patri offerat et repræsentet ; vel secundum alios, ut Christus vota sua et supplicationes sacerdotis populique Patri repræsentet, pro Ecclesia interpellet ; vel adhuc ut Christus corpus suum mysticum, Ecclesiam inquam, quæ in hoc Sacramento significatur, cum Deo Patre et Ecclesia triumphante conjungat. (3)

Quid vero prohibet, quin multiplex ille sensus, facile

(1) Benedict. XIV. op. c. Lib. II. c. 16. n. 1.

(2) Benedict. XIV. op. c. Lib. II. c. 16. n. 10-21.

(3) Vid. Innocentius III. Myster. Missæ Lib. V. c. 6. S. Bonaventura : Expos. Missæ c. 4. S. Thomas : 3. q. 83 a. 4. ad 9. Bellarmin. : Lib. VI. de Missa c. 24. §. *Quinta objectio.* Suarez : De Euch. Sacrif. Disp. 83. Sect. 2. §. *Additur ultimo.* Benedictus XIV. De Missæ sacrif. Lib. II. c. 16. n. 24 et 25.

compossibilis, præfatis verbis inesse et vere intentus esse dicatur ? Igitur sacerdos orat a) ut Jesus Christus corpus suum et sanguinem repræsentet Deo Patri pro salute nostra, b) ut supplicationes Ecclesiæ simul Deo Patri offerat, et gratiam referat, c) ut ipsam Ecclesiam suam peregrinantem cum Deo Patre et Ecclesia triumphante consocietet conjungat. Ecce, quomodo ima summis sociantur, terrena cœlestibus junguntur, unumque ex visibilibus et invisibilibus fit. (1)

9. — Amplius, quemadmodum sacerdos Deum precatus est, ut Ecclesiam militantem in triumphantis consortium admittere dignetur, ita nunc idem petit pro Ecclesia patiente, orans, ut Deus fidelibus defunctis, *qui dormiunt in somno pacis*, quatenus securi sunt de sua salute et pœnas submisse tolerant, *locum refrigerii*, post ignem, *lucis*, post tenebras, *pacis*, post separationem a visione Dei, indulgeat *per eumdem Christum Dom. nost.;* ad verbum : *Christum* caput inclinans, in memoriam Christi qui inclinato capite tradidit Spiritum et ad inferos descendit. (2)

10. — Denique sacerdos specialiter *sibi ipsi et adstantibus*, quorum nomine offert sacrificium, idem consortium, nempe Sanctorum, Ecclesiæ triumphantis efflagitat, (3) *per Christum Dom. nost., per quem*, ut prosequitur, *hæc omnia*, naturalem panem et vinum, *Domine, semper bona creas*, quia per ipsum facta sunt et fiunt omnia, *sanctificas*, per oblationem, *vivificas*, per consecrationem, *benedicis*, per sacrificii effectus, *et præstas nobis*, per Communionem. *Per ipsum*, quatenus Christus est mediator Dei, et hominum, et *cum ipso*, ut est persona divina a Patre et Spiritu S. distincta, et *in ipso*, quatenus est unus Deus cum Patre et Spiritu S., « *est tibi* « *Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritus S. omnis honor* « *et gloria per omnia sæcula sæculorum.* » His verbis Canon finitur. (4) Respondet populus *Amen*, quasi confir-

(1) S. Gregorius M. Lib. IV. Dialog. c. 58.

(2) De Herdt : Sacræ liturgiæ praxis. Tom. II. n. 99. cum aliis.

(3) Benedict. XIV. op. c. Lib. II. cap. 18. n. 2.

(4) Sunt qui putant orationem Dominicam, quæ sequitur, adhuc partem Canonis efficere ; verior est tamen contraria opinio,

mans suo consensu, quæ omnium nomine sacerdos in Canone oravit. (1)

B. De iis, quæ ad Communionem referuntur

11. — Absoluto Canone fit ad Communionem præparatio, (2) equidem 1. per orationem Dominicam, 2. deinde per alias preces, quibus sacerdos a) instat in petenda liberatione ab omnibus malis, *præteritis*, quæ sunt peccata commissa, *præsentibus*, quæ sunt tentationes peccatorum, et *futuris*, quæ sunt pœnæ peccatorum seu temporales seu æternæ ; (3) — b) instat in efflagitanda *pace*, quæ et omnia bona complectitur et dignum Principi pacis præparat habitaculum. (4) Et quidem pacem a Deo implorat, postquam se signaverat *signo crucis*, Christus enim in cruce pacem nobis promeruit, *cum patena*, quæ est symbolum pacis, ob Eucharistiam in ea reponendam ; (5) — rursus dum partem S. Hostiæ calici immittit, de quo ritu infra ; — deinceps cum orat : *Agnus Dei qui tollis peccata mundi*, si quidem Christus pro peccatis nostris satisfaciendo pacem restituit ; — denique in prima ex tribus orationibus, quæ Communioni præmittuntur. (6) Specialiter pro se sacerdos in II^da^ oratione postulat remissionem peccatorum et donum perseverantiæ, et in III^tia^ petit, ut Sacramentum sibi prosit *ad tutamentum mentis et corporis* contra hostes salutis, contra peccata spiritualia et corporalia, et *ad medelam percipiendam*, nempe concupiscentiæ ut diminuatur, et vitiorum ut exstinguantur.

quæ statuit, Canonem ad sextam Orationem illis prædictis verbis terminari. Benedictus XIV. Lib. II. c. 19. n. 1.

(1) Idem Lib. II. c. 18. n. 6,

(2) S. Thomas : 3. q. 83. a. 4. c. Benedictus XIV. op. c. Lib. II. c. 19. n. 1. et alii communiter.

(3) Benedict. XIV. Lib. II. cap. 19. n. 7.

(4) Continet pax 1. amicitiam cum Deo, 2. tranquillitatem animi et serenitatem in tentationibus et persecutionibus, 3. mutuam inter ipsos homines concordiam. Ita *Corn. a Lap.* in Joan. 14, 27.

(5) Benedictus XIV. Lib. II. c. 19. n. 11.

(6) In Missis tamen defunctorum, in quibus sacrificium offertur non pro pace præsenti, sed pro requie mortuorum, pax omittitur. S. Thom. 3. q. 83. a. 4. c.

12. — Sed his ut innuimus *fractio S. Hostiæ* interponitur, mysteriis plena. Per eam designatur, ut supra Art. 1. n. 9. diximus, Christus in cruce scissus propter scelera nostra ; sed amplius significatur etiam multiplicitas fructuum ex sacrificio dimanantium. (1)

Nimirum dividitur Hostia in *tres* partes, ut exprimatur sacrificium altaris prodesse Ecclesiæ militanti, patienti et triumphanti : pars *una* calici immissa significat, Missam offerri pro vivis, qui passionis Christi per calicem et crucem significatæ participes sunt ; quare sacerdos ante commixtionem cum Hostia format *signum crucis super calicem*, atque apte his fidelibus, nempe vivis *pacem Domini* apprecatur, qua sublevemur in pressuris hujus sæculi, et dum fit commixtio et consecratio (consecrati) Corporis et Sanguinis *vitam æternam* a Deo petit ; — porro *altera* pars extra calicem reservata indicat, Missam offerri in honorem Sanctorum, qui cum Christo triumphant in cœlo ; — et *tertia* pars priori addita innuit, Missam offerri pro animabus in purgatorio, ut citius a pœnis absolvantur et cum Sanctis gloria cœlesti perfruantur.

13. — Præparatione ad Communionem peracta sacerdos semetipsum monet de sublimitate eorum, quæ acturus est : *Panem cœlestem etc.*, et verbis humilitatis a Centurione mutuatis : *Domine non sum dignus — sub tectum*, corpus — *et sanabitur* (ab omni peccato, languore spirituali, imperfectione) *anima mea*, se ipsum signat cum S. Hostia dicens : *Corpus Dom. etc.*, et similia verba profert dum S. Sanguinem sumit, quibus exprimitur SS. Sacramentum esse pignus vitæ et gloriæ æternæ.

§ III. Gratiarum actio, mysterii celebratione peracta

14. — « *Participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit.* » Ita S. Augustinus. Namque post Antiphonam « *Communio* » dictam, quia olim inter populi Communionem cantabatur, sequitur oratio *Postcommunio*, ad gratias Deo agendas, quod tanti mysterii nos voluerit esse participes, et ad gratiam postulandam, ut

(1) S. Thomas : 3. q. 83. a. 5. ad 7.

ejus fructus et quidquid operari sanctificationem potest, conservemus. Dimittens sacerdos populum, *Ite Missa est* (dimissio est), dicit, et populus (per ministrum) pro sacrificio et fructibus inde perceptis, *Deo gratias*, apte reponit. Iterato sacerdos salutat populum : *Dominus vobiscum*, et in fine ei *benedicit*, ut gratiæ acceptæ in ipso jugiter permaneant et sumant majus quotidie incrementum. Postremo per lectionem Evangelii sec. Joan. fit quasi recollectio brevis eorum, quæ Christus in hoc mysterio per Sacerdotem operatus est. Ipse *vita — lux hominum — lux in tenebris lucet — in propria venit — verbum caro factum est, et habitavit in nobis ; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ et veritatis* : quam vere singula hæc applicantur mysterio celebrato ! Et quam apte minister nomine populi dicit : *Deo gratias*, ut tota Missa desinat in gratiarum actionem. *Hoc nec dici brevius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest*, S. Augustinus dicit.

383. — Index quorumdam auctorum qui de SS. Missæ Sacrificio aliquid commentati sunt, et pro communi studio probati habentur

Aloysius a Carpo. Compendiosa bibliotheca liturgica. Bononiæ. 1878. 1 vol. 8°.

Bacuez. Du divin Sacrifice et du Prêtre qui le célèbre. Paris. 1888. 1 vol. 12°.

Benedictus XIV. De Sacrosancto Sacrificio Missæ libri tres. Cum additionibus edidit P. Schneider, S. J. Moguntiæ. 1879. 1 vol. 8°.

Bernard. Cours de liturgie romaine. Paris. 1884. 6 vol. 12°. Tom. I. et II. La Messe.

Bona, Cardinalis. Rerum liturgicarum libri duo. 1 vol. — Studio et labore Roberti Sala editum fuit idem opus cum multis observationibus et additionibus. Augustæ Taurinorum. 1763, 4 tomi f°.

Id.. De Sacrificio Missæ Tractatus Asceticus. 1 vol.

Cabrol. Le livre de la prière antique. Paris. 1900. 1 vol. 12°.

Caers. De H. Dienst der Mis. Turnhout. 1892. 1 vol.

Caeymaex. De Canon der Mis. Eene studie. Mechelen. 1905. 1 vol. 18°.

Décrouille. La Sainte Messe, sens véritable des prières et des cérémonies. Paris. 1896. 1 vol. 12°.

De Herdt. Sacræ Liturgiæ Praxis. Tom. 2°.

Duchesne. Origines du culte chrétien. Paris. 1889. 1 vol. 8°.

Fornici. Institutiones liturgicæ ad usum Seminarii Romani. Monasterii. 1853. 1 vol. 12°.

Gavantus (cum notis *Merati*). Thesaurus Sacrorum Rituum. Romæ. 1736. Tomi 2 in partibus 4.

Gihr. Das Heilige Messopfer dogmatisch, liturgisch und ascetisch erklärt. Freiburg. 1880. 1 vol. 8°. Hujus operis prostat translatio gallica : Le Saint Sacrifice de la Messe, etc. ; traduit par l'Abbé E. Th. Moccand. Paris. Lethielleux. 1894-1895. 2 vol.

Guéranger. L'année liturgique. Poitiers. 15 vol.

Id. Explication des prières et des cérémonies de la Messe. Solesmes. 1884. 1 vol.

